by Google


QVAESTIONES
MORALES
SELECTIORES
IHS
IHS

QVAESTIONES MORALES SELECTIORES

A GABRIELE BEATO SOCIETATIS IESV,
Theologiæ Moralis in Collegio Romano
Profeſſore, diſcuſſæ, ac Reſolutæ.

In quibus, propoſitis caſibus, prima quædam principia, ad plurimas alias Quæſtiones ſimiles reſoluendas pervtilia, ſubinde examinantur.

DE LEGE INTERNA, ET EXTERNA.

Cum Duplici Indice Quæſtionum, ac Rerum.



ROMÆ, Sumptibus Io. Dominici Franzini ſub Signo Fontis. MDCLXIII.

Ex Typographia Vitalis Maſcardi.

CVM PRIVILEGIO SVMMI PONTIFICIS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENT.^MO ET REVER.^MO

PRINCIPI FLAVIO CHISIO

S. R. E. CARDINALI.

GABRIEL BEATVS FOELICITATEM.

INTER arcana dominationis, EMINENTISSIME PRINCEPS; locum præcipuum habet legis promulgatio; ſiquidem Animantia fræno, Homines lege cohibentur. Atque hac de cauſa ſummus ille, & Regnator, & Regnantium exemplar Deus, excitato hominum regno, edixit legem, per quam Populi viuere diſcerent citra ruinam, non citra obſequium, quod aduerſus ruinam præſidium eſt. Duplex autem Lex ha-

betur, interna & externa, quarum altera coercet animos, altera corpora moderatur; etenim Lex interna eoſdem habet fines, quos Conſcientia, quæ cum nobis intima ſit, illas exigit actiones, quibus Animus informetur, & exerceatur ad abſolutam omnibus numeris virtutem, cuius imperium non extimo quodam ſeu rerum, ſeu membrorum termino coercetur, ac definitur, ſed in omnia ſe diſpergit, quæ vel ipſi cogitationi conuenire poſſunt; quale tu, EMINENTISSIME PRINCEPS; experiris, cuius animus optimis Conſcientiæ legibus compoſitus, per altiſſima diuiditur conſilia, quibus vniuerſam, intimamque Eccleſiæ vtilitatem tueris. Lex autem externa neceſſaria fuit, quia cum Homo conſtet corpore & animo, conſcientia & vſu, non ſatis erat, animum & conſcientiam, ſed etiam corpus, & externarum actionum vſum, ad virtutis ſcopum dirigere. Atque hæc primaria legis externæ cauſa fuit; Homines enim, cum intima cordium conſilia intueri minime poſſint, ſed externas tantummodo, & aſpectabiles membrorum exercitationes aſpiciant, ex ijs intima pectorum obſeruant atque explorant. Legem tamen externam ita tractamus, vt Legis internæ vel autoramentum, vel additamentum eſſe videatur; Namque de ijs potiſſimum ſanctionibus agimus, quæ ad Eccleſiæ cenſuram pertinent, cuius arbitrium eſt penes maximum Patruum tuum, qui Dei vices, & tribunal

repræ-

repræſentat. Porro, cum ex his conſtet publica
fęlicitas, facturum me operæ pretium credidi, ſi de
vtraque opus aliquod elucubrarem, quod, quale-
cumque ſit, reuerenter quidem, ſed iure ad te au-
deo deferre; ſedes enim ad gubernacula Pontifi-
ciæ ditionis, tuique muneris proprium eſt, legum
obſeruantiam exigere, adeoque quidquid ad le-
gem pertinet, ſub tua clientela eſſe debet. Quam-
quam mihi & alia cauſa id ſuaſit, quod videlicet
animaduerterim, in te eminere ſummam mode-
ſtiam in ſummà potentià, ſummam facilitatem in
ſummo faſtigio, ſummam amabilitatem in ſummà
dignitate. Hic ergo magnes ad tuæ obſequium
Eminentiæ traxit hoc tenue mei laboris monu-
mentum, quod tibi minime fore ingratum, illa
ipſa mihi ſpondet, quam omnibus exhibes, beni-
gnitas.

INGENVO LECTORI.

CVM omnes ferè ſcientiæ, ac facultates, quæ mentem humanam excolunt, ſuos habeant Academicos congreſſus, in quibus tanquam fornacibus ſtudio multorum ardentibus, omni pretioſior auro Veritas exploretur, iniquum videbatur, vnam conſcientiæ doctrinam, hoc eſt, artem non tam recte intelligendi, aut dicendi, quàm benè viuendi, & veriorem ſcientiam de anima, hoc tum incitamento, tum adiumento carere. Sapienter igitur præter Philoſophiæ, ac Theologiæ, caſuum etiam conſcientiæ collationes inſtitutæ ſunt, in quibus, de controuerſijs illis diſceptaretur, quæ non ad clamoſum populi forum pertinent, ſed ad arcanum, vt vocànt, forum Poli. His ego congreſſibus, cum aliquot annos præfuerim, ſelectiores in varijs materijs quæſtiones ponens in medio, ac ſoluens, indignum duxi, laborem hunc in irritum cadere, & quod fortaſſe præſentibus non inutile fuit, poſteris inuidere. Auditoribus verò meis non ingratum futurum cenſeo, ſi publici iuris

facta

facta videant, quæ ſolis ipſis fuere participata; neque illa crediderim eos ambitione teneri, qua magnus olim Alexander, qui cum Ariſtotele magiſtro conqueſtus eſt, quod communia faceret omnibus arcana doctrinæ ſibi ſoli patefacta. Imò iuuabit ipſos, quæ auribus cognouerunt, oculis recognoſcere, & quidem fructuoſius, ſi verum eſt vetus verbum.

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Licebit etiam definitiones prolatas ad ſui iudicij trutinam accuratius exigere, vbi non volat irreuocabile verbum, ſed characteribus, quaſi catenis, innodatum manet. Ex eiſdem commodius ducere poterunt communiora quædam principia, & fundamenta, ad ſimiles quæſtiones facillimè, tutiſſimèque ſoluendas in quacumque materie. Acceſſere ad hanc mentem huiuſmodi lucubrationes euulgandi, non modo ipſorum Auditorum meorum enixæ, atque iteratæ preces: ſed & Virorum prudentium cordatæ ſuaſiones, & quæ plurimum ponderis habuere, illorum imperia, quorum præ ſapientia, auctoritate, munere, vox omnis, & nutus eſt apud me inſtar oraculi. His adeo ſtimulis adactus, hoc quicquid eſt operis in lucem dare decreui. Nec me remoratur eorum multitudo, qui de rebus hiſce ſcripta vulgarunt. Namque etiam in Iuriſprudentia, quæ noſtræ huius facultatis vel mater, vel ſoror eſt, noua in dies conſilia prodeunt, & pronis tamen vlnis excipiuntur. Quippe quod vtile

eſt,

eſt, nunquam eſt nimium. Hoc verò vtilius vt eſſet, principia quædam vniuersè ſumpta interſerui, ex quibus facile ſit, innumerabiles caſus ſimiles enodare.

Noſter autem hic labor quo planior, ac fructuoſior obtingeret legentibus, in varias diuiſus materias eſt, hoc ordine methodoque; In primo volumine, duæ noſtrorum operum regulæ expenduntur: Conſcientia; & Lex: quas nobis indidit Deus, vt moueant atque impellant ad agenda, quæ nos ducant in æternam Beatitatem, atque vltimum finem; Qua planè ratione pondus innatum eſt lapidi, vt feratur ad centrum; igni leuitas, vt ſurſum aſcendat. In ſecundo deuenitur ad ſpecies legis, quæ ſunt præcepta Theologicarum virtutum, atque iuſtitiæ. In tertio mandata Decalogi, Eccleſiæque continentur. Quoniam verò Deus non intima tantum vi legum promouere nos voluit ad ſupremum ac fæliciſſimum noſtrum finem, ſed inſtitutis quoque ſacramentis, velut impreſſa virtute, fortiter, ac ſuauiter eodem impellere dignatus eſt; idcirco in quarto volumiue ſacramenta, hoc eſt gratiæ leges euoluuntur.

Quod verò ſpectat ad Scriptorum locos, qui ſingulis propoſitis caſibus ſubijciuntur, hæc animaduerte, qui legis, illos interdum Auctores citari, qui licet peculiarem eum caſum propriè non tractent, ſed alium in diuerſa materie, ea tamen fundamenta ponunt, è quibus eius ſolutio conſurgat. Deinde erratum in numeris aliquando Typographorum

incu-

incuriã, præſertim tranſpoſitione, vti 23. loco 32.

Noris denique, Lector optime, ſi quid in hoc opere comperies boni, non meum eſſe, ſed Dei: Namque omne datũ optimum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum; *ſin erratum aliquod, vti facilè multa, depræhendes; id totum eſſe meum. Teſtor tamen, quæcumque ſcripſi, vel ſcripturus ſum ad minimum apicem, directa me velle ad æternam eius gloriam, & honorem, cui ſoli debetur omnis honor & gloria, ſimulque ad Chriſtianæ cuiuſque conſcientiæ quietem; vtque facilius quiſque poſſit, per bona opera, atque ope ſacramentorum, (quæ in hunc finem Chriſtus inſtituit) ad metam fælicitatis æternæ peruenire.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM ſicut dilectus filius Io: Dominicus Franzini Biblio-
pola in alma Vrbe noſtra nuper exponi fecit, ipſe libros
duos, vnum videlicet, cui Titulus Quæſtiones Morales
Selectiores à Gabriele Beato Clerico Regulari Societa-
tis Ieſu, & alterum, cui etiam Titulus Directorium
Chori, ad vſum omnium Eccleſiarum cum quibuſdam
additionibus à Ioanne Guidetto dilectis filijs reſpecti-
uè compoſitos typis, expenſis ſuis mandari curauerit, vereatur autem
nè poſtquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quæ-
runt, eoſdem libros imprimi facere etiam curent in ipſius exponentis
præiudicium, nos eius indemnitati, nè ex impreſſione huiuſmodi ali-
quod diſpendium patiatur, prouidere, illumque ſpecialibus fauoribus,
& gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis ſuſpen-
ſis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à
iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quo-
modolibet innodatus exiſtit, ad effectuum præſentium dumtaxat conſe-
quendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes. Sup-
plicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclina-
ti. Eidem exponenti, vt durante decennio, à præuia dictorum librorum
impreſſione computando, dummodò tamen à dilecto filio Sacri Pala-
tij Apoſtolici Magiſtro approbati fuerint, nemo tàm in Vrbe, quàm
in reliquo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubiecto
libros prædictos, etiam ſub prætextu additionum, diſtinctionum, alte-
riuſuè formæ, vel tituli, ſine ſpeciali dicti exponentis, aut ab eo cauſam
habentis licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſos vendere,
ſeu venales habere, aut proponere poſſit, & valeat Apoſtolica auctori-
tate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes pro-
pterea vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus præſentium librorum impreſſo-
ribus, & bibliopolis, ſub quingentorum ducatorum auri de Camera
& amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ
Apoſtolicæ, & pro alia eidem exponenti, ac pro reliqua tertijs partibus
accuſatori, & iudici exequenti irremiſſibiliter applicandis, & eo ipſo
abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, nè dicto decennio durante
libros prædictos, aut aliquam illorum partem tàm in Vrbe, quàm in
reliquo ſtatu Eccleſiaſtico prædictis, ſine huiuſmodi licentia imprimere
aut ab alijs impreſſos vendere, ſeu venales habere quoquomodo audeant
ſeu præſumant. Mandantes propterà dilectis filijs noſtris, & Apoſtoli-

cæ

cæ Sedis de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus; Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ Miniſtris, Prouinciarum; Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti; quatenus eidem exponenti, ſeu ab eo cauſam habenti prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes quandocumque ab eodem exponente fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſsibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque, Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam in ipſis libris impreſsis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris Die ſeptima Nouembris MDCLXII. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.

S. Vgolinus.

Locus ✠ Sigilli.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA
Societatis Ieſu Vicarius Generalis.

CVM Quæſtiones Morales P. Gabrielis Beati noſtræ Societatis Sacerdotis aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandentur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur, in cuius rei teſtimonium has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque item noſtro munitas damus. Romæ 25. Martij 1662.

Ioan. Paulus Oliua,

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. Sac. Pal. Apoſt.

O. Archiepiſc. Patracen. Viceſg.

Imprimatur
F. Raimundus Capiſuccus Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Præd.

IN-

INDEX QVAESTIONVM

Quæ in primo Libro continentur.

1 AN Conſcientia erronea, poſſit eſſe regula operandi.
2 An qualibet conſcientia erronea, poſſit eſſe regula operandi.
3 Quanta ſit conſcientiæ erroneæ obligatio.
4 An conſcientia erronea, plus obliget, quam præceptum Prælati.
5 An opinio probabilis, poſſit eſſe regula operandi.
6 An conſcientia practice dubia, poſſit eſſe regula operandi.
7 An conſcientia ſpeculatiue dubia circa ius, poſſit eſſe regula operandi.
8 An conſcientia ſpeculatiue dubia circa factum, poſſit eſſe regula operandi.
9 An conſcientia ſpeculatiue dubia, in materia iuſtitiæ, poſſit eſſe regula operandi, quando datur titulus poſſeſſionis.
10 An conſcientia ſpeculatiue dubia, poſſit eſſe regula operandi in materia aliarum virtutum, quando datur titulus poſſeſſionis.
11 An conſcientia dubia poſſit eſſe regula operandi, quãdo poſſeſſio eſt dubia.
12 An conſcientia dubia circa factum, vllam pariat obligationem.
13 An conſcientia dubia circa circunſtantiã facti, vllam pariat obligationẽ.
14 An qualibet conſcientia dubia circa circunſtantiam facti vllam pariat obligationem.
15 An præceptum de re dubia, obliget.
16 An votum de materia dubia obliget.
17 An conſcientia ſpeculatiue dubia, reddat votum irritabile.
18 An ignorantia, excuſet à culpa, & à pœna.
19 An ignorantia vincibilis, ſit peccatum ſpeciale.
20 An ignorantia vincibilis, plures malitias contineat.
21 An ignorantia vincibilis ſufficiens ad peccatum, ſufficiat etiam ad operationis valorem.
22 An ignorantia vincibilis, aliquando ſaltem ad actus valorem ſufficiat.
23 An error circa perſonam, cum qua agitur, reddat actum inualidum.
24 An error circa motiuum operandi, reddat operationem inualidam.
25 An error circa cauſam impulſiuam, operationem reddat inualidam.
26 An aliquando ſaltem, error circa cauſam impulſiuam, reddat operationem inualidam.
27 An error circa conditionem, reddat operationem inualidam.
28 An ceſſante vna cauſa operationis, ceſſet etiam eius valor, ac efficacia.
29 An quilibet error circa cauſam finalem, operationem reddat inualidã.
30 An error circa quamlibet cauſam finalem, operationem inualidet.
31 An error circa qualitatem cauſæ materialis, operationem inualidet.

An

32 An error circa quamlibet qualitatē cauſæ materialis, operationē irritet.
33 An quilibet error circa cauſam, ſiue obiectum materiale operationis, eam vitiet.
34 An ſemper ignorantia circa qualitates materiæ intrinſecas, operationem reddat inualidam.
35 An error, ortus ex dolo illius, cū quo agitur, operationem iure ciuili, reddat inualidam.
36 An error, ortus ex dolo Tertij, operationem iure ciuili, reddat inualidam.
37 An error, ortus ex mera deceptione ipſius Operantis, operationem, iure ciuili, reddat inualidam.
38 An error incidens in operationem, illam iure naturæ, irritet.
39 An metus, præceptorum humanorum violationem impediat,
40 An metus grauis, à quorūcūq; præceptorū humanorū violatione excuſet.
41 An metus grauis, à Legis Diuinæ poſitiuæ tranſgreſſione excuſet.
42 An metus grauis, Legis naturalis violationem impediat.
43 An metus, actuum valorem impediat.
44 An metus, ad actū aliquē extorquendū iuſte incuſſus, eius valorē impediat.
45 An metus, ad extorquendum actū iniuſte incuſſus, eius valorem impediat.
46 An metus, ad extorquendum actum iniuſte incuſſus, eius valorem, iure poſitiuo, impediat.
47 An coactio ad actum, cum libertate ad loci, vel perſonæ electionem, eius valorem impediat.
48 An coactio iuſta ſecundū allegata, & probata, actus valorem impediat.
49 An metus leuis, in foro conſcientiæ, contractum reſcindat.
50 An preces importunæ, in foro conſcientiæ, contractum reſcindant.
51 An peccatum, ſit eſſentialiter offenſa Dei.
52 An effectus peccati, ſit peccatum.
53 An peccati malitia, ex boni finis intentione minuatur.
54 An peccatum, ex ſe, mortale, ex imperfecta libertate, fieri poſſit veniale.
55 An peccatum ex ſe mortale, ex ſuperioris voluntate, fieri poſſit veniale.
56 An peccatum ex genere mortale, ex materiæ leuitate, fieri poſſit veniale.
57 An quodlibet peccatum ex genere mortale, fieri poſſit veniale, ex leuitate materiæ.
58 An peccatum veniale, fieri poſſit mortale ratione periculi proximi.
59 An peccatum veniale, fieri poſſit mortale ratione ſcandali.
60 An peccatū veniale, fieri poſſit mortale, rōe multiplicationis, ac frequentiæ.
61 An plura venialia diuerſæ rationis, conſtituere poſſint vnum mortale.
62 An omnes actus cum re præcepta incompoſſibiles, ſint peccatū mortale.
63 An propoſitum non abſtinendi ab vllo veniali, ſit peccatum mortale.
64 Per quid peccata, ſpecie inter ſe differant.
65 Per quid peccata, quæ exterius perficiūtur, inter ſe, numero diſtinguātur.
66 Per quid peccata mere interna, diſtinguantur inter ſe numero.
67 An vnus actus phyſicus, plures numero malitias continere poſſit.

QVÆ-

LIBER PRIMVS

DE LEGE INTERNA.

PROXIMA ac immediata noſtrarum operationum regula, eſt conſcientia, quæ, quia intra nos eſt, appellari ſolet Lex interna; quia verò indita nobis eſt ab Auctore naturæ, vt per eam nos inclinet ad rectè operandum, & per eas operationes, quaſi moueat ad noſtrum finem vltimum, qui eſt Beatitudo, ac ſumma ſelicitas; ſicut per grauitatem inclinat lapidem ad motum deorſum, & ignem per leuitatem ad motum ſurſum, dicitur ius ſiue lex naturalis. Huius conſcientiæ, ſiue legis internæ, quinque ſunt ſpecies; erronea, dubia, probabilis, recta, ac ſcrupuloſa. Singularum ergo ſpecierum natura, ac proprietates, varijs caſibus propoſitis, examinantur, in ordine ad culpam, ad pœnam, & ad actuum valorem. Et quoniam Conſcientia dubia eſsentialiter ſupponit ignorantiam rei, de quà dubitatur, & erronea errorem, quæ duo opponuntur libertati, ſicut aliquo modo opponitur etiam metus; ideo ſimul etiam de his impedimentis quæritur, an & quomodo excuſent à culpà, & à pœnà, & actuum valorem impediant. Denique; peccati, quod legi internæ opponitur, naturà, paſſiones, ac ſpecies perpenduntur.

QVAESTIO I.

An conſcientia erronea poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 CVM homicidij cuiuſdam auctor quæreretur, & de Titio iam daretur ſemiplena probatio, Ruſticus quidam, qui homicidio fuerat præſens, in iudicium vocatus, & à Iudice interrogatus, num auctor homicidij eſſet Titius; cum iuramento negauit, inuincibiliter putans, id ſibi ad eius vitam tuendam licere; quæritur, vtrum, peierando, mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

10 *Quid & quotuplex ſit conſcientia.*
11 *Quid ſit Syndereſis, & quomodo ex illâ oriatur conſcientia.*
12 *Cur conſcientia ſit proxima regula operandi.*
13 *Quo principio vtatur prudentia ad operationes voluntatis regulandas.*
14 *Quæ conſcientia habeat vim præcepti, & quæ Conſilij.*
15 *Cur conſcientia erronea excuſet à culpâ.*
20 *Voluntas amans, quod ſiue verò ſiue falſò proponitur vt bonum, non peccat.*
21 *Imo facit actum virtutis.*
22 *Et de eo gaudere poteſt.*
23 *Conſcientia erronea nunquam eſt Diuinæ legi contraria.*
24 *Lex non obligat niſi vt propoſita.*
25 *Obligat tamen quamuis falſò propoſita.*
26 *Conſcientia erronea dictans, dilectionem Dei eſſe peccatum, repugnat.*
27 *Non ſolum actio interna, ſed etiam externa conſcientiæ erroneæ contraria, eſt mala.*
28 *Conſcientia erronea obligat ſolum per modum applicationis.*
29 *Et quatenus creditur eſſe præceptum Dei.*
31 *Debet eſſe actu, dum operamur.*
32 *Cum dictat duas actiones oppoſitas, peccari non poteſt.*
33 *Eſt teſtis, Iudex, & Regula.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVanta ſit Conſcientiæ, ſiue legis internæ vis ad obligandum, colligi facilè poterit ex vi, quam habet conſcientia erroneæ;

nea; ſi enim hæc tam ſtrictè, ac indiſpenſabiliter obligare poteſt, quæ erit vis conſcientiæ probabilis, ac rectæ? vt autem appareat conſcientiæ erroneæ vis ad obligandum, & conſcientiæ ſimul natura innoteſcat, præſens caſus proponitur.

3 Aliquibus ergo, quos tacito nomine refert *Diuus Thomas* 1. 2. *q.* 58. *a.* 5. Ruſticus videtur mortaliter peccaſſe. Primò, quia verè commiſit periurium; hoc autem eſt diuinà lege prohibitum. Neque obſtat, quod conſcientia erronea dictauerit, non eſſe prohibitum; nam, cum auctoritas Dei maior ſit, quam conſcientiæ, voluntas illam magis ſequi tenebatur, quam iſtam; imo, cum conſcientia contra Dei legem aliquid dictat, ſequenda omnino non eſt; expedit enim tunc obedire magis Deo, quam conſcientiæ.

4 Secundò; quia, ſi non peccaſſet, feciſſet actum bonum; feciſſet enim actum charitatis, cum periurium ad vitam hominis tuendam, ordinauerit; conſequens autem eſt impoſſibile; neque enim dari poteſt actus bonus, qui habeat obiectum malum.

5 Tertiò; quia, ſi non peccaſſet, potuiſſet deinde, cognito errore, de tali periurio, vt potè bono gaudere; conſequens autem eſt falſum; quia gaudere de periurio, eſt intrinſecè malum, non minus quàm gaudere de adulterio; eſt enim velle malum; hoc autem idem eſt, ac velle peccatum, & conſequenter peccare; ſi ergo gaudendo de periurio, peccaſſet, peccauit etiam illud volendo; non minus enim intentio efficax periurij, eſt actus voluntatis, quam gaudium.

6 Quartò; quia, ſi non peccaſſet, maxime quia conſcientiam errantem ſecutus eſſet; ſed conſcientia errans ſequenda non eſt, quando eſt diuinæ legi contraria; ſemper enim ſequenda eſt lex Diuina; hæc autem obligare non poteſt ad ſequendam conſcientiam errantem, quando eſt illi contraria, alioquin ipſamet lex diuina eſſet ſibi ipſi contraria, dum ex vnà parte præcipit, ob nullam cauſam, etiam ad ſaluandam vitam, eſſe peierandum; & ex alià, obediendum eſſe conſcientiæ erranti, dum dictat, eſſe peierandum.

7 Quintò; quia in tantum ſequi tenemur conſcientiam, in quantum eſt regula à lege æternà deriuata; ſed conſcientia dictans, eſſe peierandum ad ſaluandam vitam, non poteſt eſſe deriuata à lege æternà, cum lex æterna contrarium dictet; ergo illam ſequi non tenemur: ideoque illam ſequendo, ruſticus adhuc peccauit.

8 Sextò; quia miniſter, falſam Principis legem promulgans, ſubditos non obligat ad illam adimplendam; ſed conſcientia errans, dum dictat id, quod eſt malum, falſam Dei legem promulgat; neque enim Deus, malum vnquam poteſt præcipere; ergo non obligat voluntatem ad illi parendum; ideoque ruſticus, illam ſequendo, peccauit.

9 Septimò; quia, ſi conſcientia erronea dictaret, Deum non eſſe ſu-

per omnia diligendum,non propterea peccaret, qui Deum ſuper omnia diligeret; impoſſibile enim eſt, Deum diligere, & per ipſam dilectionem peccare; ergo non ſemper conſcientiam erroneam ſequi tenemur, neque ſemper eſt peccatum contra illam operari; ergo etiamſi conſcientia erronea ruſtico dictaret,eſſe peierandum ad proximi vitam tuendam, non propterea tenebatur illam ſequi, ſed poterat contra illam operari; ideoque, non operando, peccauit.

NOTABILIA.

10 ADuertendum eſt primò; conſcientiam, nihil eſſe aliud, quàm dictamen rationis, iudicans, aliquid eſſe bonum vel malum, ſequendum vel fugiendum;debet autem eſſe actus iudicatiuus, quia per illum, debet intellectus iudicare, quid voluntas fugere debeat, quid amplecti. Diuidi communiter ſolet in remotam, & proximam; illa dicitur, quæ in communi dictat, aliquid eſſe faciendum, vel omittendum; vt,audiendam eſſe miſſam die feſto: hæc dicitur, quæ in particulari, & in ſpecie, dictat, quid hic & nunc ſit faciendum,quid fugiendum; vt, eſſe hodie miſſam audiendam; quamuis autem ex conſcientiâ, ſiue iudicio vniuerſali, deduci regulariter, & per ſe, ſoleat ſimilis conſcientia, & iudicium particulare; ex eo enim,quod audienda ſit miſſa in die feſto, & hodie ſit dies feſtus, regulariter, & per ſe, infertur, hodie miſſam eſſe audiendam; per accidens tamen, & ratione alicuius circunſtantiæ, poteſt aliquando non deduci, ſed potius oppoſitum; poteſt enim quis ſimul iudicare,die feſto,audiendum eſſe ſacrum, & tamen,propter infirmitatem, ſe non eſſe obligatum; tunc tamen,etiam iudicium particulare, verè non eſt vniuerſali contrarium; quia hoc,nunquam dictat, die feſto, infirmo, aut impedito audiendam eſſe miſſam, ſed potius oppoſitum.

11 Aduertendum eſt ſecundò,Intellectui noſtro, ſicut indita eſt à naturà vis cognoſcendi verum, hoc eſt, prima quædam principia ſpeculatiua per ſe nota, qualia ſunt; omne totum eſt maius ſuà parte; quodlibet eſt, vel non eſt, & ſimilia; ita inditam eſſe virtutem cognoſcendi bonum; hoc eſt prima quædam principia practica vniuerſaliſſima, omnibus nota; qualia ſunt; omne bonum eſt ſequendum, omne prohibitum à Deo eſt fugiēdum, & ſimilia: quæ principia appellantur ſynderesis. Ex his autem, intellectus deducit aliquando concluſiones falſas,per additionem minoris falſæ; Si quis enim dicat; omne prohibitum à Deo eſt malum; & deinde addat; omne iuramentum eſt prohibitum à Deo: *Matt. 5. Ego autem dico vobis nolite iurare omnino*: quæ minor eſt falſa; inferet, quod omne iuramentum ſit malum, & illicitum, quod tamen eſt falſum; hæc ergo concluſio ex primis principijs practicis falsò deducta, dicitur conſcientia errans, ſicut deducta per additionem minoris propoſitionis

pro-

probabilis, dicitur conſcientia probabilis, & deducta euidenter, dicitur conſcientia recta.

12 Aduertendum eſt tertiò; Voluntatem noſtram, cum ſit potentia cæca, ferri non poſſe in obiectum, niſi hoc illi proponatur ab intellectu tanquam honeſtum, vel turpe, ſequendum vel fugiendum; hinc autem fit primò, vt voluntas non feratur in obiectum ſecundum ſe, ſed ſolum prout illi proponitur ab intellectu; vnde, ſi proponatur vt bonum, quamuis in ſe ſit malum, voluntas in illud fertur tanquam in bonum, neque illud fugere poteſt, tanquam malum, quia eius malitiam non cognoſcit. 2. vt dictamen rationis, ſiue iudicium practicum conſcientiæ, voluntati proponens obiectum, tanquam bonum, vel malum, ſit illius regula; cum enim voluntas eo iudicio omnino indigeat ad libere operandum, ſequitur, vt, dum illi conformatur, rectè operetur; amat enim tunc id, quod illi proponitur vt bonum, & fugit id, quod illi proponitur vt malum; dum verò illi non conformatur, peccet, quia tunc amat quod illi proponitur vt malum, & fugiendũ, vel fugit id, quod illi proponitur vt bonum, & ſequendum; voluntas autem tunc peccat, cum vel vult malum, vel fugit bonum. Tertiò; vt, quamuis lex, ſiue diuina, ſiue naturalis, ſiue humana, ſit prima regula noſtrarum operationum, obligare tamen voluntatem non poſſit, niſi mediante regulà proximà, quæ eſt conſcientia; quia illam obligare non poteſt, niſi ei per iudicium conſcientiæ, ſiue per dictamen rationis proponatur ab intellectu, nec alio modo illam obligare poteſt, quàm, quo ei ab intellectu per conſcientiam proponitur.

13 Aduertendum eſt quartò; inter principia practica; primum, vniuerſaliſſimum, ac notiſſimum, illud eſſe. Faciendum eſt id, quod conſcientia dictat, eſſe honeſtum; & omittendum, quod eadem dictat eſſe inhoneſtum; Vnuſquiſque enim, eo ipſo, quod facit aliquid contra id, quod conſcientia dictat, exiſtimat, ſe male operari, vt conſtat experientià, quia voluntas, cum ferri non poſſit in obiectum, niſi pro vt illi proponitur ab intellectu, vt dictum eſt, eo ipſo, quod amplectitur id, quod illi proponitur vt honeſtum, honeſtè operatur, ſi verò illud fugiat, inhoneſte. Hoc autem principium, eſt dictamen, ſiue iudicium aliquod reflexum, habens pro obiecto, aliud dictamen, ſiue iudicium directè repreſentãs operationem aliquam, vt honeſtam, vel inhoneſtam; Dum enim dico; *quidquid conſcientia dictat eſſe inhoneſtum, eſt fugiendum; conſcientia dictat, furtum eſſe inhoneſtũ; ergo furtum eſt fugiendum*; minor propoſitio habet pro obiecto iudicium dictans, furtum eſſe inhoneſtum. Ex hoc ergo principio, Prudentia, omnes ſuas concluſiones deducit, per eaſque proximè, ac immediatè regulat operationes voluntatis; vnde hæ ſolæ concluſiones appellantur propriè conſcientia, ſemperque ſunt veræ, certæ, ac euidentes; ſemper enim verum eſt, quod quidquid

conſcientia dictat, eſſe honeſtum, eſt faciendum; ſemper etiam verum eſt, quod conſcientia, hic & nunc dictat, furtum eſſe inhoneſtum, quia dictamen hoc in nobis experimur; ergo vera etiam ſemper debet eſſe concluſio inde deducta; quia ex vero non infertur niſi verum. Iudicium autem dictans, furtum eſſe inhoneſtum, ipſum quoque dicitur conſcientia, quia remotè ſaltem, & mediante dictamine prudentiæ, regulat voluntatem; & hæc eſt conſcientia, quæ aliquando eſt recta, aliquando erronea, & aliquando probabilis.

14 Aduertendum eſt quintò; dictamen proponens voluntati operationem aliquam vt bonam, vel malam, illam aliquando proponere tanquã aliquod bonum, ad morum honeſtatem, ac animæ ſalutem, omnino neceſſarium; vt cum proponit; Deum eſſe ſuper omnia diligendum; Furtum eſſe fugiendum, & ſimilia; tunc autem, dictamen hoc appellatur præceptum, quia vim habet obligandi voluntatem, ita vt, ſi contra illud faciat, peccet; Aliquando vero proponere eandem, non tanquam bonum neceſſarium, ſed ſolum magis vtile, & ad morum honeſtatem, ac animæ ſalutem magis conueniens; vt cum proponit, virginitatem, aut ſtatum religioſum eſſe amplectendum; tunc autem dicitur conſilium, quia voluntatem non obligat, ſed ſolum hortatur, & ſi voluntas contra illud faciat, non peccat. his poſitis.

RESOLVTIO.

15 AD Caſum reſp; Ruſticum, peierando ad Titij vitam ſaluandam, ratione conſcientiæ inuincibiliter erroneæ, non peccaſſe. *Sanchez lib.1. ſum. c. 11. num.3. Valentia tom. 2. diſp.2. quæſt.14. prop. 4. n.3. Reginaldus lib.13. n. 69. Salaſ. 1. 2. qu. 42. tr.8. diſt. vnic. ſ.3. num. 16. Clauis regia. lib.1. cap.4. num.15. Vaſquez 1.2. diſp.59. cap.2. Becanus par.2. tr. 1. cap.4. quæſt.7. n.5.*

16 Probatur primò, quia, quamuis periurium in ſe ſit malum, fuit tamen ruſtico, per conſcientiam errantem, repræſentatum vt bonum, ideoque ruſticus illud volens, voluit, quantum erat ex ſe, aliquid bonum; velle autem bonum non poteſt eſſe peccatum; voluntas enim in hoc conformatur legi naturali dictanti; bonum eſſe amandum, ac ſequendum.

17 Secundò, quia, licet periurium in ſe ſit malum, voluntas tamen in illud fertur non ſecundum quod eſt in ſe, ſed ſolum ſecundum, quod illi à ratione proponitur; ſed à conſcientiâ errante propoſitum eſt ruſtico, tanquam bonum; ergo voluntas illud amplexa eſt tanquam bonum, illudque volens, voluit bonum; non quod eſſet tale in ſe, ſed in apprehenſione; voluntas autem volens bonum, peccare non poteſt, vt dictum eſt; lex enim naturalis præcipit, ſequendum eſſe bonum, ſiue verè, ſiue falsò iudicetur bonum, ſicut prohibet velle malum, ſiue

ſiue verè, ſiue falsò iudicetur malum.

18 Tertiò; quia nulla lex obligat, niſi quatenus nobis nota eſt, & voluntati per cognitionem propoſita, ſed ruſtico nulla lex per conſcientiam propoſita eſt, prohibens tale periurium, ſed illi, quamuis falsò, propoſita eſt lex illud præcipiens ad proximi vitam ſaluandam; ergo non obligabatur ad omittendum periurium, ſed potius ad illud ponendum, vt vitæ proximi proſpiceret; ideoque, peierando, nullo modo peccauit.

19 Quartò; quia, ſi quis legem, à miniſtro, nomine Regis, falsò promulgatam, ſeruet, non peccat; imo peccaret, ſi non ſeruaret, & tanquam contemptor puniretur. Similiter qui obedit ei, quem credit, ſuum eſſe Prælatum, non peccat; imo peccaret, ſi non obediret. Sed ruſticus, peierando, ſeruauit legem ſibi ab intellectu tanquam à Dei præcone, licet falsò, propoſitam; ergo non peccauit, ſed potius peccaſſet, ſi periurium omiſiſſet; diuinam enim voluntatem contempſiſſet, omittens id, quod putabat, Deum velle, ac præcipere.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

20 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; ad primam: Ruſticum commiſiſſe periurium ſolum materialiter, ſiue id, quod erat periurium, non tamen formaliter, quia non cognouit, eſſe periurium, nec diuinâ lege prohibitum, quod tamen neceſſario requiritur ad peccatum; auctoritas autem diuina, & eius lex prohibens periurium, cum tunc ruſtico non eſſet ab intellectu per cognitionem propoſita, illum obligare non potuit ad abſtinendum à periurio; ad eam enim obligationem inducendam neceſſariò requirebatur, vt lex diuina ruſtico per cognitionem eſſet propoſita, cum voluntas ſit potentia cæca, nec ferri poſſit in incognitum; cum ergo illi non eſſet propoſita, illum obligare non potuit; immo, cum eſſet illi, quamuis falso, propoſita lex obligans ad peierandum ad vitam proximi ſaluandam, hanc implere debuit, ideoque, implendo, non peccauit.

21 Ad 2. Reſp. Concedendo, Ruſticum feciſſe actum bonum; fecit enim actum miſericordiæ, perinde ac ſi periurium verè fuiſſet à Deo præceptum: nam ex vnâ parte, periurium tunc nullam habuit formalem malitiam; & ex aliâ, recepit bonitatem à fine intento, proximi vitam ſaluandi; Neque obſtat, quod habuerit obiectum de ſe malum; nam illa malitia non fuit voluntati ab intellectu propoſita, ac repræſentata, ſed obiectum fuit potius repræſentatum, vt bonum, ſicut Iacob, coniunctio cum Liâ fuit propoſita, tanquam coniunctio cum vxore, ideoque non habuit malitiam fornicationis; obiectum autem ſpecificat actum noſtræ voluntatis, non prout eſt in ſe, ſed prout eſt illi ab intellectu propoſitum.

22 Ad 3. Reſp. Ruſticum gaudere quidem potuiſſe, quod periurium cum ignorantiâ inuincibili, & con-

ſequenter ſine peccato, commiſerit; non tamen de periurio ſecundum ſe, & poſt cognitam turpitudinem, quia tunc gauiſus eſſet de periurio cognito vt malo, & conſequenter de eius malitià, quod fieri non poteſt ſine peccato.

23 Ad 4. Reſp. Conſcientiam inuincibiliter errantem, nunquam, eſſe Diuinæ legi contrariam; lex enim diuina nunquam præcipit, non eſſe peierandum in omni caſu, tàm per ſe, quàm per accidens; ſed ſolum, quando ipſa lex de non peierando, ab intellectu, abſque errore, voluntati repræſentatur; in hoc autem caſu, ſemper obligat; neque eſt contraria conſcientiæ erroneæ dictanti, eſſe peierandum ad ſaluandam proximi vitam, quia ipſa pro iſto caſu, non obligat.

24 Ad 5. Reſp. Conſcientiam nos obligare ad illam ſequendam, in quantum eſt deriuata à lege æternà, hoc eſt, in quantum nobis proponit legem æternam, ſiue proponat deinde verè, ſiue falsò; nam etiam in hoc caſu, dici poteſt deriuata à lege æternà, quia Deus præcipit, ac vult, vt poſito errore, & ex ſuppoſitione, quod conſcientia errans hoc dictet, ponatur periurium ad vitam proximi tuendam.

25 Ad 6. Negatur antecedens. Lex enim, quamuis falſa, Regis nomine promulgata, obligationem inducit ita vt populus obedire teneatur, & contemptores puniantur; eo enim ipſo, quod illi non obediretur, cenſeretur contemni Rex; nam vt aliquis contemnatur, non eſt neceſsè vt fiat contra id, quod ab eo verè præcipitur, ſed ſatis eſt, vt fiat contra id, quod putatur ab eo præcipi; ſimiliter ergo, cum conſcientia erronea, Dei nomine, proponit, licet falsò, legem de peierando ad proximi vitam tuendam, obligationem per accidens inducit, ita vt voluntas ei teneatur obedire, quia non obediendo, Dei voluntatem contemneret, faciendo contra id, quod putaret, illam velle.

26 Ad 7. Reſp. Impoſſibile eſſe, quod quis Deum diligat ſuper omnia, & ſimul habeat conſcientiam erroneam, quà iudicet, hoc eſſe peccatum; eo enim ipſo, quod iudicat eſſe peccatum, iudicat eſſe contra Dei voluntatem; ergo illud faciendo, Deum diligere non poteſt ſuper omnia; impoſſibile enim eſt, diligere Deum ſuper omnia, & ſimul velle aliquid, quod putatur eſſe contra eius voluntatem: in alijs autem materijs hoc non accidit; poteſt enim quis peccare, faciendo ex conſcientià erroneà id, quod alias eſſet ex ſe bonum; bonum enim eſt ieiunare, & tamen, ſi quis putaret, eſſe peccatum, ieiunando peccaret, quia faceret id, quod crederet eſſe malum; malum autem ſic apprehenſum, eſt vitandum.

COROLLARIA.

27 Colligitur ex dictis primò, non ſolum omnem actionem internam voluntatis, conſcientię erroneæ contrariam, ſed etiam externam eſſe malam; quoties eſt voluntaria; quia lex naturalis non ſolum prohibet velle id, quod iudica-

dicatur vt malum, ſed etiam illud facere;vel omittere id, cuius omiſſio, falſo iudicatur, eſſe mala; eadem enim eſt ratio de omiſſione, ac de actione.

28 Secundò, conſcientiam, ſiuè veram, ſiue erroneam, voluntatem non obligare propriè, per ſe, ac principaliter, ſed ſolum per modum applicationis, & conditionis requiſitæ ad hoc, vt lex,ſiue præceptum obliget humano modo; nullum enim præceptum obligat, niſi mediante apprehenſione, quæ eſt immediata regula noſtrarum operationum: hæc tamen eſt differentia inter conſcientiam veram, & erroneam, quod obligatio per conſcientiam veram propoſita, per aduentum alterius cognitionis, non ceſſat, quia verè datur; obligatio verò, per conſcientiam erroneam propoſita, per aduentum cognitionis veræ, ſtatim ceſſat, quia antea, re verà,non dabatur, ſed erat ſolum in apprehenſione per conſcientiam erroneam, & hæc,per aduentum conſcientiæ veræ,ſtatim ceſſat.

29 Tertiò Conſcientiam rectam diuerſo modo obligare, ac obliget conſcientia erronea; nam vera,cum ſit conformis legi diuinæ, eſt vera lex; erronea verò putatur ſolùm Dei lex, cum verè non ſit; ſimiliter,recta ſimpliciter obligat, erronea verò ſolùm ex ſuppoſitione, & quatenus creditur eſſe præceptum Dei.

30 Quarto; quoties conſcientia erronea deponitur, non eſſe peccatum, agere contra illam; cum enim tota ratio culpæ conſurgat ex ipsà conſcientià erroneà, & alias,cætera ſint bona, vel non mala; eo ipſo, quod hæc deponitur, nec perſeuerat, ceſſat ratio culpæ. Vt tamen deponi poſſit, neceſſario requiritur aliqua ratio, alioquin voluntas eam abſolutè deponere non poſſet, cum alias ſupponatur inuincibilis.

31 Quinto; vt ſit peccatum, facere contra conſcientiam erroneam, requiri, vt ea conſcientia, ſit tunc, quando peccatur, & quod tunc actu reclamet, vel per iudicium perfectum, vel per aliquam dubitationem: ſi enim non eſt actu, quando fit opus, nullo modo eſt, cum in nullo ſuo effectu ſit virtualiter, vt per ſe patet; ſi autem nullo modo eſt, ad peccatum concurrere non poteſt; neque ſatis eſt,quod præceſſerit, & non fuerit reuocata; Tum quia, quando actu fit opus, dari neceſſario debet aliqua cognitio circa illud, dictans eſſe faciendum,vel omittendum. Tum etiam,quia ſequeretur, Infidelem, qui ſemel per errorem exiſtimauit, ad operis bonitatem requiri, vt referatur ad Idolum, in omnibus operibus ex obiecto bonis, ſemper peccare, etiam ſi actu falſam illam opinionem non haberet, quia ſatis eſſet, non fuiſſe reuocatam; hoc autem tanquam abſurdum à nemine admittitur *Vaſqu.* 1. 2. *diſp.*60. *c.*3.

32 Sexto, ſi conſcientia erronea inuincibiliter dictet duas actiones oppoſitas; vt ſi Paſtor ouium putet, eſſe mortale, omittere ſacrum die feſto, & ſimul etiam,eſſe mortale, gregem deſerere, & ire ad Eccleſiam; tunc quidquid ſiat, non peccari

cari, quia non datur libertas in genere moris, ſed ſolum in genere entis, quatenus huiuſmodi homo tunc eſt liber ad alterutrum eligendum. Caſus tamen eſt omnino Metaphiſicus, quia lumine naturæ apparet, ex duabus contradictorijs, vnam eſſe veram, alteram falſam; quare, ſi paſtor putet, ſacrum diebus feſtis, ſub mortali eſſe audiendum, iudicare non poterit gregem, diebus feſtis, ſub mortali non eſſe reliquendum: *Sanchez lib.* 1. *in dec. cap.* 11.

33 Conſcientiam, quæ ex primis principijs practicis deducitur tanquam Concluſio, tribus modis applicari poſſe ad actiones noſtras particulares; primò ad iudicandum, an ſint factæ, vel non factæ; & ſic dicitur teſtis & teſtificari: 2. *Cor.* 1. *gloria noſtra hac eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Secundo, ad iudicandum, an ſint factæ benè, vel malè; & ſic dicitur exercere officium Iudicis: *Sap.* 17. *frequenter occupant peſſima, redarguente conſcientiâ &c.* Tertiò denique, ad præſcribendum, quænam impoſterum ſint faciendæ, quæ verò omittendæ, & ſic dicitur eſſe Legislator, vel Conſiliarius, quatenus obligat, aut retrahit, aut conſulit, aut abſoluit, dictans, nos ad actionem illam non teneri &c. Conſcientia autem, omnibus his modis accepta, poteſt eſſe vera, vel errans.

QVAESTIO II.

An quælibet conſcientia erronea poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 BENEFICIARIVS quidam, quamuis per errorem putaret, licere ſibi, ad Eccleſiam reſtaurandam, ac ornandam, Eccleſiæ bona alienare; aliquam tamen legis hoc prohibentis ſuſpicionem habebat. Verùm, hoc non obſtante, domum quandam ad Beneficium ſpectantem, cum horto, alienauit, eâque pecuniâ, Eccleſiam reſtaurauit, ac ornauit. Quæritur; Vtrum contra *Extrauag. Ambitioſæ: de rebus Eccleſiæ non alienandis* mortaliter peccauerit, & in eius pœnas incurrerit.

SVM-

SVMMARIVM.

6 *Conſcientia erronea alia vincibilis, alia inuincibilis, & vtraque quid ſit.*
7 *Lex humana, alia punit ſimpliciter delinquentem, alia ſolum delinquere præſumentem.*
8 *Cur operari iuxta conſcientiam erroneam vincibilem, ſit peccatum.*
12 *Lex obligat etiam ad vitandum periculum proximum tranſgreſſionis.*
13 *Conſcientia erronea eſt culpabilis, non quatenus repræſentat bonum, ſed quatenus, poſitâ ſuſpicione de lege, obligat ad inquirendum.*
15 *Cur peccans ex conſcientiâ erroneâ, pœnas legis aliquando non incurrat.*
17 *Lex non obligat niſi iuxta Legiſlatoris voluntatem verbis expreſſam.*
18 *Aliqua leges puniunt ſolum delictum directè volitum.*
23 *Tam eſt peccatum agere contra conſcientiam erroneam, quã iuxta illam.*
24 *In quo differat conſcientia erronea culpabilis ab inculpabili.*
25 *An grauius peccetur, agendo contra, an iuxta conſcientiam erroneam vincibilem.*
26 *Ad præſumptionem requiritur notitia, tam iuris, quam facti.*
32 *Decretum Clem. VIII. circa caſus reſeruatos, quos, & ad quid obliget.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm Conſcientia non ſemper inuincibiliter erret, quæritur, vtrum ſemper excuſet à culpâ. Videtur ergo Beneficiarius mortaliter non peccaſſe. *Ita Caiet. v. præceptum in fine, & v. ieiunium cap.3. Siluester ibi quæſt.8. dic 1. Nauar. cap.21. ſum. nu.20. Henriqu. lib.9. de Miſſa cap.25. num.10. Tolet. lib.6. cap.4. & 9. Azor. tom.1. lib.7. cap.7. quæſt.4. & alij.*

3 Probatur primò à fortiori; quia Ruſticus, per errorem putans, periuriũ ſibi licere ad amici vitã tuendã non peccauit, vt *Qu.1.* dictum eſt. Sed etiam Beneficiarius per errorẽ putabat, licere ſibi aliqua beneficij bona, ad Eccleſiam reſtaurandam, ac ornandam alienare; ergo nec ipſe, ea ſic alienando, peccauit; Non minus enim, quàm Ruſticus, ſecutus eſt cognitionem quamuis falſam, tanquam ducem, ac proximam regulam, à quà voluntas, cum ſit cæca, duci debet.

4 Secundò; quia hæc alienatio ad Eccleſiam reſtaurandam, Beneficiario, per conſcientiam erroneam, propoſita eſt tamquam bona; ergo Beneficiarius illam volens, quantum erat ex ſe, voluit aliquod bonum; voluntas autem, dum vult bonum, peccare non poteſt, quia conformat ſe legi naturali, quæ dictat, bonum eſſe amplectendum;

Ne-

5 Neque obſtat, quod Beneficiarius aliquam prohibitionis ſuſpicionem habuerit; nam hæc ſuſpicio non erat ſufficiens ad culpam, præſertim grauem; cum enim leges humanæ benignæ ſint, nec cum tanto rigore obligent, ſicut ius naturale; in cauſis excuſantibus tantam diligentiam non exigunt, quantam ius naturale, ſed benigniorem, in animæ fauorem, interpretationem admittunt.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; conſcientiam erroneam, aliam eſſe inuincibilem, aliam vincibilem. Prima eſt, cum quis ita falsò iudicat, aliquid ſibi licere, vt vel nulla occurrat cogitatio, aut ſuſpicio legis oppoſitæ; vel, ſi occurrat, poſt moralem diligentiam adhibitam, nihil inueniat, per quod eam poſſit deponere: Secunda eſt, cum quis ita falsò iudicat, aliquid ſibi eſſe licitum, vt aliqua ei ſimul occurrat cogitatio, vel ſuſpicio de lege oppoſitâ, ratione cuius per ipſius legis inquiſitionem, eam poſſit, ac teneatur deponere. Prima deponi, vel omnino, vel ſaltem moraliter non poteſt, ideoque ſemper eſt omnino inculpabilis; quia ad impoſſibile nemo tenetur. Secunda deponi poteſt, & debet, ideoque ſemper eſt culpabilis iuxta menſuram negligentiæ, quæ adhibetur in inquirendo de lege, & in ipsâ conſcientiâ deponendâ. Quælibet enim lex, ſicut obligat ad ſui obſeruantiā tamquam ad finem, ita, cum eius occurrit aliqua cogitatio aut ſuſpicio, obligat etiam ad hoc ipſum inquirendum, eiuſque notitiam procurandam, cum hoc ſit medium, ſine quo, ipſa obſeruantia poni non poteſt; voluntas enim ferri non poteſt in incognitum. Cum ergo, occurrente aliquâ ſuſpicione de lege, eius inquiſitio negligitur, per hoc ipſum, lex violatur, & eo magis, vel minùs, quo negligentia in inquirendo fuerit maior, vel minor.

7 Aduertendum eſt ſecundo: Duo dari genera legum humanarum, quantum facit ad rem præſentem; aliquæ enim pœnam imponunt ſimpliciter delinquentibus; vt ſunt leges, quæ excommunicant naufragantium bona ſurripientes, clericos percutientes, & aliæ ſimiles: aliquæ vero eam imponunt, non quomodocumque delinquentibus; ſed cum præſumptione, temeritate, audaciâ, ſcientiâ, pertinaciâ &c. vt ſunt pleræque leges Eccleſiaſticæ, quæ, ne fidelium conſcientias ſcrupulis illaqueent, aut nimis rigidæ, ac rigoroſæ videantur, non ſimpliciter delinquentibus, ſed delinquere præſumentibus, pœnam imponunt. Vt incurrantur pœnæ, à legibus primi generis, impoſitæ, ſatis eſt quælibet earum tranſgreſſio grauis; eo enim ipſo, eſt poſitum quidquid ad eas penas incurrendas à Legislatore requiritur; Vt vero incurrantur pœnæ, à legibus ſecundi generis, impoſitæ; non eſt ſatis quælibet earum tranſgreſſio grauis ſed requiritur tranſgreſſio cum præſumptione, vel audaciâ, aut ſcien-

ſcientia &c. hoc enim determinatè requiritur à Legislatore, cuius voluntas eſt menſura totius obligationis in lege. his poſitis.

RESOLVTIO I.

8 AD Caſum reſpondetur primo; Beneficiarium, Eccleſiæ bona, cum eà conſcientià alienando, mortaliter peccaſſe: ita *S. Thom. prim. ſecun. qu. 76. ar. 3. Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 82. ſec. 3. Caſtropal. tom. 1. tract. 2. diſp. 1. pun. 16. Vaſquez diſp. 60. c. 2. n. 6. Becanus par. 2. tract. 1. cap. 4. q. 7. num. 5. Clauis regia lib. 1, cap. 4. num. 27. Sanch. lib. 1. in dec. c. 17. num. 20. Reginald. lib. 11. nu. 30. & alij.*

9 Probatur primo; quia poſità ſuſpicione de legis exiſtentià, Beneficiarius tenebatur inquirere, num verè daretur; quælibet enim lex, eo ipſo, quod de eà datur ſuſpicio, ad hoc obligat, vt dictum eſt. Ergo, non inquirendo, peccauit contra legem; & quia materia erat grauis, & negligentia in inquirendo fuit ſimiliter grauis, etiam peccatum fuit graue.

10 Secundo; quia, eo ipſo, quod datur ſuſpicio de legis exiſtentià, poteſt quis erroneam conſcientiam deponere; poteſt enim inquirere, num verè detur: ergo, ſi illam non deponat, voluntariè retinet, ſicque malum, quod ex eà ſequitur, illi indirectè cenſetur voluntarium, & conſequenter, vt tale, ei imputatur ad culpam. Cum igitur Beneficiarius, prohibitionis ſuſpicionem habuerit, conſcientiam erroneam deponere poterat, inquirendo; ideoque, negligendo inquiſitionem, eamque conſcientiam non deponendo, voluntariè retinuit; atque ita indirecte voluit quidquid ex tali conſcientià ſecutum eſt; legis ſcilicet Eccleſiaſticæ tranſgreſſionem, & conſequenter peccauit.

11 Tertio; quia quælibet lex, non ſolùm obligat ad vitandam eius tranſgreſſionem, ſed etiam periculum proximum tranſgreſſionis; hoc enim ad eius obſeruantiam eſt neceſſarium. Beneficiarius autem, poſità ſuſpicione de lege, non inquirendo, proximo periculo ſe expoſuit illam violandi; ergo illam violauit; & quidem grauiter, cum omnem inquiſitionem omnino neglexerit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes autem in contrarium, Reſpondetur; ad primam; eſſe maximam diſparitatem inter Ruſticum, & Beneficiarium; nam ille habebat conſcientiam erroneam omnino inuincibilem, hic vero vincibilem.

13 Ad ſecundam; bonorum alienationem fuiſſe quidem Beneficiario propoſitam, vt bonam, ſed vincibiliter, ita vt in eius poteſtate eſſet, illam per legis inquiſitionem deponere, atque ad hoc teneretur. Conſcientia autem erronea, non eſt culpabilis, quatenus repreſentat alienationem, vt bonam, ſed quatenus, poſità ſuſpicione de legis exiſtentià, per eius inquiſitionem vin-

vinci, ac deponi poteſt, & debet, nec tamen vincitur, ac deponitur.

14 Ad confirmationem vero reſpondetur; leges humanas, licet benignæ ſint, nec obligent cum tanto rigore, obligare tamen, cum de eis datur ſuſpicio, ad aliquam diligentiam adhibendam in inquirendo. Beneficiarius autem nullam prorſus diligentiam adhibuit, adeoque negligentia fuit grauis, & conſequenter mortalis.

RESOLVTIO II.

15 RESpondetur tamen ſecundò; Beneficiarium pęnas *ab Extrauagante* impoſitas, non incurriſſe. *Ita Nauar. cap.27 n.141. Couarru. alios referens de cr.4. par.2 c.6. §.9. num.21. Bart. in L. ſi adult. num.11. ff. ad legem Iuliam de Adult. Anchar. in clem. 1. de conſan. col.3. Caietanus v. excom. cap.58. Syluester v. ignor. qu. 8. diſ.4. num. 18. Aluarez. 1. 2. d. 158. in fine. Henriq. lib. 13. de excom. cap.23. num.3. Suarez to. 5. in tertiam par. diſp.4. Sec.5. n.1. Molina tr.5. de iuſt. diſp.7. nu.13. Sanch. alios referens de matr. lib.9. diſp.32. num.36. Baſilius Pontius lib.10. de matr. cap.6. nu.10. Auila de cenſ. p.2. cap.6. d.10. d.6. Toletus lib.7. cap. 48. Bonacina de cenſ. diſp.1. quæſt.1. pun.1. nu.11. Diana par.3. tr.5. reſ.13. & fere omnes communiter.*

16 Probatur primò; quia in hac Extrauag; Excomunicatio, & aliæ pęnæ, imponuntur non Eccleſiæ bona alienantibus, ſed alienare præſumentibus, vt patet ex ipſo textu; Beneficiarius autem non præſumpſit; habebat enim conſcientiam erroneam, cum quà repugnat legis notitia, & conſequenter præſumptio, quæ eſſentialiter hanc notitiam ſupponit, cum temeritas, præſumptio, & audacia contra legem dari non poſſint, quandiu hæc ignoratur.

17 Secundò, quia lex non obligat niſi iuxta Legiſlatoris intentionem verbis expreſſam, cum tota legis obligatio ab eius voluntate pendeat; ſed in hac, & ſimilibus legibus, Pontificis intentio verbis expreſſa, eſt, punire ſolùm præſumentes; ergo hi ſoli puniuntur; inter hos autem non fuit Beneficiarius, cum legis notitiam non habuerit, ſed ſolùm ſuſpicionem.

18 Tertiò; quia lex, dum ad pęnam incurrendam, requirit præſumptionem, ac ſcientiam, intendit punire ſolum delictum expreſsè, ac formaliter in ſe volitum, non verò volitum ſolùm indirectè, & in causà; ad quid enim aliàs requireret præſumptionem, ac ſcientiam? Beneficiarius autem, huius extrauagantis tranſgreſſionem formaliter, ac directè velle non potuit, cum eius notitiam non haberet, ſed indirectè ſolùm, in ipsà negligentià inquirendi, tamquam in causà; tota enim malitia huius tranſgreſſionis fuit, culpabilis negligentia inquirendi; imò ipſa bonorum alienatio, aliam malitiam non habuit, præter eam, quæ fuit in ipsà culpabili negligentià. Cum ergo Beneficiarius extrauagantis tranſgreſ-

ſio-

ſionem directè non voluerit, ſed ſolum indirectè, conſequenter nec eius pęnas incurrit.

19 Neque dicas *cum Graſſio par. 1. deciſ. lib. 4. cap. 9. num. 20.* qui ſuſpicionem habens de lege eam violat, irrationabiliter violat, & conſequenter eſt eius temerarius tranſgreſſor; temeritas autem præſumptionem importat.

20 Negatur enim conſequentia; nam ad temeritatem, requiritur voluntas expreſſa legem tranſgrediendi; hæc autem, ſine iuris, vel facti notitià haberi non poteſt, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum.

21 Neque dicas ſecundò cum *Alterio de Cenſ. lib. 1. diſp. 14. cap. 1.* Qui legis ſuſpicionem habens, eam tranſgreditur, contemnere videtur; eo enim ipſo, quod non inquirit, ac conſcientiam erroneam deponit, cenſetur velle aliquid omittere, vel facere, non obſtante lege in contrarium; qui autem legem contemnit, eam cum præſumptione, ac temeritate violare videtur.

22 Negatur enim ſimiliter Antecedens. Nam ad contemptum, requiritur voluntas formalis, ac directa faciendi aliquid, non obſtante lege; nec ſufficit voluntas quælibet indirecta, ſiue virtualis, ac interpretatiua; alioquin omnes legis tranſgreſſores ex merà ignorantià, vel errore vincibili, dici poſſent temerarij, ſicque non diſtinguerentur ab ijs, qui legem ſcientes, ac volentes tranſgrediuntur, quod nemo concedit; hæc autem voluntas haberi non poteſt, quamdiu lex ignoratur.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò; tam eſſe peccatum, facere contra conſcientiam erroneam, quam iuxta illam; ſi quis enim, ex errore vincibili, putaret, furandum eſſe ad faciendam eleemoſinam, peccaret non furando, quia faceret contra conſcientiam, & peccaret etiã furando, quia faceret contra debitum inquirendi, ac conſcientiam erroneam deponendi; cum enim vincibilis ſit, deponi poteſt.

24 Secundò; hanc eſſe differentiam inter conſcientiam erroneam culpabilem, ac inculpabilem, quod inculpabilis obligat, non ſolum negatiuè, ne contra illam faciamus, ſed etiam poſitiuè, vt faciamus iuxta illam, cum illam deponere, in noſtrà poteſtate non ſit. At vero culpabilis, obligat ſolum, ne contra eam faciamus, ſed non vt faciamus iuxta illam, cum illam deponere poſſimus. *Vaſquez. 1. 2. diſp. 60. cap. 2.*

25 Tertiò; poſito, quod quis conſcientiam erroneam deponere nolit, neque debitam adhibere diligentiam ad veritatem inquirendam, cum aliquando grauius peccare, conſcientiam vincibiliter erroneam ſequendo, quam non ſequendo, aliquando vero è contra grauius non ſequendo, quam ſequendo, iuxta materiæ grauitatem, vel leuitatem; ſi enim exiſtimet, mentiendum eſſe ad vitam conſeruandam, non mentiendo mortaliter peccabit, mentiendo vero, ſolum

venia-

venialiter. Contra vero, ſi exiſtimet, furandum eſſe ad faciendam eleemoſinam, furtum omittendo, venialiter peccabit, furando vero, mortaliter. Ratio autem eſt, quia conſcientia non ligat virtute propriâ, ſed virtute præcepti, quod repræſentat, Ergo quale erit præceptum, talis erit obligatio, & conſequenter etiam peccatum: *Caſtrop. tr. 1. diſp. 1. pun. 6.*

26 Quartò; Quæ dicta ſunt de conſcientià erroneà circa ius, intelligenda etiam eſſe de eadem circa factum; ad præſumptionem enim, vtraque notitia, tam iuris, quàm facti neceſſario requiritur, quia alterà deficiente, tranſgreſſio non eſt amplius directè, & in ſe voluntaria, ſed indirectè ſolùm in conſcientià erroneà, tamquam in cauſà; præſumptio autem non datur ſine directà, ac formali voluntate tranſgreſſionis. Propterea Coniux, habens copulam cum conſanguineà alterius coniugis, vel baptizans, aut tenens in baptiſmo, vel confirmatione filium communem, vel alterius coniugis, pęnam priuationis petendi debitum non incurrunt, ſi ex conſcientià erroneà hoc fecerunt, quia *in c. 1. de eo, qui cognouit conſangu. & ca. ſi vir. de cognatione ſpirituali*, requiritur præſumptio. *Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 32. num. 49.*

27 Quintò; Contrahentem matrimonium cum conſanguineà, vel affine in gradu prohibito, ſi per errorem putabat, non eſſe conſanguineam, vel affinem, non incurrere excommunicationem. *Clem. vnic. de conſangu. & affinit.* quia ibi excommunicantur ſolum, hoc facere præſumentes. *Nau. cap. 27. ſum. nu. 141. Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 48. num. 19. Suar. tom. 5. in tertiam partem diſp. 23. ſect. 5. num. 14.*

28 Sextò; Eos, qui Hæreticum, vel eius receptatorem, aut fautorem Eccleſiaſticæ tradunt ſepulturæ, excommunicationem *c. quicumque; de Haret. in 6.* non incurrere, ſi quomodocumque, per errorem putabant, illum non eſſe hæreticum, vel fautorem, aut receptatorem, quia hæc pęna fertur in præſumentes. Ad hanc tamen excomunicationem incurrendam, quàmuis non intercederet error, requireretur, vt homines illi, per publicam ſentētiam, de crimine hæreſis, vel receptionis, eſſent damnati; *ob extrauag. ad euitanda*; vt notat *Suarez tom. 5. in 3. par. diſp. 12. ſect. 4. num. 13.*

29 Septimò; Excommunicationem, quæ habetur *in extrauag. Sixti IV.* quæ incipit; *graue nimis*; & eſt Papæ reſeruata, vbi excommunicantur omnes, qui affirmant, eſſe hæreſim, aut peccatum mortale, aſſerere, Beatam Virginem eſſe conceptam ſine peccato originali: Quam conſtitutionem confirmauit poſtea Pius V. in motu proprio, qui incipit. *Super ſpeculam:* & extendit etiam ad eos, qui aſſerunt, celebrantes officium Conceptionis, vel audientes concionem illorum, qui eam ſine maculà peccati conceptam eſſe prædicant, aliquod peccatum, committere. Hanc inquam excommunicationem non incurrere, qui

ex

ex errore, hoc aſſereret; quia fertur ſolùm contra eos, qui auſu temerario id aſſerere præſumunt. *Suar. tom. 5. in 3. par. diſp. 22. ſec. 5. num. 31.*

30 Octauò; idem dicendum eſſe de cenſuris, quæ à Pio V. in bullà, quæ incipit. *Regularium Perſonarum*: imponuntur Religioſis, mulieres cuiuſcumque ſtatus, vel conditionis, intra eorum clauſtra introducentibus, vel admittentibus; & à Gregorio XIII. tàm mulieribus monaſteria Religioſorū ingredientibus; quàm Viris, ac Mulieribus, ingredientibus Monialium Monaſteria; quia hæ etiam latæ ſunt contra præſumentes. *Sanchez lib. 6. in dec. cap. 17. num. 34.*

31 Nonò; Idem dicendum eſſe etiam de cenſuris Papæ reſeruatis, quæ habentur in decr. Clem. VIII. vbi prohibetur Sacerdotibus, tam regularibus, quàm ſæcularibus, ſub pęnà excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, alijſque pęnis, ipſo facto, incurrendis, ne abſoluere præſumant à caſibus, clarè, vel dubiè in Bullà Cænæ contentis, vel alias quomodocumque Summo Pōtifici reſeruatis; neque à caſibus, quos locorum Ordinarij ſibi reſeruant, ſine eorum licentià, in ſcriptis obtentà; non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs &c. Quia feruntur ſolùm contra præſumentes. Hoc tamen decretum, idem Pontifex poſtea moderatus eſt, declarans, ſub prohibitione comprehendi ſolùm caſus bullæ Cænæ; Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis Greg. XIV. Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem; Pugnantium in duello iuxta decretum Conc. Trid. & conſtit. Greg. XIII. Inijcientium manus violentas in Clericos, iuxta Canonem: *Si quis*; ac iuris diſpoſitionem; Simoniæ realis ſcienter contractæ; & confidentiæ beneficialis; ac omnes caſus, quos locorum Ordinarij ſibi reſeruant; & auferens pęnam inhabilitatis ad audiendas confeſſiones, ac neceſſitatem licentiæ in ſcriptis.

32 Hic autem obiter aduerte primò, huius decreti cenſuras, ac pęnas, non incurrere, abſoluentes Romæ vel extra Italiam; quia decretum ligat ſolum Sacerdotes per vniuerſam Italiam, extra Vrbem, degentes. Neque abſoluentes à caſibus, Epiſcopo reſeruatis à iure; quia decretum loquitur ſolùm de caſibus quos Epiſcopi ſibi reſeruant. Imo, qui habebant priuilegium abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Pontifici reſeruatis; ex vi illius, abſoluere poſſunt à caſibus Epiſcopo reſeruatis à iure, ſicut ante hoc decretum, & à Papalibus occultis, quia hi, per Tridentinum, facti ſunt Epiſcopales, *Sanch. lib. 4. in Dec. c. 54. num. 27.*

33 Secundò; Incurrere pęnas huius decreti, abſoluentes in Sicilià, Sardinià, Corſicà, & alijs inſulis Italiæ adiacentibus; tum quia dicuntur partes Italiæ *L. Inſula ff. de iudic.* & inter Italiæ prouincias numerantur *à Magino in ſuà Geographià par. 2.* vbi agit de Italià. Tum quia, quamuis non eſſent par-

tes, ſed fines Italiæ, adhuc venirent nomine Italiæ; ſicut, nomine Romæ, veniunt etiam ſuburbia. Tum quia, quamuis non comprehenderentur, nomine Italiæ ſimpliciter prolato, adhuc venirent, ratione ſigni vniuerſalis à Pontifice additi; in decreto enim prohibetur abſolutio omnibus Confeſſarijs per vniuerſam Italiam degentibus; nomine ergo vniuerſæ Italiæ, veniunt etiam Inſulæ adiacentes; ſicut diſpenſatio ad omnia beneficia, extenditur etiam ad curata, licet diſpenſatio ſimpliciter ad beneficia, ad illa non extendatur. Tum denique; quia in iſtis Inſulis, vſu receptum iam eſt, vt Confeſſarij, quantumuis priuilegiati, poſt dictum Clementis VIII. decretum, à caſibus Summo Pontifici, vel Epiſcopis nominatim reſeruatis, non abſoluant, niſi iuxta moderationem in ſecundo decreto factam; conſuetudo autem, eſt optima legum interpres. Die tamen 18. noui 1638. Sacra Card. Congreg. ex mandato Vrbani VIII. derogauit priuilegijs Regularium in ordine ad caſus, quos ſibi reſeruant Epiſcopi, etiamſi Regulares exiſtant extra Italiam, vt aduertit *Diana par. 1. tr. 1. 17. reſ. 30. in fine*.

34 Tertiò: Probabilius, huius decreti pœnas non incurrere, abſoluentes in Romæ ſuburbijs. Primò; quia, licet in materiâ odiosâ, nomine Vrbis, non veniant ſuburbia, vt habetur *in L. 2. ff. de verbor. ſignific.* ſecus tamen eſt in materiâ fauorabili, vt prob. *Menoch. de arb. lib. 2. cent. 2. caſu 155. n. 10.* vnde natus in ſuburbijs, dicitur natus in ciuitate. *L. qui in continent. ff. de verb. ſignific.* In caſu autem noſtro, materia eſt fauorabilis; nam, quãuis Decretum, quatenus continet prohibitionem abſoluendi, & derogationem priuilegiorum, ſit odioſum; quatenus tamen ab hac prohibitione excipit Confeſſarios in Vrbe degentes, eſt fauorabile, ideoque extendi debet etiam ad Confeſſarios, in Romæ ſuburbijs commorantes. Secundò; quia, quamuis nomine Vrbis, non venirent ſuburbia, quatenus Vrbs eſt nomen appellatiuum, venire tamen debent, quatenus eſt nomen proprium, & ſignificat Romam, ſicut venirent nomine Romæ.

35 Quartò; hoc decretum non tollere priuilegia pro mortis articulo, quia ibi expreſſe habetur *niſi in mortis articulo*, hoc autem eſt maximæ vtilitatis; cum enim Religioſi tunc abſoluere poſſint, virtute priuilegij Apoſtolici, conſequenter abſoluunt tanquam delegati Pontificis, ideoque in Pænitente ceſſat omnis obligatio ſe amplius præſentandi Pontifici; quod non contingeret, ſi non abſoluerent, virtute talis priuilegij. *Suar. tom. 4. in 3. par. diſp. 30. Sec. 3. num. 5.*

36 Quinto; Excommunicationem huius decreti non incurrere, Sacerdotes non priuilegiatos, qui extra Vrbem, & per Italiam exiſtentes, abſoluunt à caſibus reſeruatis, quia decretum expreſsè de ijs ſolum Sacerdotibus loquitur, qui prætextu ſuo-

ſuorum priuilegiorum, abſoluere præſumunt. Cum autem verſemur in materià pœnali, ac odioſà, decretum extendi non debet ad Sacerdotes non priuilegiatos; ex ſolà enim rationis identitate, lex pœnalis, ac odioſa, quoad pœnam, extendenda non eſt, ſaltem quando ratio, expreſſa non eſt in lege. *Sayr. de cenſ. lib. 3. c. 31. n. 10.*

37 Sextò; nomine Caſuum reſeruatorum, comprehendi, non ſolum peccata reſeruata, ſed etiam cenſuras; quamuis enim, nomine peccati reſeruati, non veniant cenſuræ, quia peccatum dicit culpam, cenſura verò eſt pœna; ſpectato tamen communi vſu, ac modo loquendi Conciliorum, ac Canonum, nomine caſuum reſeruatorum, veniunt etiam Cenſuræ; ſic enim *Trid. Seſſ. 14. cap. 7.* cui titulus eſt; *de Caſibus reſeruatis*; tradit doctrinam etiam de cenſuris, & Paulus II. in extrauag. quæ incipit: *Et ſi dominici*: dicens, ſe velle ſibi aliquos caſus reſeruare, inter illos, enumerat etiam, contentos in bullà cænæ, qui tamen ſunt reſeruati ſolum ratione cenſuræ.

30 Septimò; Eos, qui in excumunicationem, in hoc decreto latam, contra abſoluentes à caſibus Romano Pontifici reſeruatis, inciderunt, abſolui ab illà non poſſe ab ijs Confeſſarijs, qui, ex vi ſuorum priuilegiorum, ante hoc decretum, facultatem habebant abſoluendi ab omnibus caſibus Pontifici reſeruatis; quamuis enim hic caſus, neque in bullà cænæ, neque in 6. caſibus in decreto exceptis, contineatur; Pontifex tamen, in illo, ſibi hanc excommunicationem reſeruat, expreſsè derogando omnibus priuilegijs conceſſis, aut concedendis, abſoluendi à caſibus Pontifici reſeruatis. Quare, in ordine ad hanc excõmunicationem, non plus poteſt Sacerdos priuilegiatus, quam non priuilegiatus; ſicut, propter eandem rationem, Sacerdotes priuilegiati abſoluere non poſſunt ab excõmmunicatione latà ab eodem Clemente VIII. contra prouocantes ad duellum; quia Pontifex, in horum caſuum reſeruatione, derogat omnibus priuilegijs abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis; ideoque priuilegiatis, quo ad hos duos caſus, reuocat priuilegium. *Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. c. 21. nu. 3.*

QVAESTIO III.

Quanta ſit conſcientiæ erroneæ obligatio.

CASVS.

1 ADVOCATVS quidam, quamuis falsò putaret, dare conſilium diebus feſtis, eſſe peccatum in genere, non diſtinguens, vtrum eſſet mortale, vel veniale, (ſicut ſolent facere Ruſtici, dum in Deum iurant, vel verbum inhoneſtum dicunt) oblatâ tamen occaſione, illud dedit; quæritur, vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

5 *Conſcientia erronea refundit in actum, bonitatem, vel malitiam illius generis, quod repræſentat.*

6 *Operans cum conſcientiâ erroneâ, quod ſit peccatum in genere, mortaliter peccat.*

11 *Volens malum in genere, cenſetur illud velle, ſiue graue ſit, ſiue leue.*

12 *Putans, aliquid eſſe peccatum in genere, peccat contra præceptum dictans, bonum eſſe ſequendum.*

13 *Putans, aliquid eſſe virtuoſum, facit actum illius virtutis, quam putat.*

14 *Si tamen error ſit vincibilis, opus non eſt bonum, ſed malum.*

15 *Peccans contra conſcientiam, & præceptum ab eâ propoſitum, vnum tantum peccatum committit.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis conſcientia erronea obliget iuxta naturam actionum, quæ exercentur, difficultas tamen eſt, quænam ſit eius obligatio, dum dictat ſolum, aliquid eſſe peccatum in genere. Propterea Conſiliarius, venialiter tantum peccaſſe videtur. *Nauar. in ſum. præl. 9. num. 9. Valentia prim. ſecund. diſp. 2. quæſt. 14. q. 3. Salas tr. 3. diſ. 4. ſec. 3. num. 36.*

3 Primò; quia in conſilio, quod dedit, apprehendit ſolum malitiam in communi; qui autem vult aliquod malum ſolum in communi, non vult malum, excedens culpam venialem, alioquin iam non vellet malum veniali, ac mortali commune.

4 Secundò; Quia, qui vult aliquid, apprehendens ſolum, eſſe peccatum in genere, non magis conſentire videtur in peccatum mortale, quàm

in

in veniale, alioqui non abſtraheret ab vtroque; ſi autem non magis inclinat in mortale, quàm in veniale, nulla eſt ratio, cur mortaliter potiùs peccet, quàm venialiter; cum ergo aliunde ratio illa communis malitiæ, ſit imperfecta in ratione malitiæ, eo quod ſe contineat intra limites malitiæ, mortali, ac veniali communis, ſequitur, eam eſſe ſolùm venialem, & conſequenter qui eam vult, peccare ſolùm venialiter.

NOTABILE.

5 ADuertendum eſt; eum, qui facit aliquid contra conſcientiam erroneam, falsò credens, eſſe peccatum, committere peccatum illius ſpeciei, quam conſcientia apprehendit, ita vt peccatum ſit contra iuſtitiam, ſi conſcientia apprehendat, eſſe contra iuſtitiam, vel contra temperantiam, ſi conſcientia apprehendat, eſſe contra temperantiam; eo enim ipſo, quod apprehendit, aliquid eſſe contra iuſtitiam, voluntas in illud tendens, cenſetur habere affectum ad peccatum contra iuſtitiam, cum voluntas feratur in obiectum, ſolùm prout illi repræſentatur, vt dictum eſt; hoc poſito.

RESOLVTIO.

6 REſpondetur, Aduocatum, dando Conſilium cum eà conſcientià erroneà, probabilius mortaliter peccaſſe. *Bonacina d.2. de pec. qu.4. pun.6. n.12. Vaſqu.1. 2. diſp.59. cap.3. Clauis reg. lib.1. cap.4. num.17. Sanch. in ſum. lib. 1. cap.11. num.6.*

7 Primò; Quia, qui facit aliquid, falsò putans, eſſe peccatum, non cognità grauitate peccati, ita videtur affectus, vt, ſi ſciret eſſe mortale, illud adhuc vellet; cenſetur enim illud velle, qualecunque ſit, cum ex ſe ad vtrumque ſit indifferens; qui autem affectus eſt ad peccatum mortale, mortaliter peccat. Cum ergo Aduocatus, cum illà conſcientià erroneà, ex ſimili affectu conſilium dederit, dicendus eſt, peccaſſe mortaliter.

8 Secundò; quia, qui putat, aliquid eſſe malum in genere, tenetur examinare, ac perpendere, an malum illud ſit graue, vel leue, alioquin ſe exponit periculo peccandi, non ſolum leuiter, ſed etiam grauiter, ſicque peccat mortaliter. Cum ergo Aduocatus falsò putarit, dare conſilium diebus feſtis, eſſe malum in genere, tenebatur inquirere, num eſſet malum graue, vel leue, & conſequenter, non inquirendo, mortaliter peccauit, quia ſe expoſuit periculo peccandi mortaliter.

9 Tertiò; quia, qui vult obiectum venialiter malum, dubitans an ſit mortale, in omnium ſententià, mortaliter peccat, quia exponit ſe periculo peccandi mortaliter. Sed, dum quis vult aliquid, quod illi repræſentatur, vt malum, non diſtinguendo, an ſit mortale, vel veniale, iam, quantum eſt ex parte illius voluntatis, exponit ſe periculo peccandi mortaliter; ergo mortaliter peccat. Cum ergo Ad-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

uocatus, huic periculo ſe expoſuerit, mortaliter peccauit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 NEque obſtant rationes in contrarium; ad primam enim; negatur minor. Nam, quamuis malitia in communi non excedat determinatè culpam venialem, illam tamen excedit ſaltem indeterminatè; hoc autem ſufficit, vt voluntas illam amplectens, cenſeatur indeterminatè ſaltem, malitiam mortalem amplecti, ſicque mortaliter peccare.

11 Ad 2. Reſpondetur; Eum, qui vult aliquid, apprehendens eſſe malum in genere, non diſtinguendo, an ſit veniale, vel mortale; cenſeri in vtrumque conſentire indeterminatè; hoc autem eſt ſufficiens ad peccandum mortaliter, quia eo ipſo, ſe exponit periculo peccandi mortaliter, non minus, quàm qui vult aliquid veniale, dubitans eſſe mortale.

COROLLARIA.

12 COlligitur ex dictis primò; Eum, qui falsò putat, opus aliquod indifferens, eſſe malum in genere, ad nullam ſpeciem in particulari deſcendendo, peccare contra præceptum generale, dictans, bonum eſſe ſequendum, & malum fugiendum; ſicut contra illud peccat, qui in genere proponit peccare; quia hoc præceptum prohibet peccatum in genere. *Vaſqu.* 1.2. *diſp.* 59. *cap.* 3.

13 Secundò; Eum, qui facit aliquod opus malum ex conſcientiâ erroneà, inuincibiliter credens, eſſe bonum; facere actum illius virtutis, ad quam, errans putat, actum illum pertinere: tum quia, qui facit aliquod opus indifferens, aut bonum, putans inuincibiliter, eſſe malum, peccat contra illam virtutem, contra quam, errans putat, ſe peccare; ergo à contrario, quando putat, ſe elicere actum temperantiæ, aut iuſtitiæ, faciet actum temperantiæ, aut iuſtitiæ. Tum quia, qui facit actum ex præcepto debitum, facit actum bonum; qui autem facit actum, putans, eſſe bonum, facit actum debitum ex præcepto, à conſcientià erroneà, actum illum dictante, apprehenſo. Tum quia, actus ſic elicitus, cum ſit conformis conſcientiæ erranti, eſt conformis ſuæ regulæ; regula enim humanorum actuum, eſt conſcientia. Tum denique, quia actus humanus, ſumit ſuam ſpeciem ab obiecto, prout voluntati proponitur; cum ergo obiectum malum, per conſcientiam erroneam ſupponatur proponi vt bonum, voluntas illud volens, erit bona ac virtuoſa, eo genere virtutis, in quo obiectum illud eſſe proponetur.

14 Tertiò; Eum, qui facit aliquod opus malum, putans vincibiliter eſſe bonum, non facere actum bonum; Tum, quia error, ſiue ignorantia vincibilis non excuſat à peccato, cum habeat annexum voluntarium ſuficiens ad peccatum, & obligationem inquirendi. Tum quia conſcientia erronea, eo ipſo, quod

quod eſt vincibilis, eſt culpabilis ; Ergo actum ex illà factum non poteſt reddere bonum .

15 Quartò ; Eum , qui agit contra conſcientiam, ex eo præciſè, non peccare peccato aliquo ſpeciali,& contra aliquod præceptum ſpeciale; qui enim hodie ſciens, eſſe diem feſtum , omittit ſacrum , non committit duo peccata , vnum quatenus agit contra conſcientiam dictantem, audiendum eſſe ſacrum, & contra præceptum naturale de non operando contra dictamen conſciētiæ; aliud verò quatenus facit contra præceptum Eccleſiæ , illudque violat: ſed vnum ſolum contra Eccleſiæ præceptum . Ratio autem eſt , quia , cum nulla virtus, aut præceptum obliget, niſi mediante conſcientiæ iudicio ac dictamine , quod eſt immediata noſtrarum operationum regula , ſequitur, ipſam virtutis ac præcepti notitiam , eandem ſolum vim obligandi habere , quam habet ipſa virtus ac præceptum, & non aliam; ideoque qui peccat contra conſcientiam , non peccare contra duplicem regulam , ſcilicet contra conſcientiam,& contra præceptum, ſed ſolum contra ipſum præceptũ , ſibi per conſcientiam, ſiue veram , ſiue falſam , propoſitum ; vnde in confeſſione explicare non tenetur circunſtantiam conſcientiæ , ſiue veræ , ſiue erroneæ , ſed ſatis eſt dicere , omiſi Sacrum . *Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. pun. 7.*

QVAESTIO IV.

An conſcientia erronea plus obliget , quàm præceptum Prælati.

CASVS.

1 MONASTERII cuiuſdam Procurator, cum caſu, Clementis VIII. Conſtitutionem de muneribus legiſſet, eiuſque moderationem penitus ignoraret, munera quędam Principi, ex Pręlati pręſcripto , qui neque Conſtitutionis, neque moderationis notitiam habebat , dare recuſauit. Quoniam verò Principis fauor, erat monaſterio tunc, maximè neceſſarius , ne monaſterij bona omnino perirent, & Pręlatus iudicabat, alià vià id obtineri non poſſe ;

Procuratori in virtute Sanctę Obedientię præcepit, vt munera ſibi iam preſcripta, Principi ferret; ille tamen, non obſtante præcepto, ferre recuſauit; quæritur; vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

6 *Conſcientia obligat non virtute propriâ, ſed virtute præcepti, quod repræſentat.*

7 *Conſcientia erronea, Prælati præcepto præferenda eſt, & cur.*

10 *Conſcientia erronea obligat nomine Dei.*

11 *Præceptum Superioris regulariter obligat ad conſcientiam erroneam deponendam.*

12 *Conſcientia erronea, quid requirat, vt plus obliget quam Prælati præceptum.*

14 *Etiam, quando eſt vincibilis, ſtrictius obligat, quam præceptum Prælati.*

RATIONES DVBITANDI.

2 VT magis adhuc conſcientiæ vis ad obligandum appareat, præſens quæſtio proponitur. Videtur autem Procurator mortaliter peccaſſe. *ita Angelus v. conſcientia, num. 2. Siluester ibi quæſt. 2. Alenſis par. 2. qu. 120. memb. 3. ar. 2. S. Antonin. par. 1. tit. 3. cap. 10. §. 4.*

3 Et ſuadetur primò; quia Procurator magis obedire tenebatur præcepto Prælati, quã ſuæ cõſcientiæ erroneę; Prælatus enim præcipiebat nomine Dei, & ex poteſtate à Deo deriuatâ; huius autem nomine, illum non obligabat conſcientia erronea; ergo ſequendo conſcientiam erroneam, eamque præferendo præcepto Prælati, mortaliter peccauit; Prælatus enim Deum repræſentabat, cuius virtute præcipiebat, quem non repræſentabat conſcientia erronea.

4 Secundò; quia præceptum Prælati obligabat Procuratorem, non ſolum ad rem præceptam exequendam, ſed etiam ad conſcientiam erroneam deponendam; quodcumque enim præceptum, habet vim obligandi, non ſolùm ad vitandam eius tranſgreſſionem, ſed etiam ad vitandum periculum proximum ipſius tranſgreſſionis; & quando de eà dubitatur, ad quærendum, an detur; & ad præſumendum, quod res præcepta ſit licita, quandiù non apparet oppoſitum; Cum ergo Procurator, conſcientiam erroneam nõ depoſuerit, nec præcepto paruerit, conſequenter mortaliter peccauit.

5 Tertiò; quia, ſi conſcientia erronea, haberet vim magis obligandi, quàm præceptum Prælati, & conſequenter ab eius obedientià excuſandi, aperiretur ſubditis diſcolis etiam religioſis via, ad ſe excuſandum ab obedientià ſuorum Prælatorum; Reſpondere enim ſemper poſſent Prælatis præcipientibus, eorum conſcientiam illis con-

contrarium dictare; hoc autem in maximum, tàm politicę gubernationis, quàm regularis obſeruantiæ detrimentum redundaret, vt per ſe patet; maiorem ergo obligandi vim habere debet Prælati præceptum, quàm conſcientia erronea; ideoque Procurator, illi potius, quàm huic obedire debuit, & conſequenter, non obediendo, peccauit.

NOTABILE.

6 ADuertendum eſt; Conſcientiam, obligare, non virtute propriâ, ſed ſolùm virtute legis, quàm repræſentat, vt dictum eſt ſupra; *qu.*1. *corol.* 2. ipſa enim ex ſe, non eſt lex, ſed ſolùm eſt applicatio legis, ſiue Diuinæ, ſiue naturalis, ſiue humanæ ad obligandum, quatenus eſt conditio eſſentialiter requiſita ad hoc, vt obligent; neque enim leges iſtæ obligare poſſent voluntatem, niſi illi ab intellectu per cognitionem proponerentur, cum nihil poſſit eſſe volitum, quin præcognitum. Conſcientia ergo; leges iſtas voluntati proponendo, ac repræſentando, illam ſolam obligationem inducit, quam inducunt ipſæ leges, ſiue verè, ſiue falsò, à conſcientiâ propoſitæ, ita vt, ſi ſit propoſita lex diuina, obligatio ſit diuina, ſi repræſentetur lex humana, obligatio ſit humana, ſi repræſentetur lex ſuperior, etiam obligatio ſit maior. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 REſp. Procuratorem, contra Prælati præceptum, ex conſcientiâ erroneâ, munera Principi non dando, nullo modo peccaſſe. *Clauis reg. lib.*1. *cap.*4. *num.*33. *Vaſqu. p.* 2. *diſp.*61. *cap.*1. *Sanch. in ſum. lib.*1. *cap.*11. *num.*16. *Bonac. diſp.*2. *qu.*4. *pun.*6. *n.*17.

8 Probatur primò; quia, Procurator, per errorem inuincibiliter putabat, dare munera Principi, ſibi eſſe illicitum; putabat enim, eſſe à Pontifice prohibitum; poſito autem hoc errore, licitè obedire non poterat Prælato præcipienti, ſed tenebatur obedire conſcientiæ erroneæ; non quia conſcientia erronea, ex ſe, illum magis obligaret, ſed quia repræſentabat legem Pōtificis, quæ illũ magis obligabat, quàm præceptum Prælati, eo quod Pontifex eſſet eius ſuperior; obediendo ergo conſcientiæ erroneæ in hoc caſu, nullo modo peccauit; ſic enim obediuit Pontifici, cui magis tenebatur obedire, quàm Prælato.

9 Secundò; Quia, ſi Procurator, per errorem inuincibiliter putaſſet, Prælati Vicarium prohibuiſſe, ne darentur munera Principi, peccaſſet, ſi Prælato præcipiente dare munera, non dediſſet; ergo etiam peccaſſet, ſi poſitâ erroneâ apprehenſione Pontificiæ prohibitionis, Prælato præcipiente, dediſſet; ideoque non dando, peccare non potuit: ideo enim in primo caſu peccaſſet, quia magis tenebatur obedire Prælato,

lato, quàm eius Vicario; ſed etiam magis tenebatur obedire Pontifici, quàm Prælato; ergo etiam, in ſecundo caſu, peccaſſet, & conſequenter, obediendo præcepto Pontificio per errorem apprehenſo, non peccauit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; ad primam; etiam conſcientiam erroneam obligaſſe Procuratorem, mediatè nomine Dei, quatenus, licet falsò, repræſentabat tamen legem Pontificis, qui ipſe quoque præcipiebat nomine Dei; & quia Pontifex ſuperior erat Prælato, ideo conſcientia, legem Pontificis repræſentans, obligare magis potuit, quàm præceptum Prælati.

11 Ad 2. Reſpondetur; regulariter loquendo, præceptum Superioris, obligare etiam ad deponendam conſcientiam erroneam, vel ad inquiſitionem faciendam, quia dat ſufficiens fundamentum dubitandi circa rem præceptam, quod ſit licita; poſito autem dubio; iam conſcientia erronea non eſt amplius inuincibilis, & excuſabilis, ſed vincibilis, ac culpabilis, donec debita adhibeatur diligentia ad dubium vincendum; hac enim adhibità, ſi dubium vinci non poſſit, iam conſcientia erronea iterùm cenſetur inuincibilis, & inculpabilis, ſicut erat, antequàm dubium occurreret. In caſu autem præſenti, error erat omnino inuincibilis, quia à Prælato tolli non poterat, cum Prælatus ignoraret moderationem Conſtitutionis non minus, quàm ipſe Procurator; quando autem eſt omnino inuincibilis, præceptum Prælati obligare non poteſt ad illum deponendum, alioqui iam non eſſet inuincibilis.

12 Ad 3. Negatur ſequela: neque enim quælibet conſcientia erronea fatua, eſt ſufficiens ad excuſandum ab obedientià Prelati, ſed requiritur primò, vt conſcientia erronea repræſentet legem aliquam ſuperiorem lege Prælati præcipientis; ſecundò, vt ſit inuincibilis, & per Prelati præceptum tolli non poſſit; ex eo autem, quod conſcientia, hoc modo erronea, excuſet ab obedientià Prelati, nullum ſequitur inconueniens, nec vlla diſcolis aperitur via ad ſe excuſandum; ipſis enim ſemper incumbit onus probandi, & oſtendendi, quod eorum conſcientia erronea, ſit inuincibilis, ita vt Prelato præcipienti credere, & eius præcepto ſe conformare non poſſint.

COROLLARIA.

13 COlligitur ex dictis primò; conſcientiam, quando inuincibiliter errat, plus, hoc eſt ſtrictius obligare, ſecundum ſe, quam Prelati præceptum, cęteris paribus, quia qui conſcientiam inuincibiliter errantem ſequitur, non peccat; qui autem tunc Prælati præcepto obedit, peccat contra illius conſcientiæ dictamen, quandiù illud non deponit.

14 Secundò; conſcientiam, etiam quan-

quando culpabiliter errat, adhuc ſtrictius, hoc eſt, ſub grauiori culpà obligare, quàm Prælati præceptum; tum quia agens contra conſcientiam, peccat contra proximam regulam actionum humanarum, & quà ſolùm mediante, præcepta quæcumque, vim habent obligandi; tum quia peccat etiam directè contra Dei pręceptum de non agendo contra propriam conſcientiam; illud enim directè violat, contra conſcientiam erroneam operando; Pręlato autem non obediendo, frangit directè ſolùm, pręceptum humanum; & quamuis indirectè tranſgrediatur etiam præceptum Dei, quatenus Pręlatus in eius nomine pręcipit; hanc tamen tranſgreſſionē non vult directè, ſed ſolùm indirectè, quatenus culpabiliter errat.

15 Tertiò; quando conſcientia erronea eſt vincibilis, tunc Prælati pręceptum obligare, non ſolùm ad obediendum, ſed etiam ad talem conſcientiam deponendam; cum enim vincibilis ſit, deponi poteſt, & aliunde eius depoſitio ad obedientiam præcepti eſt omnino neceſſaria; præceptum autem obligans ad finem, obligat etiam ad media ad talem finem neceſſaria.

QVAESTIO V.

An opinio probabilis poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 CLERICVS quidam, cum, gráues aliquot Auctores legens, inueniſſet, beneficiorum pluralitatem, iure naturali, non eſſe prohibitam; tum quia Pontifex de facto in illà diſpenſat; tum quia hęc pluralitas videtur iam conſuetudine introducta, *ex c. iam dudum de præbend.*; tum quia multi viri docti, ac timoratę conſcientiæ, plura de facto beneficia poſſident; tum denique quia, vt ait *Card. in d. c. iam dudum*; alias totus mundus damnaretur; tria beneficia ſatis pinguia ſibi procurauit, ac obtinuit. Poſt aliquot vero menſes, dum legeret D. Thomam, inuenit, beneficiorum pluralitatem, iure naturali, eſſe prohibitam; quia contra rectam rationem videtur eſſe, quod vnus, plurium ſtipendia, alimenta, ac præmia habeat; quod Eccleſia priuetur pluribus miniſtris ſibi debitis;

quod cultus diuinus minuatur; quod templa labantur; quod detur locus ambitioni, ac auaritiæ; quod iuſtitia diſtributiua non ſeruetur; quod Fundatorum intentio fraudetur; quod multi Clerici pauperes magis idonei, ſuâ idoneitate fruſtrentur &c. His tamen non obſtantibus, beneficia obtenta retinuit; quæritur, vtrum, ea retinendo, mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Conſcientia, quid ſit.*
3 *Conſcientia probabilis; quid ſit.*
15 *Quid ſit, eſſe probabile, & quid ad hoc requiratur.*
16 *Aſſenſus opinatiuus, eſt voluntarius.*
17 *Quomodo voluntas, ex opinione probabili, prudenter operetur.*
18 *Operatio ex opinione verè probabili, ex duplici capite eſt prudens.*
19 *Opinio probabilis, non eſt regula immediata operandi.*
20 *Dictamen, quod eſt regula immediata, operationem non præcipit, ſed permittit.*
21 *Opinio remanet probabilis, etiam præſentibus motiuis oppoſitis.*
22 *Quomodo vna opinio ſit aliâ probabilior.*
23 *Clericus, cum opinione probabili, plura retinens beneficia, non peccat.*
25 *Opinio probabilis eſt rationabilis, & prudens.*
26 *Cauſat iudicium euidens, de honeſtate illi ſe conformandi.*
27 *Voluntas illi ſe conformans, prudenter operatur.*
28 *Et certo ſcit, ſe prudenter operari.*
29 *Eſt etiam certa, quod intellectus prudenter proponit operationem, vt licitam.*
30 *Si vſus opinionis probabilis eſſet illicitus, fere nunquam licite operaremur.*
31 *Sequi opinionem probabilem, eſt actus prudentiæ.*
32 *Opinio probabilis aliquando etiam obligat.*
33 *Qui eam ſequitur, nulli ſe periculo exponit.*
34 *Nec formido partis oppoſitæ, obſtat.*
35 *Cur voluntas, opinioni probabili ſe conformando, peccare non poſſit.*
41 *Motiua probabilia, ex Imperio voluntatis, contemni poſſunt.*
42 *Intellectus, tunc eſt voluntati perfecte ſubordinatus.*
44 *Voluntas, peccandi periculo ſe non exponit.*
45 *Experientiâ conſtat, intellectum à voluntate determinari.*
46 *Intellectus vtramque partem iudicare ſimul poteſt probabilem.*
47 *Aſſenſus opinatiuus, eſt regula operandi, ſolum radicalis.*
48 *Vſus opinionis probabilis, conſcientias non relaxat.*
49 *Cum opinione probabili datur iudi-*

iudicium certum, de honeſtate operandi.

50 *Ex vi iſtius iudicij operamur.*

51 *Opinio, eo ipſo, quod eſt verè probabilis, eſt tuta.*

52 *Nulla dari poteſt minus tuta.*

53 *Eſt æquè prudens, ac tuta, ſiue faueat præcepto; ſiue libertati.*

54 *Quæ non eſt certo probabilis, non eſt tuta.*

55 *Illa ſola eſt tuta, de quà dubitari non poteſt, quin ſit probabilis.*

56 *Probabilitas, non idem ſignificat, dum dicitur de opinione, ac de alijs rebus.*

57 *Quæ opiniones ſint practicè improbabiles.*

58 *Opinio eſt ſimilis fidei, præſertim humanæ.*

59 *Quæ formido honeſtatem operationis impediat.*

61 *Doctrina de opinione probabili, eſt communis.*

63 *Eius electio eſt licita, in quacumque materià.*

64 *Etiam ſi rationum oppoſitarum ignoretur ſolutio.*

65 *Etiam alterius opinio poteſt eſſe regula operandi.*

66 *Subditus ſequi poteſt opinionem Superioris.*

67 *Opinio probabilis poteſt eſſe regula in materià iuriſdictionis.*

68 *Et in materià conſilij.*

69 *Etiam in materià litis.*

70 *Etiam opinio ſpeculatiua eſt licita, cum nihil obſtat.*

72 *Poteſt opinio euadere improbabilis, & è contra.*

73 *Quid ſit probabilitas logica, quid moralis.*

74 *Quæ Auctoritas ad prudentem fidei aſſenſum requiratur.*

77 *Syllogiſmus, cuius concluſio, eſt dictamen prudentiæ.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut conſcientia erronea, poteſt eſſe regula rectè operandi, ita certum eſt, hoc ipſum, à fortiori, præſtare poſſe conſcientiam probabilem; Nomine tamen conſcientiæ, non intelligimus hic, vltimum iudicium practicum, prærequiſitum, ex parte intellectus, ad rectè operandum; nam hoc, certum eſt, eſſe ſemper certum, ac euidens, cum ſit actus prudentiæ, quæ, cum ſit virtus intellectualis, fertur ſemper certo, & euidenter in verum. Dum enim format hunc ſillogiſmũ. *Voluntas amplectens, quod illi ab intellectu prudenter proponitur vt bonum, rectè operatur, & peccare non poteſt, quia, cum ſit potentia cæca, ad aliud non tenetur: Sed hic & nunc, voluntati prudenter proponitur hoc, vel illud obiectum tanquam bonum, vt conſtat experientià: Ergo voluntas hic & nunc, illud amplectendo, peccare non poteſt, ſed rectè operatur.* Concluſio hæc, quæ eſt actus prudentiæ, vltimo prærequiſitus ex parte intellectus ad operandum, eſt certa, ac euidens, & ex præmiſſis euidentibus, deducta. Verùm, quia eſt actus reflexus, de eà communiter non loquuntur Auctores, ſed illam ſupponentes, nomine con-

conſcientiæ, intelligunt actum illum, quo, in minori aſſeritur, ab intellectu voluntati directè proponi aliquid, tanquam bonum, vel, malum, honeſtum vel inhoneſtum, Nàm hic ſolus eſt, qui poteſt eſſe aliquando verus, aliquando falſus, aliquando probabilis; & conſcientiam diuidit, in rectam, erroneam, ac probabilem; Dicitur autem conſcientia, quia hic etiam actus, cum ſit requiſitus, ex parte intellectus, ad rectè operandum, dici poteſt aliquo modo regula operandi.

3 Quæſtio igitur eſt; an, ſicut iudicium directum, voluntati falsò proponens aliquid tanquam bonum poteſt illi eſſe regula rectè operandi; ita hoc præſtare poſſit ſimile iudicium, eidem voluntati proponens aliquid, tanquam bonum, non falsò, ſed probabiliter; quamuis enim pars affirmatiua fuerit ſemper apud Antiquos indubitata, & in Eccleſiâ receptiſſima, quia tamen aliqui, nomine probabilitatis abutentes, quamlibet opinionem ſtatim aſſerunt, vt probabilem; aliqui vero; nomine conſcientiæ, ſiue opinionis probabilis, intelligentes vltimum illud iudicium practicum, quod prærequiritur ex parte intellectus, ad rectè operandum; quaſi hoc aſſeratur poſſe eſſe ſolum probabile, in opinionem probabilem acerrimè inuehuntur, fingentes ſibi hoſtem, cumque plurimis argumentorum telis confodientes. Ideo, vt opinio verè probabilis, ab apparenter ſolum probabili diſcerni poſſit, & querelæ, ac rationes, à Recentioribus, contra opinionem probabilem, coacervatæ, penitus euaneſcant; examinandum eſt, quid requiratur, vt opinio aliqua dici poſſit verè probabilis; ſic enim clare apparebit, quàm immerito oppugnetur, & quàm rationabiliter à Sapientioribus, ac Theologis, imo à totâ Eccleſiâ, fuerit ſemper admiſſa, nec aliter omnino fieri poſſit:

4 Aliquibus ergo, Clericus videtur mortaliter peccaſſe: ita *Caietanus v. opinio c.2. & Summiſtæ, quos refert, & ſequitur Paulus Comitolus lib.5. reſp. mor. qu.15. Merenda tract. de Conſilio. Iulius Mercorus, de opinionum probabilitate par.2. ar.4. 7. & 8. qui plurimos Auctores pro vtraque parte, recenſet. Peierinus tom.3. c.1. nu.10 Candidus Phlalethus, opuſc. de praxi opin. quæſt.5. & quidam alij recentiores.*

5 Probatur primò; Quia Clericus, per apprehenſionem motiuorum contra beneficiorum pluralitatem, cæpit eſſe dubius; cæpit enim habere propoſita motiua pro vtraque parte contradictionis, & fere æqualia; vnde ad neutram partem determinare ſe potuit, cum non magis inclinaretur ad vnam, quam ad aliam; operari autem cum conſcientiâ dubiâ, eſt intrinſecè malum; eſt enim operari ſine regulâ, & peccandi periculo ſe exponere.

6 Secundò; Quia, poſt aduentum motiuorum contra beneficiorum pluralitatem, retinere non potuit opinionem probabilem, quam antea habebat ex motiuis oppoſitis; cum

cum enim opinari, ſit aſſentiri vni parti, cum ſolà formidine, ortà ex inefficacià motiui, quod omnino non conuincit, non potuit Clericus, poſt aduentum motiuorum contra beneficiorum pluralitatem, habere ſolam formidinem ortam ex inefficacià motiuorum, quibus innitebatur, ſed neceſſariò cæpit etiam poſitiuè timere de falſitate partis, cui adhærebat, propter æqualem,& fortaſſe maiorem efficaciã motiuorũ partis oppoſitę; Ergo non habuit amplius opinionem probabilem, ſicut antea, ſed potius dubium. Cum dubio autem, plura beneficia retinere non poterat, quia peccandi periculo ſe exponebat.

7 Tertio;quia;Clericus,poſt aduẽtũ motiuorũ contra beneficiorum pluralitatem, de neutrà parte opinari amplius potuit; eo enim ipſo, quod iudicauit, vtramque partem contradictionis, eſſe æqualis fere probabilitatis, iudicauit, vtramque partem,non minus apparere veram, quàm falſam, cum quodlibet motiuum, quo magis ſuam partem facit apparere veram, eo magis oppoſitam faciat apparere falſam; dum autem obiectum æqualiter apparet verum, ac falſum, de illo opinari non poſſumus, quia iudicare non poſſumus, obiectum eſſe verum cum ſolà formidine, quod ſit falſum; ergo Clericus, propoſitis motiuis contra beneficiorum pluralitatem, operari amplius non potuit, ideoque neceſſariò cæpit eſſe dubius. Et ratio à priori eſt, quia motiua vnius partis, licet, quantum eſt ex ſe,& ſeorſim à motiuis oppoſitis, ſint ſufficientia ad cauſandum aſſenſum opinatiuum, ab aliorum tamen præſentià impediuntur, ne de facto cauſent; ſicut pondus in vnà parte lancis, licet ex ſe, ſit ſufficiens grauare,& lancem inclinare, à pondere tamen alterius partis impeditur, ne de facto illam inclinet; ſicque ſaluatur, vtraque motiua eſſe probabilia,& vtraque ſuo effectu carere, & conſequenter intellectum neutri parti aſſentiri poſſe.

8 Quartò; Quia; nemo prudenter, ex duobus ſimilibus poculis, alterum eligeret, ſi ſciret, in eorum altero venenum eſſe permixtum; Neque in biuio poſitus, alteram ex duabus vijs, quarum altera latronibus eſſet infeſta; Aut alterum ex duobus nauigijs, quorum, alterum paſſurum eſſet naufragium. Ergo neque Clericus, alteram ex duabus partibus probabilibus prudenter eligere potuit, cum earum alteram ſciret, eſſe falſam.

9 Quintò; Quia, ſi Clericus, propoſitis motiuis contra beneficiorum pluralitatem, perſeueraſſet in ſuo aſſenſu probabili, quod eorum pluralitas eſſet licita; neceſſario iudicaſſet, opinionem oppoſitam eſſe ſimul falſam,& veram; falſam quidem, dum ſuam iudicauit veram; tùm quia, idem ſaltem virtualiter eſt, affirmare, ſuam eſſe veram, ac oppoſitam eſſe falſam; ſicut idem virtualiter eſt, amare aliquod bonum, ac odio habere malum oppoſitum; tum quia,vtramque ſimul

veram iudicare non potuit; Veram verò, quia iudicauit, eſſe probabilem; imo fortaſſe probabiliorem, hoc eſt, ſibi apparere veram, vel magis veram. Conſequens autem eſt impoſſibile, vt per ſe patet; quid enim abſurdius, quam eam opinionem iudicare falſam, quæ ſibi vera, imo magis vera videtur, & è contra; perſeuerare ergo Clericus non potuit in aſſenſu probabili, quem habebat, & conſequenter remanſit dubius, ac ſine regulà operandi.

10 Sextò; Quia, etiam ſi concedatur, Clericum, poſt propoſitionem nouorum motiuorum, retinuiſſe aſſenſum probabilem, quem antea habebàt, adhuc aſſenſus ille non potuit eſſe ſufficiens regula rectè operandi: hæc enim debet eſſe dictamen prudentiæ, certum, & infallibile; Opinio autem, non eſt certa, nec virtus, ſicut eſt prudentia; Ergo Clericus, beneficia retinendo, ſine ſufficienti, ac debità regulà, operatus eſt, & conſequenter peccauit.

11 Septimò; Quia, ſi Clericus vtramlibet opinionem eligere potuiſſet, nimia daretur licentia operandi; nulla enim daretur regula morum, ſed vnuſquiſque, pro ſuo arbitrio, ac opinione, quidlibet agere fere ſemper poſſet; ducereturque potius opinione, quam certà ſcientià, cum res morales, vt plurimum, in opinione ſint poſitæ, & habeant opiniones vtrimque probabiles. Conſequens autem ſine maximà perturbatione, ac ſcandalo, admitti non poteſt; poſità enim ſemel hac libertate ſequendi opinionem probabilem, omnes ferè leges redderentur inutiles, quia impune violari poſſent, ſequendo opinionem probabilem; & conſciētiæ nimis laxarentur, quia nullam aliam legem agnoſcerent, quam propriam opinionem; quo quid abſurdius?

12 Octauò; Quia, ſi Clericus perſeuerans in ſuà opinione probabili, ex vi illius certificari potuiſſet, ſe hic & nunc, non peccare illam eligendo, nemo vnquam peccaret, ſequendo conſcientiam dubiam; non enim datur conſcientia dubia, niſi cum aliquà probabilitate; ſic, cum dubito, an mihi, hic & nunc, ſcribere liceat, hoc ideo eſt, quia habeo rationes probabiles vtrimque propoſitas; Si ergo motiua illa probabilia, etiam præſentibus oppoſitis, Clericum certificare potuerunt de rectà operatione, ſequitur, omnem conſcientiam dubiam eſſe certam, vel ſaltem habere motiuum, quo poſſit certificari: ſicque nullus vnquam dabitur, qui ex conſcientià dubià operetur.

13 Nonò; Quia, qui ſequitur opinionem probabilem, nunquam certus eſſe poteſt, ſe rectè operari, ſed de hoc ſolum probabilitatem habere; ſi enim Clericus probabiliter tantùm iudicauit, beneficiorum pluralitatem, eſſe licitam; ex hoc aſſenſu probabili, deducere non potuit aſſenſum certum, quod ſibi hic & nunc licitum eſſet, plura beneficia procurare, ſed ſolum probabilem, cum concluſio maiorem certitudinem habere non poſſit, quam præ-

præmiſſę, & hoc iudicium practicum, ex præmiſſis tantùm probabilibus ſit deductum; Conſequens autem eſt abſurdum; qui enim non eſt certus, ſe rectè operari, ſed aliquo modo dubitat, ſiue formidat, num rectè operetur, ſic operando, peccandi periculo ſe exponit, ac peccat; ideoque rectè operari non poteſt; ergo regula operandi, debet eſſe, iudicium certum, non verò ſolùm probabile. Hoc autem argumentum euidenter oſtendere videtur, ſequi nos in praxi non poſſe opinionem probabilem.

NOTABILIA.

14 HÆc, & fere ſimilia ſunt Recentiorum argumenta contra opinionem probabilem, quæ, quam parum roboris habeant, facilè ex ipsà opinionis vere probabilis naturà, ac conditione, conſtabit.

15 Aduertendum igitur eſt primò; opinionem aliquam eſſe probabilem, nihil eſſe aliud, quam opinionem illam, ex vi ſuorum motiuorum, ita apparere veram, vt mereatur, ſiue ſit digna aſſenſu opinatiuo; ſicut miſterium aliquod Fidei eſſe credibile, nihil eſt aliud, quam miſterium illud taliter proponi, vt mereatur, ſiue ſit dignum aſſenſu fidei. Ad hoc autem, vt opinio, tali aſſenſu ſit digna, neceſſario requiritur, vt nitatur motiuis, quæ habeant vim euidenter oſtendendi de illà, apparentià veritatis, ſicut hoc ipſum etiam, ſuo modo, requiritur in aſſenſu fidei. Motiua verò, tunc habeant hanc vim, cum à pluribus Doctoribus firma, ſolida, ac perſuaſiua iudicantur, nec vllam rationem conuincentem, contra ſe, habent; eo enim ipſo, ita reddunt opinionem apparenter veram, vt de ipsà apparentià veritatis prudenter dubitari non poſſit. Hoc autem ſufficit, vt iudicetur digna, quę ab intellectu prudenter credatur, & à voluntate prudenter ad praxim reducatur; ſicut enim fidei aſſenſus, quia procedit à iudicio credibilitatis, eſt prudens; ita aſſenſus opinatiuus, cum à ſimili iudicio probabilitatis procedit, erit prudens. Hoc autem iudicium, cum omnem actum voluntatis præcedat, ſemper eſt, ſaltem moraliter certum, ac euidens; alioquin intellectus, ad illud formandum, ab obiecto determinari non poſſet.

16 Aduertendum eſt ſecundò; aſſenſum opinatiuum, non minus eſſe nobis voluntarium, ac liberum, quam aſſenſum fidei; cũ enim intellectus ab obiecti euidentià non cogatur ad aſſenſum, ſicut nec cogitur in fide, ſequitur, quod remaneat ſubordinatus voluntati, & ab eà ita dependens, vt, vel determinari ab eà poſſit ad aſſenſum, vel impediri, ſicut poteſt in Fide. Quoniam verò motiua probabilia proponi poſſunt, aliquando ſolum pro vnà parte, aliquando pro vtràque, hinc fit, vt etiam intellectus, aliquando à voluntate determinari ſolum poſſit, vel ad aſſenſum, vel ad omiſsionem aſſenſus; aliquando vero ad aſſenſum, vel vnius partis, vel

alterius, ita vt voluntas, aliquando exerceat ſolū quodammodo libertatem contradictionis, aliquando verò libertatem contrarietatis.

17 Aduertendum eſt tertiò; Homines, dum ex opinione probabili operantur, ſic communiter procedere. Propoſito intellectui obiecto probabili cū ſuis motiuis; V.G. propoſitâ opinione, quod beneficiorum pluralitas licita ſit, quia vſu iam, ac conſuetudine, in Eccleſiam eſt introducta; vel motiua, intellectui apparent ſolida, ac firma, & cum Doctorum auctoritate coniuncta, nec vllam rationem conuincentem contra ſe habentia; vel non? ſi talia non apparent; intellectus non vlterius procedit, ſed opinionem illam ſtatim, tanquam parum probabilem reijcit; ſi verò apparent; ab illis mouetur ad iudicandum, talem opinionem eſſe verè probabilem, ſiue dignam, cui ipſe probabiliter aſſentiatur tanquam veræ, & Voluntas ab hoc iudicio, ſiue dictamine, ſtatim mouetur ad imperandum ipſi intellectui aſſenſum probabilem, quod beneficiorum pluralitas, licita ſit, quia vſu iam, ac conſuetudine, eſt in Eccleſiam introducta; Quia tamen intellectus, hoc probabiliter ſolū credit, non credit abſolutè, ſed ſolū, quantū eſt ex vi talis motiui, & cum formidine, ac timore, quod hoc ipſum poſſit eſſe, ac fortaſſe ſit falſum. Hoc facto, intellectus reflectens ſupra ſuum aſſenſum probabilem, euidenter iudicat, illum eſſe prudentem, ſiue pendentem ab illo primo dictamine prudentiæ, tanquam effectum à ſuâ causâ, ideoque ſe prudenter agere, dum ex vi talis rationis, probabiliter iudicat, beneficiorum pluralitatem eſſe licitam; & ab hoc aſſenſu, quia prudens eſt, mouetur ad euidenter iudicandum, quod operatio voluntatis illi conformis, ſit licita, ſiue digna, quæ à voluntate, vel eliciatur, vel imperetur; & hoc iudicium ſiue dictamen prudentiæ, eſt vltimum iudicium practicum, ſiue conſcientia, à quà deinde voluntas mouetur ad operandum. V.G. ad plura beneficia, vel procuranda, vel acceptanda, vel retinenda.

18 Aduertendum eſt quartò; operationem à voluntate ſic elicitam, vel imperatā, duplici titulo eſſe prudentem. Primò remotè, quatenus remote pendet ab euidenti iudicio probabilitatis, ſiue à primo illo dictamine prudentiæ, quo opinio iudicatur digna, quæ credatur vt vera; Secundò proximè, quatenus immediate pendet, ac regulatur ab vltimo dictamine prudentiæ, quo operatio, illi opinioni conformis, iudicatur digna, quæ à voluntate ponatur, quod dictamen ſimiliter, eſt iudicium certum, ac ſaltem moraliter euidens, quamuis appelletur conſcientia probabilis, quia oritur ex prudenti aſſenſu probabili, eique innititur tamquam motiuo, à quo intellectus mouetur ad illud formandum. Quod autem hoc dictamen ſit ſaltem moraliter certum, ac euidens, patet; ex eo enim, quod intellectus, prudenter operatur, dum probabiliter iudicat, beneficiorum

plura-

pluralitatem, ex eo motiuo, eſſe licitam, euidenter ſequitur, etiam voluntatem prudenter operari, dum hoc iudicium ſequitur, eique ſe conformat, cum ipſa ſit potentia cęca, & feratur in obiectum ſolum prout illi proponitur ab intellectu. Si ergo beneficiorum pluralitas, illi ab intellectu prudenter proponitur tamquam licita, ac honeſta; impoſſibile eſt, vt à voluntate prudenter non ametur vt talis. Voluntas autem, dum prudenter operatur, peccare non poteſt.

19 Aduertendum eſt quintò; aſſenſum probabilem, cum feratur in ſuum obiectum ſolum probabiliter, non iudicare, illud eſſe verum abſolutè, ſed ſolum præciſiue, & cum aliquà reſtrictione; ſcilicet; quantum ex vi motiui, quod habet ad talem aſſenſum; ſiue potius iudicare, obiectum ita apparere verum, vt tamen poſſit non eſſe, & fortaſſe non ſit tale; Intellectus enim, dum probabiliter iudicat, beneficiorum pluralitatem eſſe licitam, non tam iudicat eſſe, quam apparere licitam ex vi motiui, quod habet; imo ſimul, vel formaliter, vel virtualiter iudicat, poſſe, & fortaſſe non eſſe talem; Atque hæc eſt formido, ſiue dubitatio quædam late ſumpta, quam, ex ſuo modo tendendi includunt omnes actus probabiles, & ratione cuius, eſſe non poſſunt vltima regula rectè operandi; hæc enim debet eſſe omnino certa, alioquin voluntas, illam ſequendo, peccandi periculo ſe exponeret, & exponendo peccaret; Quamuis tamen aſſenſus probabilis, ratione formidinis, ac dubitationis latæ ſumptæ, quam includit, non poſſit eſſe vltima regula voluntatis; nihil tamen obſtat, quin poſſit eſſe obiectum, ac motiuum actus reflexi practici, certi, & euidentis, qui ſit vltima, ac ſufficiens regula voluntatis in operando; Intellectus enim, euidenter cognoſcens, ſe prudenter operari, dum probabiliter iudicat, beneficiorum pluralitatem eſſe licitā, inde euidenter infert, etiam voluntatem prudenter operaturam, ſi ſe illi conformet in operando, cum eius ductum ſequi debeat, vt potentia cæca.

20 Aduertendum eſt ſextò; duo dictamina prudentiæ, quæ interueniunt dum quis, ex opinione probabili, operatur. (Primum, quo intellectus iudicat, opinionem eſſe verè probabilem, ſiue dignam, quæ credatur; & ſecundum, quo iudicat, operationem voluntatis, iudicio probabili conformem, eſſe licitam; ſiue dignam, quæ à voluntate eliciatur, vel imperetur;) non eſſe obligatoria per modum legis, ſicut in aſſenſu Fidei diuinæ, eſt iudicium euidens credibilitatis, ſiue de honeſtate credendi, illum præcedens; neque conſultoria per modum conſilij, ſicut eſt dictamen, dictans, præferendam eſſe continētiam matrimonio; ſed conceſſoria per modum cuiuſdam conceſſionis, ac permiſſionis; Hinc autem fit, vt voluntas, æque licite, opinionem verè probabilem ſequi poſſit, ac relinquere, & ſequi oppoſitam; Si enim hæc etiam ſit verè probabilis, ipſa etiam erit prudens; & conſequenter

ter radix dictaminis prudentiæ, quod, ſi voluntas ſequatur, peccare non poterit.

21 Aduertendum eſt ſeptimò; opinionem probabilem, ſuam probabilitatem non amittere, ex eo, quod intellectui de nouo motiua oppoſita probabilia proponantur; Cum enim hæc ſupponantur non conuincentia, nec probabilitatis terminos excedentia, reddere non poſſunt oppoſita motiua improbabilia; alioquin iam terminos probabilitatis transgrederentur, & fierent certa; improbabili enim non opponitur probabile, ſed certum. Poſſunt ergo ſimul in intellectu dari motiua probabilia oppoſita, ſufficientia ad oppoſitos aſſenſus prbabiles prudenter eliciendos, ſaltè ſucceſſiue; Dixi ſaltè ſucceſſiue, quia non deſunt, qui aſſerant, poſse etiã ab intellectu elici ſimul, vt *Vaſq.1.2.q.19.ar.6.diſ. 62.cap.3. n.10. Azor.lib.2. cap.16. qu.2. Sanch. lib.1. in dec. cap. 9. num. 12. & alij apud iſtos*. Quid enim obſtat, quominus intellectus ſimul iudicet, beneficiorum pluralitatem apparere licitam, quantum eſt ex vi conſuetudinis, ac praxis Eccleſiæ; & ſimul apparere illicitam, quantum eſt ex vi motiuorum oppoſitorum; hæc enim duo iudicia, cum non ſint abſoluta, ſed præciſiua, & de obiecto diuerſo, non videntur contradictoria, neque oppoſita; Imo, cum vtrumque, ita iudicet, ſuum obiectum apparere verum, vt ſimul iudicet, poſſe eſſe falſum, ita aſſerit veritatem de ſuo obiecto, vt non ſimul abſolutè aſſerat falſitatem de oppoſito, ſed præſcindat; In hac autem ſententiâ, ad operandum, prærequiritur electio, quà voluntas alteram opinionem eligat, eamque ſequatur; vtramque enim, in praxi, ſimul ſequi non poteſt.

22 Aduertendum eſt octauo; motiua oppoſita probabilia, aliquando eſſe æqualiter efficacia ad mouendum intellectum ad aſſenſum circa ſuum obiectum, & tunc conſtituere opiniones æquè probabiles; aliquando verò, ex vnâ parte, eſſe efficaciora, & ex alterâ, minus efficacia; & tunc conſtituere opinionem probabiliorem, & minus probabilem; quæ inter ſe non differunt, niſi ſecundum magis, & minus; ſicut actus intenſior, & minus intenſus, in eodem genere. Quando autem intellectui proponuntur ſimul motiua oppoſita æqualia, intellectus, aliquãdo neutri parti adhæret, ſed manet ſuſpenſus, & tunc propriè dicitur dubitare, ac hærere; aliquando verò à voluntate ad alteram partem determinatur, & tunc propriè dicitur opinari, iudicando probabiliter de ſuo obiecto, & præſcindendo ab oppoſito; ſemper tamen ad aſſenſum, indiget imperio voluntatis, quia motiua, cum ſint tantum probabilia, illum non determinant, nec cogunt ad aſſenſum; ſicut in Fide, quia motiuum non eſt euidens, nec illum cogit ad aſſenſum Fidei, indiget piâ affectione, à quà ad illum determinetur; Voluntas autem intellectum, pro libito, modo ad hanc, modo ad illam partem determinare poteſt, quia habere poteſt motiua peculiaria, ad illum

illum modo in hanc, modo in illam partem inclinandum. His poſitis.

RESOLVTIO.

23 AD caſum Reſpondetur. Clericum, plura beneficia retinendo, nullo modo peccaſſe. Hæc opinio, in ſenſu explicato, eſt adeo communis, vt eam hactenus nemo, præter pauciſſimos recentiores citatos, abſolutè negare auſus ſit; ideoque eius Auctores, hic congerere, ſuperfluum duxi; videri tamen poterunt apud *Clauem Reg. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. *Sanchez lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 14. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 40. *ſec.* 5. *n.* 6. *Vaſqu. d.* 62. *cap.* 4. *num.* 14. *Azor. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *qu.* 2. *Valentiam.* 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 14. *par.* 4. *qua.* 4. *Becanum par.* 2. *Theol. Schol. tract.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 15. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 128. *Tanner. diſp.* 2. *qu.* 8. *diſp.* 3. *n.* 36. *Granadum. Contr.* 2. *tr.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 3. *Arag.* 2. 2. *qu.* 63. *art.* 4. *diſ. penult. Malderum.* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *diſp.* 86. *aſſer.* 3. *Martinez. tom.* 1. *qu.* 29. *art.* 6. *Aluarez. diſp.* 80. *Lorcam. tom.* 1. *diſp.* 39. *memb.* 2. *Medinam.* 1. 2. *quæſt.* 19. *ar.* 6. *quæſt.* 5. *Petrum Nauar. lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 269. *Baſilium Pontium de Matrim. lib.* 10. *c.* 15. *num.* 4. *Ioannem Sanchez diſp.* 42. *num.* 12. *qui alios innumeros referunt.*

24 Probatur autem euidenter; quia Clericus, plura beneficia procurando, ac retinendo, ſecutus eſt opinionem verè probabilem, fundatam in vſu Eccleſiæ; ſequens autem opinionem verè probabilem, peccare non poteſt.

25 Primò; Quia opinio verè probabilis, eſt opinio rationabilis, ac prudens, vt patet ex dictis. Sequens autem opinionem prudentem, peccare non poteſt, cum non poſſit, non prudenter operari; ſi enim prudenter operatur, dum probabiliter iudicat, beneficiorum pluralitatem, eſſe licitam; qui fieri poteſt, vt prudenter non operetur, dum huic prudenti iudicio ſe conformat?

26 Secundo; Quia, ſi ſequens opinionem probabilem, peccare poſſet, ideo eſſet, quia non haberet regulam rectè operandi, eo quod opinio, cum ſit formidoloſa, & includat dubitationem, ſaltem latè ſumptam, non poſſit eſſe regula rectè operandi; nec illam ſequens eximere ſe poſſit à periculo peccandi; Hoc autem euidenter eſt falſum; nam, licet ipſa opinio probabilis, non poſſit eſſe, per ſe, formalis, ac proxima regula rectè operandi, ex eo tamen, quod ſit prudens, & ab intellectu reflexe cognoſcatur, vt prudens, eundem intellectum mouet, ac determinat, ad certe, & euidenter iudicandum, licitum, ac honeſtum eſſe hic, & nunc, illi opinioni ſe conformare; quod iudicium, eſt certum, & regula proxima infallibilis rectè operandi.

27 Tertiò; Quia, Voluntas, dum ſequitur opinionem probabilem, eique in praxi ſe conformat, non mi-

minus prudenter operatur, quam, dum intellectum determinat ad ipſum aſſenſum probabilem; non minus enim ad operandum, in vno caſu, quam in alio, mouetur à dictamine prudentiæ; ad determinandum quidem intellectum, ab euidenti iudicio probabilitatis; ſiue de honeſtate probabiliter aſſentiendi; ad eliciendam vero, vel imperandam operationem aſſenſui probabili conformem, ab euidenti iudicio conformabilitatis, ſiue de honeſtate illi aſſenſui probabili ſe conformandi. Si ergo, dum intellectum determinat ad aſſenſum probabilem, prudenter operatur, prudenter etiam operabitur, dum, in operando, eidem aſſenſui ſe conformat. Imo prudentius operatur, dum aſſenſui probabili ſe conformat in operando, quam, dum intellectum ad ipſum aſſenſum probabilem determinat; dum enim determinat intellectum ad aſſenſum probabilem, ab vno tantum prudentiæ dictamine immediate regulatur; At, dum elicit, vel imperat operationem illi aſſenſui conformem, regulatur à duplici dictamine; immediatè quidem à proprio, mediatè vero, ab eodem, à quo regulatur etiam ipſe aſſenſus probabilis; Voluntatis enim operatio, ab vtroque pendet tamquam à causâ. Si ergo voluntas prudenter operatur, peccare non poteſt.

28 Quartò; Quia impoſſibile eſt, peccare eum, qui certò, ac euidenter iudicat, ſe licitè operari; ideo enim, qui ex conſcientià erroneà inuincibili operatur, non peccat, quia certò credit, ſe licitè tunc operari. Sed qui ſequitur opinionē verè probabilem, certo iudicat, ſe licite operari; certo enim iudicat ſe prudenter amare, quod illi prudenter ab intellectu proponitur tamquam amabile; Ergó impoſſibile eſt, peccare eum, qui ſequitur opinionem verè probabilem.

29 Quintò; Quia, ſi Medicus, Infirmo medicinam proponat, vt probabiliter profuturam, hoc eſt, cum periculo, ne proficiat, & Infirmus certus ſit, Medicum illum prudenter hoc proponere, quis dicat, Infirmum temerè, & non prudenter operari, dum eam ſumit? ſed, quando datur opinio verè probabilis, intellectus voluntati proponit obiectum, vt probabiliter, ſiue apparenter bonum, licet cum periculo, ne ſit tale; & voluntas eſt certa, intellectum, illud prudenter proponere; Ergo non temerè, ſed prudenter operatur, dum illud amplecitur. Si autem prudenter operatur; peccare non poteſt.

30 Sextò; Quia, ſi ſequi non poſſemus opinionem verè probabilem, ſed ſemper quærere, ac ſequi teneremur moraliter certam, fere nunquam licitè operaremur; cum enim, in agibilibus, pauciſſima ſint moraliter certa, eo quod moralis certitudo, non niſi ex communi vſu, ac omnium fere doctorum conſenſu, aut Eccleſiæ definitionibus habeatur; & in rebus fere omnibus moralibus, aliqui vnam partem, alij alteram defendant; fere nunquam haberemus moralem certitudinem, ad licite operandum neceſſariam.

ſariam. Conſequens autem, viam ſalutis, non ſolùm difficilem redderet, ſed moraliter impoſſibilem, & Chriſti iugum intolerabile.

31 Septimò; Quia, qui ſequitur opinionem verè probabilem, non minus prudenter operatur, quam qui eleemoſinam largitur pauperi; Sed hic, eleemoſinam largiendo, nec peccat, nec, per ſe loquendo, peccare poteſt. Ergo nec ille, probabilem opinionem ſequendo; Maior probatur, quia ideo, qui dat eleemoſinam, prudenter operatur, quia, in eà largiendà, à prudentià, per hunc ſillogiſmum euidentem regulatur. *Honeſtum eſt, dare eleemoſinam pauperi, non ſolum verò, ſed etiam prudenter apparenti; alioqui fere nunquam exerceremus opus virtutis, cum fere nunquam de Petentis paupertate ſimus certi. Sed hic, qui petit eleemoſinam, eſt pauper, vel verus, vel prudenter apparens. Ergo honeſtum eſt, huic eleemoſinam dare*, ita *Card. de Lugo diſp.5.de fide ſ.1. num.16.* Sed etiam, qui ſequitur opinionem verè probabilem, ab eàdem prudentià, per ſimilem ſillogiſmum, regulatur; Regulatur enim per hunc. *Honeſtum eſt, operari iuxta opinionem, non ſolum veram, ſed etiam prudenter apparentem; alioquin fere nunquam honeſte operaremur, cum fere nunquam de opinionum veritate ſimus certi; Sed hæc opinio, eſt, vel vera, vel prudenter apparens, quia eſt vere probabilis; Ergo honeſtum eſt, iuxta eam operari.* Igitur etiam, qui opinionem probabilem ſequitur, prudenter operatur. Aliter etiam, ſillogiſmus, ſic proponi poteſt: *Honeſtum eſt, amplecti bonum, non ſolum verum, ſed etiam prudenter apparens; quia voluntas non fertur in bonum pro vt eſt in ſe, ſed ſolum pro vt illi, per intellectum, proponitur, vel apparet, ſiue deinde in ſe ſit, ſiue non ſit tale; Sed bonum, per opinionem verè probabilem propoſitum, eſt, vel verum; vel ſaltem prudenter apparens. Ergo honeſtum eſt, illud amplecti.* Hoc argumentum, adeo euidenter conuincere videtur, vt nullum amplius rationabili dubitationi locum relinquat. Quid enim petunt probabilitatis Impugnatore? certam regulam operandi? en certiſſimam? certè, ſi dans eleemoſinam, pauperi prudenter apparenti, certus omnino eſt, ſe prudenter operari, certus etiã omnino eſt, qui amplectitur opinionem ſiue bonum prudenter apparens.

32 Octauò; Quia, opinio verè probabilis, non ſolùm habet vim dirigendi per modum regulæ, ſed aliquando etiam obligandi per modum præcepti ad aliquid agendum; remotè tamen ſemper, ac radicalitèr, modo explicato. Patet hoc euidentèr, dum quis Eccleſiam ingreditur, tempore conſecrationis; tunc enim obligatur ad hoſtiam adorandam, & tamen non habet plùs quam probabilitatem, quod hoſtia illa ſit conſecrata; non enim certò conſtat, quod hoſtia illa ſit ex tritico, & non potius ex hordeo, vel farre, aut aliâ ſimili materià; neque quod Sacerdos inten-

tionem habuerit conſecrandi, aut omnia verba neceſſaria protulerit; Cum præſertim, non ſemel, ſed ſæpius, ſiue bonâ, ſiue malâ fide, aliquis ex his defectibus contigerit; Quot, enim bonâ fide, & ob maiorem reuerentiam Sacramenti, hoſtias fecerunt ex Amito, putantes, eſſe materiam ſufficientem? quot fecerunt, aquâ roſaceâ? quot, ob defectum pronuntiationis, ad alia diſtracti, in formâ Conſecrationis, aliquam Syllabam neceſſariam omiſerunt, & poſtea in ſe reuerſi, de hoc ipſo confeſſi ſunt; ſola ergo opinio probabilis, quod hoſtia ſit conſecrata, licèt cum formidine oppoſiti; hoc eſt; cum iudicio, quod res poſſit aliter ſe habere, & de facto aliter ſæpius ſe habuerit; poteſt habere vim, non ſolùm directiuam; ſed etiam obligatiuam, ad hoſtiam illam adorandam. Si autem habere poteſt vim obligatiuam, cur habere non poterit directiuam? certè, ſi prudentia formare poteſt hunc ſyllogiſmum euidenter obligatorium. *Reuerentia Chriſto Domino debita exigit, vt adoretur hoſtia, quoties, vel eſt, vel prudenter apparet conſecrata; Sed hæc hoſtia, vel eſt, vel prudenter apparet conſecrata; Ergo reuerentia Chriſto debita exigit, vt hæc hoſtia adoretur.* Negari non poteſt, quin eadem prudentia, ſimilem ſyllogiſmum euidenter conceſſorium formare ſic poſſit. *Licitè poni poteſt, quod, vel eſt, vel prudenter apparet licitum; ſed hæc operatio, hic & nunc, vel eſt, vel prudenter apparet licita, Ergo hic & nunc, licitè poni poteſt.*

33 Neque obſtat periculum, cui quis ſe exponit, materialiter violandi præceptum; Nam, etiam in hoſtiæ adoratione, exponit ſe quis periculo idololatriæ materialis, ſiue adorandi hoſtiam non conſecratam; & tamen hoc periculum, non tollit obligationem, ſed tamquam remotum, & nullum afferens incommodum, omnino contemnitur. Ergo, eodem modo, ſimile periculum non tollet conceſſionem, ſed, tamquam nullum afferens malum, meritò contemnetur. Adde, quod neque datur hoc periculum; nam operatio probabiliter licita, ſicut non continetur ſub obligatione præcepti, ita nec illud materialiter violat.

34 Multò minùs obſtat ſuſpicio, vel formido, quod actio fortaſſe ſit illicita. Nam, etiam in hoſtiæ adoratione, datur ſimilis formido, quòd hoſtia fortaſſe non ſit conſecrata; & tamen, quia non tollit prudentem aſſenſum, quod ſit conſecrata, non tollit obligationem, quæ ex illo oritur. Sed etiam formido, quæ eſt cum opinione, ſiue aſſenſu probabili, quod operatio ſit licita, non tollit ipſum aſſenſum probabilem; Ergo neque tollet cõceſſionẽ, quæ ex ipſo oritur. Atque hoc eſt, in quo aliqui decipiuntur, non diſtinguentes formidinem, ſiue ſuſpicionem, quæ oritur ex opinione probabili, ab eâ, quæ oritur ex conſcientiâ erroneâ, vel ignorantiâ; cum tamen, toto Cœlo, inter ſe differant, & vna licitam operationem impediat, alia non impe-

impediat. Formido, vel ſuſpicio orta ex errore, vel ignorantiâ, impedit, quia quodlibet præceptum, eò ipsò, quod de eo datur ſuſpicio, ſtatim obligat ad inquirendum, vt deponatur error, vel tollatur ignorantia, quæ eius obſeruantiam impediunt. At, cum datur formido orta ex opinione probabili; Præceptum, ſicut non obligat ad ipſam opinionem probabilem tollendã;ità non obligat ad tollendam formidinẽ ex illâ ortam; Opinio enim probabilis non impedit obſeruantiam præcepti, ſicut impedit error, vel ignorantia, ſed potiùs tollit obligationem præcepti, cum nullum præceptum prohibeat, quæ prudenter, ac probabiliter iudicantur licita.

35 Nono denique & poteſt eſſe ratio à priori; Quia, quandiu dãtur motiua verè probabilia pro vtràque parte, nec veritas, nec probabilitas, ſiue apparentia veritatis, ad vnam potius partem obligare poteſt, quam ad aliam; Ergo voluntas remanet libera ad vtramlibet eligendam, non minus, quam, cum duo præcepta incompoſſibilia æqualia, aut fere æqualia, ſimul vrgent.

36 Antecedens probatur; quia, quandiu pro vtràque parte, dantur motiua verè probabilia; veritas omnino latet; cum enim vtrobique euidenter appareat, nec vtrobique eſſe poſſit, vbi vere ſit, inuincibiliter ignoratur; Dixi inuincibiliter; quia, quandiu motiua, probabilitatis terminos non tranſgrediuntur, ſemper pro vtràque parte datur euidens apparentia veritatis, ideoque vbi veritas ſit, ſciri non poteſt. Veritas autem, quandiu inuincibiliter ignoratur, obligare non poteſt voluntatem, quæ eſt potentia cæca, nec ferri poteſt in incognitum.

37 Similiter, neque probabilitas, ſiue apparentia veritatis, obligare tunc poteſt voluntatem; cum enim pro vtràque parte detur, non eſt maior ratio, cur ad vnam potius obliget, quam ad aliam. Cum ergo voluntas, neque à veritate, neque à probabilitate, ad vnam potius partem, quam ad aliam, obligari poſſit, remanet neceſſariò libera, ad vtramlibet eligendam.

38 Neque obſtat, quod probabilitas, ſiue apparentia veritatis, alicui videatur maior pro vnà parte, quam pro aliâ; nam, hoc non ſufficit ad inducendam obligationem, ſequendi illam partem, & aliam relinquendi; quod enim illi videatur maior, non facit, quod verè ſit maior, cum hoc oriri poſſit, vel ex eius ingenij imbecillitate, vim motiuorum oppoſitorum penetrare non valentis, vel ex paruà eorundem conſideratione, vel ex ſpeciali affectu ad eam partem, vel ex aliquo alio capite; vnde alteri fortaſſe eadem probabilitas videbitur minor. Exceſſus ergo tam modicus, & incertus, non videtur ſufficiens ad obligandam grauiter voluntatem, vt eam partem determinate ſequatur, & alteram relinquat; Vnuſquiſque enim, ſemper iudicare prudenter poteſt probabilitatem, quæ ſibi videtur maior, ab alijs fortaſſe ingenioſioribus, aut

aut prudentioribus, & ad eam partem minus affectis, iudicari minorem, nec ſuum ingenium, aut prudentiam, eſſe vnicam probabilitatis menſuram.

39 Atque hæc eſt ratio, cur voluntas, dum opinionem verè probabilem ſequitur, certa ſit, ſe peccare non poſſe, ſed rectè, ac prudenter operari; Certa enim tunc eſt, & ſe non teneri, niſi ad ſequendam apparentiam veritatis, cum veritas ipſa omnino tunc lateat, vt dictum eſt; & apparentiam, quam ſequitur, eſſe dignam, quam ſequatur; cum ita ſit certa, vt de ipſâ prudenter dubitari non poſſit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

40 IAm, ad obiectiones omnes initio propoſitas, facilis eſt reſponſio. Ad primam. Negatur antecedens; Eſto enim, Clericus habens motiua ſibi, pro vtràque parte contradictionis, propoſita, vtramque partem ſimul iudicare non potuerit tanquam veram; vtramque ſaltem iudicare certò potuit, vt probabilem, ſiue prudenter apparentem. Hoc autem ſatis fuit, vt voluntas, intellectum ad alteram partem determinare poſſet, & ſic dubium deponeret.

41 Ad ſecundam; Negatur ſimiliter antecedens; motiua enim, Clerico de nouo propoſita, cum non fuerint plus quàm probabilia, intellectum ad ſe rapere non potuerunt, & conſequenter nec impedire voluntatem, ne intellectum determinaret ad ea contemnenda, iiſque non obſtantibus, ad perſeuerandum in ſuo aſſenſu. Quamuis autem concederemus, motiua de nouo aduenientia, poſitiuam formidinem de falſitate ſuæ opinionis generare potuiſſe, adhuc tamen, hoc ſatis non fuiſſet, vt Clericus retraheretur ab aſſenſu probabili, quem habebat; formido enim, non eſt cum aſſenſu probabili incompoſſibilis, imo eſt eius proprietas.

42 Ad tertiam; Negatur item antecedens; quamuis enim concederemus, Intellectum, propoſitis ſibi motiuis probabilibus æqualibus, pro vtràque parte contradictionis, ad neutram ſe poſſe determinare; hinc tamen non ſequeretur, illum à voluntate, ad alterutram determinari non poſſe; cum enim neutrius partis motiua illum cogant ad aſſenſum, remanet perfectiſſimè ſubiectus voluntati, à quâ proinde, modo ad vnam, modo ad alteram partem determinari poteſt pro libito; imo, cum hæc ſubiectio, intellectui concedatur in ordine ad fidem, negari omnino non poteſt in ordine ad opinionem; motiua enim probabilia, longe minorem vim habent ad rapiendum intellectum, quam motiua fidei. Hoc autem admiſſo, pleraque Aduerſariorum argumenta ſtatim corruunt.

43 Præterea, falſum eſt, intellectum tunc iudicare, vtramque partem, non minus apparere veram, quam falſam; tunc enim potius, vtramque partem iudicat apparere veram, licet cum periculo falſitatis; motiua autem vnius partis, tunc ſolum

lum à motiuis partis oppoſitæ impediuntur, quando non datur imperium voluntatis, intellectum ad vnam partem impellens; verùm, ſi hoc detur, ſtatim impedimentum illud à voluntate ſuperatur; ſicut, quamuis duo pondera æqualia, in lance poſita, illàm in æquilibrio conſtituant, & vnum impediat, ne aliud lancem inclinet, ſi quis tamen lancem impellat ad vnam partem, per impulſum, ſuperat impedimentum ponderis exiſtentis in lance oppoſità, ſicque lanx ad vnam partem determinatur, ac inclinatur.

44 Ad quartam; Negatur conſequentia; cum enim, in moralibus, veritatem fere nunquam certò aſſequi poſſimus, fere nunquam operari poſſemus. Melius igitur eſt, ſequi veritatem probabilem cum periculo errandi, quam illà omnino carere; ſicut Infirmo ſatius eſt, medicinā ſumere probabiliter profuturam, quamuis cum periculo ne proficiat; quam ab illà omnino abſtinere; & quando opinio eſt vere probabilis, intellectus, ſicut prudenter opinatur, ita prudenter errandi periculo ſe exponit; ſed tamen, non voluntatem; Nam hæc, cum prudenter feratur in bonum, non pro vt eſt in ſe, ſed pro vt illi proponitur, & apparet, errare non poteſt, cum obiectum illi per aſſenſum probabilem propoſitum, vere appareat, vt bonum; Vnde ipſa, amplectendo bonum, quod illi probabiliter proponitur, nulli peccandi periculo ſe exponit, quia per iudicium reflexū certificatur, quod, ſic operando, prudenter operatur; & hoc iudicium certum, eſt prudentia, ſiue conſcientia. Potuit ergo Clericus prudenter eam opinionem eligere, eique in praxi ſe conformare.

45 Ad quintam; Reſpondetur primò; Argumentum hoc, ſicut, & cœtera præcedentia, nimis probare; probat enim, ne ex imperio quidem voluntatis, Intellectum determinari poſſe ad alterutrius partis aſſenſum, quando pro vtràque parte habet propoſita motiua probabilia; hoc autem, non ſolùm eſt contra quotidianam experientiam, quà experimur, nos, ex duobus ludentibus æque peritis, optare, vt vnus vincat, quod fieri non poſſet, niſi probabiliter crederemus, illum eſſe victurum; ſed etiam manifeſtè contra rationem; cum enim neutrius partis motiua intellectum ad ſe rapiant, illum conſequenter eò magis relinquunt voluntati ſubiectum, quò motiua propoſita, ſunt magis æqualia, alias aſſenſus probabilis nunquam poſſet eſſe prudens, quia ad hoc neceſſario requiritur, vt ſit liber, vt patet in fidei aſſenſu; liber autem eſſe non poſſet, ſi intellectus ad illum à voluntate determinari non poſſet.

46 Reſpondetur tamen ſecundò; Negando Sequelam; Eſto enim; intellectus, dum vnam partem iudicat veram, oppoſitam virtualiter iudicet falſam; at oppoſitam non iudicat ſimul veram, aut magis veram, ſed ſolum probabilem, aut probabiliorem: In hoc autem, nullum eſt inconueniens; intellectus enim,

enim, vtramque partem iudicare ſimul poteſt probabilem, licet non vtramque veram; Adde, quod intellectus, dum vni parti probabiliter adhæret, illam non iudicat veram abſolutè, ſed ſolum præciſiuè, ſiue quantum eſt, ex vi talis motiui, quod habet; vnde nec oppoſitam iudicat abſolute falſam, ſed ſolum, quantum eſt ex vi eiuſdem motiui; In hoc autem ſenſu, nullum videtur abſurdum, quod intellectus, eandem partem iudicet ſimul, apparere veram ex vi vnius motiui, & falſam ex vi alterius oppoſiti; hoc enim, nihil eſt aliud, quam, intellectum ſimul iudicare, quod duo illa motiua oppoſita, de eâdem parte oſtendunt, vnum quidem veritatem, alterum vero falſitatem, in quo nullum videtur inconueniens, vt docent *Vaſquez diſp.62. cap.5. num.22, & Sanch. lib.1. ſum. cap.9. nu.10. & Azor. lib.2. cap.16. quæſt.2.*

47 Ad ſextam Reſpondetur; aſſenſum opinatiuum, non eſſe regulam formalem operandi, ſiue dictamen illud, à quo voluntas immediatè regulatur, dum operatur; hoc enim, nos etiam fatemur, debere eſſe dictamen prudentiæ, ſiue iudicium practicum certum, & infallibile de honeſtate hic & nunc operandi; ſed ſolum radicalem, quatenus, ex eo, quod intellectus, aliquid prudenter proponit apparenter bonũ, inde deducitur tamquam certum ac infallibile, quod voluntas, illud hic & nunc amplectendo, prudenter operatur; & hoc iudicium eſt voluntati regula formalis certiſſima rectè operandi.

48 Ad ſeptimam; Negatur Sequela; ex eo enim, quod opinionem verè probabilem ſequi liceat, non ſolùm nimia in operando licentia non oritur, ſed potiùs certiſſima morum regula præſcribitur, vt infra patebit. Nimia in operando licentia, aliaque incommoda verè grauia, ex opinione non verè, ſed ex leui quolibet motiuo, & apparẽter tantum probabili, naſcuntur; Neque enim, ad probabilitatem opinioni conciliandam, leue quodlibet motiuum ſufficit, ſed requiritur firmum, ac ſolidum, quod demum eſt tale, cum, communi, vel ſaltem plurium doctorum ſuffragio iudicatur tale; opiniones igitur, leuibus fundamentis nixæ, hæ ſunt, quæ mores peruertunt, legum obſeruantiam euertunt, ac licentiam verè nimiam, ac compeſcendam inducunt.

49 Ad octauam; Negatur Sequela; dum enim, cum opinione probabili operamur, datur in nobis iudicium certum de ipsà probabilitate; ſiue apparentià veri, & conſequenter de prudentià ipſius aſſenſus probabilis, ex quo deinde deducitur iudicium certum de honeſtate operandi, ex vi cuius iudicij, voluntas operatur; Hoc autem iudicium non datur, dum cum dubio operamur; &, ſi in nobis aliquando daretur iudicium certum de honeſtate dubitandi, ex illo deduci non poſſet iudicium certum de honeſtate operandi, ſed potius de honeſtate abſtinendi ab operatione; deduceretur enim iudicium certum

de

de honeſtate; in praxi, illi dubitationi ſe conformandi; Voluntas autem, dubitationi intellectus ſe conformat, nihil operando, cum ab intellectu nullum ei bonum determinate tunc proponatur operabile.

50 Ad nonam; Negatur ſequela; qui enim ſequitur opinionem probabilem, non operatur immediatè ex vi ipſius opinionis, ſiue iudicij probabilis, ſed ex vi iudicij certi, quod ipſa opinio ſit probabilis, ac prudens, ac proinde prudenter, ac honeſtè ad praxim reducibilis; quod vltimum iudicium, ex præmiſſis non probabilibus, ſed certis eſt deductum; Sic enim deducitur; *opinio verè probabilis, eſt ad praxim honeſtè reducibilis, quia eſt prudens; ſed hæc opinio, eſt verè probabilis, quia habet motiua ad hoc requiſita; ergo eſt ad praxim honeſtè reducibilis*; in hoc autem ſillogiſmo, Omnes præmiſſę, ſunt certæ, ſicut ſunt in hoc alio, qui æquiualenter eſt idem. *Qui opinionem moralem verè probabilem eligit, ac in praxi ſequitur, certus eſt, ſe rectè operari, quia certus eſt, ſe operari prudenter; ſed hæc opinio, eſt verè probabilis, quia habet motiua ad hoc ſufficientia; ergo qui illam hic & nunc ſequitur, certus, eſt ſe rectè operari*; vides, hìc, nullam interuenire præmiſſam probabilem, ſed omnes eſſe certas; Errant autem Aduerſarij, quia putant, probabilitatis defenſores aſſerere, quod voluntas operetur ex vi concluſionis, ex ipsà opinione, ſiue aſſenſu probabili, tamquam ex vnà præmiſsà deductæ, quæ concluſio non poteſt eſſe plus quam probabilis; verum ipſi etiam vltro hoc negant; atque hoc eſt, in quo plerique ex Aduerſarijs, hoſtem ſibi fingunt, ac impugnant, cum tamen, ne de hoc quidem, ſit quæſtio.

COROLLARIA.

51 Colligitur ex dictis primò, omnem opinionem, eo ipſo, quod eſt vere probabilis, eſſe omnino tutam in praxi; Tutum enim dicitur, quod per ſe, & non ſolum ratione ignorantiæ inuincibilis, peccatum excludit; opinio autem, eo ipſo, quod eſt certò probabilis, & conſequenter prudens, per ſe, & eſſentialiter peccatum excludit; impoſſibile enim eſt, peccare eum, qui certus eſt, ſe prudenter iudicare, licitum ſibi eſſe, hic & nunc operari; de hoc autem certus eſt, qui opinionem verè probabilem ſequitur; hic enim certus eſt, opinionem illam eſſe dignam, quæ credatur, & conſequenter ſe prudenter operari, dum eam credit licitam, ac vt talem ſequitur; Qui autem certus eſt, ſe prudenter operari, per illam operationem peccare non poteſt, cum eſſentialiter ſit prudens, & pendens à dictamine prudentiæ.

52 Secundò; Inter opiniones probabiles; nullam dari alià magis, aut minus incompoſſibilem cum peccato, & conſequenter magis, aut minus tutam, ſed omnes eſſe cum illo æque incompoſſibiles, ac tutas; Cum enim omnes, eo ipſo

quod

quod ſunt verè probabiles, ſint eſſentialiter prudentes, omnes ſunt eſſentialiter incompoſſibiles cum peccato, non minus, quam ſint incompoſſibiles, omnes actus contritionis; incompoſſibilitas autem cum peccato, conſiſtit in indiuiſibili; vel enim excludit totum peccatum, vel nihil. Quemadmodum ergo, inter actus contritionis, non datur vnus àlio incompoſſibilior cum peccato, ita inter opiniones vere probabiles, non datur vna, cum peccato magis incompoſſibilis, quam alia, & conſequenter nec magis tuta.

53 Tertiò; Opinionem certò probabilem, cum ſit eſſentialiter prudens, æque eſſe prudentem, ſiue faueat præcepto, ſiue faueat libertati; quod enim faueat præcepto, aut libertati, merè per accidens ſe habet, ac proinde eius naturam non mutat; ſic, quia æque certò iudicare poſſum, probabile eſſe, quod res, quam poſſideo, ſit mea, & conſequenter, quod eam retinere poſſim; & quod non ſit mea, & conſequenter, quod eam tenear reſtituere; alteram pro libito, æque prudenter eligere poſſum, ac ſequi, quamuis vna faueat præcepto, altera libertati; quia vtraque, cum ſit certò probabilis, eſt etiam certo prudens, & conſequenter tuta, & incompoſſibilis cum peccato. Motiua verò, quæ opinionem aliquam reddere poſſunt certo probabilem, imo etiam fortaſſe moraliter certam, ſunt; Doctorum auctoritas; exempla, & praxis Virorum omni exceptione maiorum; præſumptiones; titulus poſſeſſionis; legitima conſuetudo; Superiorum tolerantia in lege humanâ; regula ab inconuenienti vitando, vel pro maiori bono in ijs, quæ mala ſunt, quia prohibita, & ſimilia.

54 Quartò; Opinionem, quæ non eſt certò probabilis, non eſſe, in praxi, tutam; quia eo ipſo, quod dubitari poteſt, an ſit probabilis, ſiue digna aſſenſu probabili, voluntas intellectum prudenter determinare non poteſt ad eam iudicandam, vt veram, & consequenter nec ipſam, in praxi, prudenter ſequi poteſt, vt talem; ad hoc enim prærequiritur iudicium certum, quo ſciat, ſe prudenter iudicare illam eſſe veram, & conſequenter dignam praxi, vel vſu, cum hoc iudicium reflexum, ſit dictamen prudentiæ, immediatè regulatiuum ipſius operationis, vel praxis, & à quo operatio habet, vt ſit prudens, ac recta; Hoc autem iudicium nemo habere poteſt, niſi verè habeat opinionem, ſiue aſſenſum opinatiuum prudentem; cum enim hoc iudicium, ſit experimentale, ac reflexum ſupra ipſum aſſenſum opinatiuum prudentem, illum eſſentialiter ſupponit. Si ergo voluntas intellectum prudenter determinare non poteſt ad probabiliter iudicandum, quod opinio ſit vera, neque illam prudenter ſequi poteſt, in praxi, ideoque temere, ac imprudenter operatur, & conſequenter opinio illa non eſt tuta; quid autem requiratur, vt de alicuius opinionis probabilitate dubitari nõ poſſit dictum eſt ſupra.

55 Quinto; hanc ſtatui poſſe tamquam

quam regulam generalem. In rebus moralibus, illam ſolam opinionem probabilem, eſſe tutam in praxi, de quà dubitari non poteſt, quin ſit probabilis; quia eo ipſo, quod dubitare non poſſumus, quin ſit probabilis, ſiue digna, quæ credatur tamquam vera, dubitare etiam non poſſumus, quin ſit ad praxim reducibilis, ſiue digna, quæ ad praxim reducatur; vſus enim, ſiue praxis, ſequitur cognitionem, & voluntas intellectum. Hinc autem fit, vt vſus opinionum probabilium, non cuiuſcumque relinquatur arbitrio, ſed ab hac certà regulà dependeat, quæ tandem in prudenti ſapientum exiſtimatione fundatur; Tunc enim demum de aliquà opinione dubitari non poteſt, quin ſit probabilis, cũ plures Doctores eà de re, ex profeſſo, tractantes, in eà conueniunt: difficile enim eſt, pluresdecipi. Quare, quãuis hęc vel illa opinio alicui videatur eſſe probabilis, nõ tamẽ proptereà probabilis cenſenda eſt, niſi à pluribus ſaltem doctoribus, de eà, ex profeſſo agẽtibus, talis eſſe iudicetur. Atque ita ſufficientiſſime tollitur nimia in ſequendis opinionibus licentia, ex quà tot incommoda in Chriſtianam Rempublicam introducta ſunt; & aliũde Fidelium conſcientiæ non nimis arctantur, fingendo peccatum, vbi vere non eſt, nec eſſe poteſt, & reddendo bona opera moraliter impoſſibilia; ſicuti fit ab ijs, qui ad recte operandum, moralem certitudinem requirunt.

56 Sextò; probabilitatem, in ſenſu longe diuerſo accipi, dum dicitur de opinione verſante circa aliquã actionem noſtram moralem, ac dum dicitur de alijs rebus; V. G. de materià & formà Sacramentorum; de medicinà; de iure litigantium; &c.; dum enim applicatur opinioni, ſignificat, illam eſſe dignam aſſenſu opinatiuo; dum vero applicatur V. G. medicinæ, ſignificat, illam ita eſſe vtilem ad ſanitatem, vt tamen poſſit non prodeſſe. Hinc autem fit, vt non valeat argumentum à rebus probabilibus ad opinionem probabilem; quamuis enim Medicus teneatur adhibere medicamentum probabilius, hoc ideo eſt, quia vel ex officio, vel ex charitate, vel ex conuentione tacità, vel expreſsà cum Ægro, eius ſanitatem, meliori modo, quo poteſt, procurare tenetur, ideoque adhibere debet media magis ad hoc conducentia; Hæc autem locum non habent in opinione probabili. neque enim homo tenetur meliori modo, quo poteſt, procurare ſalutem; alioqui ſtatus continentiæ non eſſet conſilium, ſed præceptũ. Tenetur ergo ſolum propriam ſalutem ſimpliciter procurare, & cõſequenter adhibere media ad hoc vtilia; Inter hæc autem eſt, vſus opinionis vere probabilis; nulla enim lege vetitum eſt, ſequi opinionem vere probabilem, ſiue ponere operationem, quã certo probabile eſt, non eſſe vitioſam. Quod autem dictum eſt de Medico, dicendum eſt etiam de Miniſtro Sacramentorum; nam hic etiam ex officio, vel charitate, vel Eccleſiæ conſuetudine, Sacramentorum valo-

lorem, quantum poteſt; procurare tenetur, ideoque materiam certam, vel probabiliorem adhibere, cum poteſt; idem de Iudice, cum hic etiam à Republicà conſtitutus ſit, vt vnicuique tribuat, quod ſuum eſt; idem de Tabellione, qui ſimiliter, ex officio, contractuum, ac ſcripturarum valorem, meliori modo, quo poteſt, procurare tenetur; idem denique de alijs ſimilibus.

57 Septimò; Opinionem, quod in Sacramentorum adminiſtratione adhibere liceat materiam probabilem, etiam quando adhiberi poteſt certa; ſaltem in ijs Sacramentis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria; vel in quibus, ex Eccleſiæ conſuetudine, certus adminiſtrandi modus, eſt præſcriptus; non eſſe probabilem; quia Eccleſiæ conſuetudo, ac præceptum, ſicut contrariam reddit certam, ita hanc reddit improbabilem. Si tamen non daretur Eccleſiæ conſuetudo in contrarium; vel nullum ſequeretur inconueniens, tunc eſſet certò probabilis, eiuſque vſus proinde licitus, vt melius infra patebit.

58 Octauò; Magnam eſſe affinitatem, inter aſſenſum probabilem, & aſſenſum Fidei, præſertim humanæ. Primò enim, vterque eſt voluntarius, ac liber. Secundò, vterque debet eſſe prudens; ſicut enim, *qui citò credit*, ità, qui citò opinatur, *leuis eſt corde*: *Eccl.* 19. Tertiò, vterque eſt voluntati regula infallibilis in operando; mediata tamen, ſiue radicalis, quatenus eſt radix, ex quà oritur dictamen prudentiæ omnino certum, quod deindè eſt regula infallibilis immediata. Differunt tamen primò, quia aſſenſus Fidei Diuinæ, eſt aſſenſus firmiſſimus; opinatiuus verò, eſt formidoloſus. Secundò, quia aſſenſus Fidei Diuinæ, oritur ex iudicio euidenti credibilitatis, obligante ad ipſum aſſenſum; Opinatiuus verò, oritur ex iudicio euidenti probabilitatis, non obligante, ſed concedente ipſum aſſenſum. Hinc autem fit, vt voluntas, ipſum pro libito, prudenter, vel imperare poſſit, vel prohibere, ac oppoſitum imperare; & conſequenter etiam prudenter, in praxi, ſequi modo hunc, modo illum; iuxta diuerſos fines; quos ad hoc præſtandum habere poteſt. Et ſicut, cum duo præcepta incompoſſibilia, æqualis ferè obligationis, ſimul vrgent, quamcumque partem ſequatur, peccare non poteſt: Ita, dum propoſita ſimul habet motiua verè probabilia pro vtràque parte, quamcumque partem ſequatur, peccare non poteſt, quia ſemper prudenter operatur. Neque hoc eſt, conſcientias laxare, ſed regulã infallibilem recte operandi præſcribere. Sicut, cum ad dandam prudentèr eleemoſinam pauperi, præſcribitur opinio prudens, quod ille ſit pauper, vel cognitio certa, quod appareat pauper, nec laxatur conſcientia, nec reſtringitur, ſed aſsignatur regula prudens operandi, modo ſupra explicato num. 31.

59 Nonò; Argumentum, quod contra opinionem probabilem afferri ſolet tanquam ineuitabile, nihil pror-

prorſus concludere. Sic enim arguitur. Qui ſuſpicionem, vel formidinem habet, quod operatio aliqua ſit illicita, abſque peccato, eam ponere non poteſt; Sed qui probabiliter credit, operationem eſſe licitam, habet ſimul formidinem, quod ſit illicita. Ergo, qui habet opinionem probabilem, quod actio ſit licita, eam, abſque peccato, ponere non poteſt. Hoc argumentum nullius prorsùs eſt roboris; nam vel in maiori loquitur vniuerſaliter de omni formidine, vel ſuſpicione, aut ſcrupulo, & ſic eſt manifeſtè contra omnes Theologos tam veteres, quàm recentiores, & contra communem ſenſum Eccleſiæ; Omnes enim in hoc conueniunt, quod operari contra ſcrupulum (qui nihil eſt aliud, quàm leuis quædam ſuſpicio, vel formido, quod actio ſit illicita) non ſolùm liceat, ſed plerumque etiam ſit laudabile; Imò aliquando etiam neceſſarium; Et rationem reddunt; Tùm, quia ſcrupulus, ſicut non tollit iudicium determinatum, quod operatio ſit licita, ità nec tollit dictamen prudentiæ ex eà ortum, a quo voluntas infallibitèr regulatur in operando; Tùm quia, ſi, propter quamlibet formidinem, abſtinendum eſſet ab opere, de quo probabiliter iudicamus, eſſe licitum, nimis ardua eſſet ad Cælum via, cum homines valdè raro, ſine aliquà formidine oppoſiti, veritates cognoſcant in hac vità.

60 Vel in eàdem maiori, ſermo eſt ſolùm de ſuſpicione, ac formidine; quæ cum errore, vel ignorantià eſt coniuncta; aut formido confunditur cum dubio; & tunc euidentèr apparet, de hac, ſermonem non eſſe in minori, ideoque argumentum nihil prorsùs concludere; formido enim, quæ ſtat cum opinione, nec eſt, nec eſſe poteſt dubium, cum dubium eſſentialitèr excludat adhæſionem intellectus ad vtramlibet partem, & conſequentèr etiam ipſam opinionem, ſiue iudicium probabile, quod operatio ſit licita.

61 Imò; ex hoc ipſo euidenter oſtenditur, doctrinam de opinione probabili, in ſenſu explicato, non ſolùm non eſſe nouam in Eccleſià, ſed ab omnibus Theologis, tàm veteribus, quàm recentioribus, ſine vllà controuerſià fuiſſe, ſemper admiſſam, & ſuppoſitam tamquam omnino certam; Cum enim doceant, licitum eſſe, operari contra ſcrupulum; quia ſcrupulus, ſiuè formido, non impedit iudicium determinatum, quod operatio ſit licita; iam ſatis conſtat, eos admittere iudicium determinatum probabile; cũ iudicio enim certo, vel euidenti, dari non poteſt formido, aut ſcrupulus partis oppoſitæ; hoc tamen iudicium probabile, non admiſerunt tanquam regulam vltimam operandi, ſed ſolùm tanquam radicem, ex quà deinde oritur iudiciũ, ſiue dictamẽ reflexum omnino certum, quod eſt immediata, ac infallibilis regula voluntatis in operando.

62 Quod ſi, quis aſſereret, vltimam regulam, requiſitam ex parte intellectus ad operandum, poſſe eſſe opinionem, ſiue iudicium aliquod

practicum ſolùm probabile, is meritò impugnaretur, quia hoc iudicium, verè procedere non poſſet à Prudentià, quæ, cum ſit virtus intellectualis, ſemper determinatè fertur in verum; nec vllus vnquam poſſet eſſe certus, de rectitudine, ac honeſtate ſuæ operationis, prout requiritur ad rectè operandum; Verum, hoc, aut nullus, aut ferè nullus vnquam ex Theologis admiſit. Omnes enim, qui opinionem probabilem admittunt, aſſerunt etiam, ad rectè operandum, requiri neceſſariò dictamen prudentiæ, & Prudentiam, cum ſit virtus intellectualis, debere eſſe, notitiam omnino certam agendorum.

63 Decimo; Quæ hactenus dicta ſunt, valere in quacumque materià, dummodo in eà dari poſſit euidentia de probabilitate vtriuſque partis; eo enim ipſo, quod hæc dari poteſt, dari etiam poteſt neceſſariò euidentia de prudenti aſſenſu probabili ad vtramque, & conſequenter etiam de prudenti vtriuſque vſu, ac electione; Vnde Iudex, duplicem legis interpretationem inueniens, vtramque euidenter probabilem, modo vnam, modo alteram amplecti poteſt, eique in praxi ſe conformare; dummodo tamen abſit ſcandalum, & nullum ſequatur inconueniens; & hoc, eſt arbitriū, quod communiter Amicis promittunt Iudices, dum ab eis rogantur.

64 Vndecimo; Poſſe aliquem tutò ſequi opinionem, quam iudicat euidenter probabilem, quamuis rationes oppoſitas ſoluere neſciat; Nam licet ipſe ſolutionem ignoret, iudicare tamen prudenter poteſt, Eas ab alijs poſſe diſſolui; nemo enim tantum iudicij, aut ingenij arrogare ſibi debet, vt, quod ipſe neſcit, putet, etiam alios omnes ignorare. Imò, in iudicio de aliorum opinionibus ferendo, imprudenter ageret, qui eas improbabiles iudicaret, quia ipſe rationes oppoſitas ſoluere neſcit; nō enim ideo neſcit, quia ipſæ, ſolui non poſſint, ſed quia ipſe hebetioris fortaſſe ingenij eſt, & non adeo perſpicacis, vt alij, qui, illis vix auditis, ſtatim ſoluerent.

65 Duodecimo; Poſſe aliquem ſequi opinionem aliorum, ſi illam iudicet euidenter probabilem. Sic enim *Ariſt.* 1. *Top. c.* 1. *&* 1. *Eth. c.* 4. *tradit*; Virorum ſapientum conſilium ſequi, reprehendi non poſſe, & *S. Thom. quolib.* 2. *a.* 10. docet, poſſe vnumquemque amplecti opinionem, quam a Magiſtro audiuit in ijs, quæ ad mores ſpectant: Et ratio eſt clara; quia, eo ipſo, quod iudicatur euidenter probabilis, iudicatur etiam prudenter credibilis, vt vera, & conſequenter etiam prudenter eligibilis, vt bona. Vnde poteſt Confeſſarius, opinioni Pœnitentis ſe conformare, ſi eam iudicet euidenter probabilem; Nec ſolùm poteſt, ſed tenetur; Cum enim, Pœnitens, eam licitè ſequi poſſit, eſt ad abſolutionem ſufficienter diſpoſitus, nec vllum habet impedimentum; Confeſſarius autem, Pœnitenti diſpoſito, ſine graui culpà, abſolutionem negare non poteſt; Tum quia Pœnitens ad illam habet ius, ne priuetur bono Sacramenti; Tum quia, poſità cauſà iudicij, quæ eſt

eſt peccatorum accuſatio, ſiue materia, ſequi neceſſariò debet ſententia ſiue forma, ne mutilum reddatur Sacramentum. Tum denique, quia graue onus eſſet, Pœnitentem ad alium Confeſſarium remittere, præſertim, quando confeſſio facta eſt de mortalibus. Ità doctores communiter, quos refert, & ſequitur *Baldellus lib. 4. d. 13. num. 9.*

66 Decimo tertiò; Poſſe Subditum, ſequi opinionem probabilem Superioris, eique ſe conformare, ſi Superioris opinio, circa materiam præceptam, ſit verè probabilis; Si enim vnuſquiſque ſequi Prudenter poteſt aliorum opinionem in rebus ſuis, quando hæc eſt verè, ac euidenter probabilis, cur non opinionem Superioris, qui iuris præſumptionem habet pro ſe? Imò aliqui volunt, Subditum teneri tunc obedire, quia Superior ius habet præcipiendi, quoties non conſtat, rem præceptam, eſſe illicitam, & eſt in poſſeſſione iſtius iuris, ideòque melior eſt conditio ipſius poſſidentis, quam Subditi non poſſidentis. *Leſſius tamen lib. 2. c. 41. d. 9. nu. 76. Io: Sanchez in ſelectis d. 73. Caſtropal. tr. 1. d. 2. p. 6. num. 3.* Et alij putant, Subditum tunc non teneri obedire; quia præceptum Superioris, ſtrictius obligare non poteſt, quam præceptum Chriſti, & Eccleſiæ. Hoc autem nõ obligat, quando datur opinio verè probabilis, quod res præcepta non contineatur ſub materià præceptà; ſic enim Pœnitens, fateri non tenetur peccatum, quod probabiliter putat, ſe non commiſiſſe; ergo neque præceptum Superioris obligabit, quoties Subdito eſt euidenter probabile, quod res præcepta, vel ſit illicita, vel limites iuriſdictionis excedat, Superior enim poteſtatem non habet præcipiendi, niſi licita, & terminos ſuæ iuriſdictionis non excedentia.

67 Decimo quartò: Eum, qui habet opinionem verè probabilem de ſuà iuriſdictione; licet habeat etiam propoſita motiua contraria probabilia: poſſe iuriſdictionem exercere; Tum quia, dictam opinionem ſequendò, prudenter operatur, vt patet ex dictis; Tum quia, quandiù datur vtrimque opinio probabilis de aliquà re, eius veritas omnino latet. Quandiù autem veritas latet circa iuriſdictionem, datur error communis, qui, ex tacito Eccleſiæ conſenſu, ſufficit, ad illam conferendam. Hinc fit, vt Parochus, quamuis ſit in alienà Parochià, aut Sacerdos non ſit, aſſiſtere tamen poſſit Matrimonio, quia de hoc datur opinio verè probabilis.

68 Decimo quintò; Poſſe Confeſſarium, iuxta opinionem verè probabilem, conſilium dare Pœnitenti; & Aduocatum Clienti: Tũ quia ſi Confeſſarius, & Aduocatus, ex illà opinione, proprias actiones regulare poſſunt, cur non etiam actiones aliorum, cum eadem ſit ratio de omnibus. Tum quia, ſic humanæ infirmitati melius proſpicitur, & plurima peccandi pericula vitantur. *Vaſquez d. 6. c. 4. n. 8.*

69 Decimo ſextò; Poſſe Aduocatum ſumere patrocinium Clientis, quo-

ties Hic litem conteſtari licitè poteſt: hoc autem poteſt, quoties habet pro ſe, rationes verè probabile; his enim poſitis, licitum illi eſt, ſuum ius experiri; Nam, quod ipſi videtur ſolum probabile, Iudici fortaſſe videbitur moraliter certũ; vel, quod in principio diſcuſſionis videtur ſolùm probabile, in progreſſu fortaſſe apparebit moraliter certum. Aduocatus tamen, Cliẽtem admonere tenetur, quem gradum probabilitatis habeat eius ius, nè Cliens plùs ſperet, quàm habet, alioquin ipſe Aduocatus teneretur de damno. *Vaſquez* 1.2.*d*.64.*c*.1. *num*.4.

70 Decimo ſeptimò; Non ſolùm vſum opinionis probabilis practicæ, eſſe licitum, ſed etiam ſpeculatiuæ, per ſe loquendo, & cum nihil obſtat. Opinio ſpeculatiua dicitur illa, quæ eſt de aliquà re non factibili, cùm quis probabiliter iudicat, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam; aliquam circunſtantiam non mutare ſpeciem, Coccolatam habere rationem non cibi, ſed potus; & ſimilia. Practica dicitur illa, quæ verſatur circa aliquam operationẽ noſtram, vt faciendam, dictans, eſſe licitam, vel illicitam, honeſtam, vel inhoneſtam; vt, cum quis iudicat, licitam ſibi eſſe retentionem rei, quam poſſidet; talem circunſtantiam non eſſe neceſſariò manifeſtandam in Confeſſione; Coccolatam, ieiunium non violare; & ſimilia.

71 Vſus ergo etiam opinionis verè probabilis ſpeculatiuæ, per ſe loquendo, eſt licitus. Tum quia, etiam opinio ſpeculatiua, eo ipſo, quod eſt verè probabilis, eſt prudens, non minus quam practica. Tũ quia, opinio probabilis practica, regulariter deducitur ex ſimili ſpeculatiuà, tamquam effectus ex ſuà causà, cum nihil obſtat; ex eo enim, quod quis probabiliter iudicet, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam, ſtatim infert ſimile iudicium probabile practicum, quod rem illam retinere licitè poſſit. Dixi tamen, cum nihil obſtat, quia hæc illatio impediri aliquando poteſt; vel ab aliquo inconuenienti, quod ex vſu opinionis ſpeculatiuæ ſequeretur, vel ab aliquà lege eundem vſum ſpecialiter prohibente: quamuis enim probabile ſit, aquam ex ſale reſolutam, eſſe materiam ſufficientem baptiſmi; hinc tamen inferri non poteſt, probabile eſſe, quod adhiberi licitè poſſit ad baptizandum, quia eius vſus, proximi ſalutem periculo exponeret. Similiter, quamuis probabile ſit, panem, aquà roſaceà confectum, eſſe panem vſualem; probabile tamen non eſt, ipſum conſecrari licitè poſſe, quia ſpecialiter ab Eccleſià prohibetur. Quandò tamen, nullum ſequitur inconueniens, nec vlla datur prohibitio, aut conſuetudo contraria: tunc vſus opinionis ſpeculatiuæ, non minus eſt licitus, quam practicæ. *Ita Suar. to.* 4. *in* 3.*p*. *d*.22. *Sec*.3. *nu*. 5. *Sanch. lib*. 1. *in dec. c*. 10. *nu*.76. *Layman. lib*. 1. *tr*. 1. §. 3. *num*.4. *Valentia* 1. 2. *d*.2.*q*.14.*p*.1. *Vaſq*. *d*. 62. *c*.4. *Nauar. c*. 17. *n*. 280. *Petr. Nauar. lib*. 3. *de reſt. c*. 1. *d*.13.

d. 13. *nu.* 297. *Io: Sanch. plures referens d.* 42. *num.* 12. *Diana p.* 2. *tr.* 13. *reſ.* 1. *&* 5. & alij cõmuniter.

72 Decimo octauò: Poſſe aliquas opiniones, temporis decurſu, mutari, ita vt ex probabilibus fiant improbabiles, vel è contra. Poteſt enim aduenire, vel noua lex, vel nouum decretum, vel de nouo apparere aliqua ratio conuincens, quę illas reddat improbabiles, vel è contra. Sic, opinio, quod, qui alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quamuis non peccet, fiat tamen irregularis, (quæ opinio apud antiquos erat communis), nunc non eſt ampliùs probabilis, quia *in Clem. ſi Furioſus; de homic.* ſtatuitur oppoſitum: quod ſcilicet non fiat irregularis. Similiter, opinio, quod detur obligatio ſub mortali recitandi matutinum ante Miſſam (quam opinionem ſequebantur antiqui) iam reddita eſt fere omnino improbabilis, cum Matutinum nullam prorsùs habeat connexionem cum Miſsà extra chorum. Item opinio, quod habenti conſcientiam peccati mortalis, Sacramentalis confeſſio ante communionem, neceſſaria non ſit; quæ ante Tridentinum habebatur vt probabilis; poſt Tridentinum facta eſt improbabilis; quia Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 11. ad Eccleſiæ pacem, & vnionem conſeruandam, & ad vitandum ſcandalum, aut aliud periculum, ſub pœnà excommunicationis prohibuit; ne quis eam opinionem pertinaciter teneat, aut publice doceat; vel prædicet. Denique opinio, quod in mortale peccatum lapſi, habità copià Confeſſarij, ſtatim confiteri teneantur, quæ erat opinio *Alenſ. par.* 4. *quæſt.* 77. *memb.* 4. *ar.* 2. *S. Bonauenturæ diſt.* 17. *par* 2. *ar.* 2. *quæſt.* 2. *& aliorum*. modo cenſetur communiter improbabilis *cum S. Antonino par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. *§.* 10. *S. Tho. in.* 4. *diſt.* 17. *qu.* 1. *ar.* 3. & alijs communiter.

73 Decimononò; Quæ hactenus de opinione probabili dicta ſunt, intelligenda eſſe de opinione probabili, probabilitate morali, non verò ſolùm Logicà, vt aliqui voluerunt; Illa opinio dicitur logicè probabilis, quæ, licet, vt plurimum aut fere ſemper verificetur, poteſt tamen aliquando non verificari; vt; quod ſub accidẽtibus panis ſit propria ſubſtãtia; quod homo ſit bipes; quod ſcriptura Notarij ſit vera &c. Hæ tamen propoſitiones, dicuntur phyſice, ac moraliter certæ, quia in eis, formido de falſitate, rationabiliter, vt leuis contemnitur; nemo enim dubitat de Notarij ſcripturà, quia quamuis non repugnet, Notarium men iri, ex eo tamen, quod ſit perſona publica, ac iurata, præſumitur non mentiri. Illa opinio dicitur phyſice, ac moraliter probabilis, quæ aliquando verificatur, aliquando non; vt; quod poſt Iridem ſequatur ſerenitas; quod res, quam poſſideo, ſit mea; quod hic & nunc ſit media nox; quod votum non emiſerim, dum non recordor &c; Hæ autem dicũtur phyſicè, ac moraliter incertæ, quia annexam habent rationabilem formidi-

tuidinem de falſitate; ita enim puto, eſſe hic & nunc mediam noctem; rem, quam poſsideo, eſſe meam; me votum non emiſiſſe &c. vt tamen de hoc ipſo ſim incertus; De opinionibus igitur, etiã hoc modo probabilibus, intelligẽda ſunt, quæ ctenus diximus, quia de his etiam poteſt eſſe quæſtio, & de his etiam locuti ſunt hactenus Doctores, vt eos legentibus euidenter conſtabit; quærunt enim, an, ſi ſint duo horologia, quorum vnum, aliud per quadrantem præcedat; poſsit quis in nocte bacanalium, dum primum, dat ſignum mediæ noctis, adhuc carnes comædere, probabiliter putans, aliud eſſe verum, licet de hoc ſit incertus. Hæc autem, eſt probabilitas moralis, non Logica, & de hac loquentes, fere omnes, aſſerunt, poſſe nos tuto in praxi ſequi opinionem probabilem, dummodo ſit vere probabilis. Cuius rei alia ratio vlterior eſſe poteſt; quia formido iudicio opinatiuo annexa, ſicut ab illo non tollit, quin ſit iudicium determinatum, prudenter dictans, hoc opus eſſe licitum; ita nõ impedit, quin voluntas prudẽter illud ſequatur in praxi; regulata tamen ſemper immediate ab alio dictamine prudentiæ certò, quod ex ipſo iudicio probabili, non tamquam ex præmiſſa, ſed tamquam ex motiuo, reflexè formatur, & hoc ſolum voluit *Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 6.*

74 Vigeſimo; Quæ dicta ſunt de opinione, applicari poſſe etiam Fidei humanæ; Hæc enim ab opinione differt ſolum in hoc, quod opinio nititur rationibus, vel à priori, vel à poſteriori; Fides verò, extrinſecà Doctorum auctoritate. Auctoritas autem, vt ſit apta ad reddendam quæſtionem aliquam euidenter probabilem, & conſequenter prudenti fidei aſſenſu dignam, requirit primò; vt ſit Doctorum, in eo genere, inſignium, quales cenſentur communiter eſſe, qui eam impreſsis voluminibus, ex profeſſo, accurate, & cum laude, tractarunt; de his enim iudicari prudenter poteſt; quod materiam illam profundius ſcrutati ſint, ac optime nouerint, ideoque quòd in eà non tam facile fuerint decepti. Secundò, vt Doctores illi non ſint ſingulares, ſed habeant ſocios; quamuis enim vnus, aut etiam alter decipi fortaſſe potuerit; cum tamen plus videant oculi, quam oculus, eo ipſo, quod tres, vel quatuor, aut quinque Doctores in aliquà materià inſignes, in eà conueniunt, prudenter iudicari poteſt, quod non omnes errauerint.

75 Hinc fit primò, vt in materià Theologicà, vnius inſignis Theologi auctoritas, longe maioris ponderis ſit, quam quinquaginta Iuriſtarum, aut Canoniſtarum; de his enim, cum materias Theologicas vix à limine ſalutauerint, dubitari ſemper meritò poteſt, quod terminos ipſos confundentes, ſæpe, & in multis errauerint.

76 Secundò; Vt longe plus valeat auctoritas vnius Doctoris claſsici, qui rem ex profeſſo tractauit, quam quinquaginta aliorum, qui more pecudum, ſolà aliorum auctoritate ducti

ducti eam obiter aſſerunt; In opinionum enim delectu, non tam attendendus eſt Doctorum numerus, quam ſapientia, vt optime aduertit *Paulus Comitolus lib.* 5. *reſp. mor. quæſt.* 15. Negari autem non poteſt; quin Theologis recentioribus, cum vere Claſsici ſunt, magis deferendum ſit, quam Antiquis. Sicut enim, in cœlo, à recentioribus Aſtronomis, nouæ veritates detectæ ſunt, quæ Antiquos latuerunt; ita à recentioribus Doctoribus, in Theologià, alijſque materijs; Neque hoc mirum videri debet; nam, cum *Sapientia infinitus theſaurus ſit hominibus*; *Sap.* 7. nouæ ſemper ex eo veritates extrahi poſſunt. *ita Sanchez lib.* 1. *in dec. cap.* 9. *num.* 11.

77 Vigeſimo primò; Syllogiſmum certum, ac euidentem, cuius concluſio, eſt dictamen prudentiæ, à quo proxime regulatur quicumque opinionem vere probabilem ſequitur; eſſe huiuſmodi; *Licitum eſt, ponere operationem, quam certò probabile eſt, non eſſe vitioſam; eo enim ipſo certo digna eſt, quæ prudenter credatur non eſſe vitioſa, & conſequenter etiam, quæ tamquam non vitioſa, prudenter ponatur. Sed certò probabile eſt, hanc operationem non eſſe vitioſam, vt eius motiua oſtendunt. Ergo licitum eſt, eam ponere.* En ſillogiſmum vndequaque certum, ac euidentem. Ne mireris autem lector, quod illum toties, ſub varijs terminis propoſuerim, quia hoc ſemel perfecte intellecto, difficultates omnes, quæ in hac materià fieri poſſunt, ſtatim euaneſcunt; vt conſideranti facile patebit; Et ex eius ignorantià, ortæ ſunt quæſtiones fere omnes, contrà opinionem probabilem, excitatæ. Hunc verò ſillogiſmum requiri ad prudenter operandum, docent: *S. Thom. quolib.* 8. *art.* 13. *Nauarr. c. ſi quis num.* 63. *diſt.* 7. *de pæn. Suar. de cenſ. diſp.* 40. *ſec.* 5. *num.* 14. *Card. de Lugo de fide diſp.* 5. *ſec.* 1. *num.* 16. *Laym. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *§.* 1. *Leſsius lib.* 1. *cap.* 1. *diſp.* 1. *Ariaga tom.* 3. *diſp.* 23. *ſec.* 2. *ſubſ.* 2. *Salaſ.* 1. 2. *tr.* 8. *ſec.* 5. *Azor. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 25. *quæſt.* 12. *Clauis reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 13. *Sanch. lib.* 1. *ca.* 6. *& lib.* 6. *cap.* 3. & alij ferè omnes communiter, cum prudentia debeat eſſe notitia certa agendorum.

QVAESTIO VI.

An conſcientia practicè dubia poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 MVLIER quædam, nondum certa de morte Mariti, alteri nupſerat; Poſt Matrimonium verò dubitare cœpit, an ſecundo Marito petenti, poſſet debitum reddere. Cum hoc tamen dubio, petenti reddidit; quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Quid intelligatur nomine conſcientiæ dubiæ.*
7 *Quid, & quotuplex ſit dubium.*
8 *Quid ſit dubium ſpeculatiuum, quid practicum.*
9 *Vxor debitum reddens cum dubio practico, mortaliter peccat.*
10 *Operari cum dubio practico, eſt intrinſecè malum.*
11 *Eſt contra præceptum, quod probibet operationem.*
12 *Qui cum dubio practico operatur, ſaltem indeterminatè, vult malum.*
13 *Neceſſario male operatur.*
14 *Operari cum dubio ſpeculatiuo, poteſt non eſſe malum.*
15 *Quando non eſt malum.*
16 *Dubitans de vtràque parte, vel minus malam, vel vtramlibet, eligere poteſt.*
17 *Ad peccandum ſufficit dubium; quod operatio ſit illicita.*
18 *Conſcientia dubia non eſt propriè conſcientia.*
19 *Operans cum dubio, committit peccatum illius ſpeciei, de quà dubitat.*
20 *In dubio practico, pars tutior neceſſariò eſt eligenda.*
21 *Conſcientia obiectiuè dubia, in quo differat à dubià formaliter.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut nomine conſcientiæ erroneæ, ac probabilis non intelligitur aliquid, ex parte intellectus immediate præcedens operationem voluntatis, ſed error, vel opinio, quatenus ex illis oriri poteſt actus quidam experimentalis, ac reflexus Prudentiæ, certò & infallibiliter

liter dictans, operationem illis cõformem, eſſe licitam, vel illicitam; honeſtam, vel inhoneſtam. Ita nomine conſcientiæ dubiæ, intelligitur, dubium intellectus, quatenus ex illo oriri poteſt ſimilis actus reflexus Prudentiæ, dictans, operationem ipſi dubio conformem, eſſe licitam, vel illicitam; honeſtam vel inhoneſtam; & quoniam dubium, aliud eſt practicum, aliud ſpeculatiuum, quæritur hic de practico, an ex illo oriri vnquam poſſit actus prudentiæ, dictans, operationem illi conformem, eſſe licitam, an vero ſemper oriatur actus, dictans eſſe illicitam.

3 Videtur autem, etiam ex dubio practico, oriri poſſe actus prudentiæ dictans, eſſe licitum operari; Ideoque Mulier mortaliter non peccaſſe; primò; quia poteſt Iudex, quamuis dubitet, an licitum ſit, cognitum Innocentem, ſecundum allegata, & probata iudicare, licitè ſecundũ allegata, & probata illum cõdemnare; & Miles obedire Principi, à quo vocatur ad bellum, quamuis dubitet, an bellum ſit illicitum, vt fatentur Doctores omnes communiter.

4 Secundò; quia certum eſt, eſſe licitum, cum dubio ſpeculatiuo, operari; certum enim eſt, me poſſe licitè retinere rem, quam poſſideo, etiamſi dubitem, eſſe alienam; Ergo erit etiam licitum, operari cum practico; dubium enim practicum, oritur neceſſario ex ſpeculatiuo; nam ſi dubito, rem eſſe alienam, impoſſibile eſt, me ſtatim non dubitare, an eam teneat reſtituere; ſi ergo ſemel licitum eſt, operari cum dubio ſpeculatiuo, neceſſariò debet eſſe licitum etiam, operari cum practico.

5 Tertiò; quia ſi non liceret operari cum dubio practico, ſequeretur, ſæpe neceſſitari homines ad peccandum; ponamus enim, quod quis ab altero gladium mutuo acceperit, cum iuramento illum reſtituendi, quotieſcunque petierit, & Dominus petat ad occidendum inimicum; in hoc caſu, habens gladium, & dubitans, an liceat reſtituere; cum hoc dubio, licitè operari non poſſet, ſed neceſſitaretur ad peccãdum; Ex vnâ enim parte, reſtituendo, reus eſſet homicidij; ex alterâ verò, non reſtituendo, reus eſſet periurij. Cum ergo nemo neceſſitari poſſit ad peccandum, dicẽdum eſt, poſſe homines, in ſimilibus caſibus, cum dubio practico, licitè operari: ideoque Mulierem, debitum reddendo, mortaliter non peccaſſe.

6 Quartò; Quia qui operatur cũ dubiò, operatur ſine cognitione determinatâ bonitatis, vel malitiæ ipſius operationis; qui enim dubitat, neque iudicat, operationem eſſe licitam, neque illicitam, alioquin non dubitaret; ſine cognitione autem determinatâ malitiæ, ac peccati, non poteſt quis peccare; non enim dici poteſt, velle malum, & peccatum, cum, hoc illi per cognitionem determinatè non repreſentetur, ac proponatur; ſicut ſine cognitione bonitatis, dici non poteſt bene operari, quia voluntas ferri non poteſt in bonitatem, niſi hæc

illi

illi per cognitionem determinatè proponatur; Sicut ergo qui operatur cum dubio, non bene operatur, ita neque peccat; cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò, Dubium propriè, eſſe mentis hæſitationem, ortam ex eo, quòd Intellectus, propoſito ſibi obiecto, neutri parti aſſentiatur, ſed remaneat quaſi ſuſpenſus, & ambiguus. Ex duplici autem capite, oriri poteſt, vt Intellectus, propoſito ſibi per apprehenſionem obiecto, neutri parti per aſſenſum adhæreat; Primò ex eo, quod pro neutrà parte habeat ſibi propoſita motiua; vt, cum dubitat, an ſydera Cœli ſint paria, an imparia; & tunc dicitur, habere dubium negatiuum, quod, cum, ex defectu motiuorum, deponere non poſſit, rationes pro alterutrà parte quærere tenetur, vt illud deponat; Secundò ex eo, quod intellectus, hinc inde, propoſitas habeat rationes probabiles æque efficaces; Tunc enim, cum non ſit maior ratio, cur in vnam potius partem inclinet, quam in aliam, Neutri parti determinatè adhæret, ſed quaſi manet in æquilibrio; & tunc dicitur habere dubium poſitiuum, quod, vel ex imperio Voluntatis, vel rationibus pro alterutrà parte melius perpenſis, deponere poteſt, vni parti determinatè, per aſſenſum, adhærendo. Quod, ſi intellectus, ſupra, huiuſmodi dubia reflectens, determinatè iudicet, dubium eſſe, an ſyderà ſint paria, vel an aliquid liceat, aut non liceat; dicitur tunc habere conſcientiam dubiā obiectiuè, quia habet pro obiecto dubium. Cæterum, formaliter non eſt dubius, ſed potius certus, cum iudicium iſtud ſit certum, & euidens; ſicut, cum intellectus reflexè iudicat, probabile eſſe, quod aliquid ſit licitum, vel illicitum; iudicium illud, dicitur conſcientia probabilis obiectiue, quia habet pro obiecto probabilitatem; Cæterum, formaliter eſt conſcientia certa, quia iudicium illud, eſt in ſe certum, ac euidens; In ordine tamen ad praxim, conſcientia obiectiue dubia æquiualet conſcientiæ dubiæ formaliter, quia regulariter eoſdem parit effectus, ſicut eoſdem parit effectus, iudicium probabile, quod res ſit licita, & iudicium euidens de probabilitate, quod res ſit licita.

8 Aduertendum eſt Secundò; dubium, aliud eſſe ſpeculatiuum, aliud practicum; ſpeculatiuum, dicitur, quando eſt de aliquo facto, vel iure; vt, cum quis, dubitat, an vigeſimum primum annum expleuerit in ordine ad ieiunium; vel, an matrimonium ſit validum; an detur aliqua lex, vel præceptum, & ſimilia; aut quando, in genere, dubitatur, an aliquid liceat, vel non liceat; vt, an liceat, die feſto, iter agere, vel dare conſilium, & ſimilia; Practicum dicitur, quando eſt de aliquà operatione in particulari, an hic & nunc liceat, vel non; an ſit facienda, vel omittenda; vt,

an

an liceat mihi, hunc librum legere, vel detrahentes audire, & ſimilia; Hoc autem dubium, regulariter oritur ex ſpeculatiuo, tanquam proprietas ex ſuà radice; Ex eo enim, quod quis dubitat, an res, quam poſſidet, ſit ſua, oritur ſtatim dubium, an eam reſtituere teneatur: ex eo quod dubitat, an vigeſimum primum annum expleuerit, an teneatur ieiunare, & ſimilia; Aliquãdo tamen Intellectus, aliquam rationem efficacem habere poteſt, ratione cuius, licet ſpeculatiuè dubitet, practicè tamen non dubitet; Dubitare enim quis poteſt, an res, quam poſſidet, ſit ſua, & tamen nullo modo dubitare, an eam liceat retinere, ſed de hoc eſſe certus, ratione poſſeſſionis; Vnde, cum dubio ſpeculatiuo, ſtare optime poteſt, iudicium practicum de rectà operatione. Vt tamen, cum dubio ſpeculatiuo, rectè quis operetur, neceſſariò requiritur, vt aliquam rationem ſaltem probabilẽ habeat, quà tale dubium, practicè deponat; ſiue quæ perſuadeat, talem operationem, V.G. rei retentionem, hic & nunc eſſe licitam; alias, à dubio ſpeculatiuo, practicum diſcordare non poſſet; his poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD caſum Reſp. Mulierem, cum eo dubio, debitum reddendo, mortaliter peccaſſe *Suar. to.6. in 3 p.d.40.ſec.5.nu.2. Vaſq. 1.2.d.65.c.1.n.4. Sãch.lib.1.in dec. c.10. Bon.d.2.de leg. q.4. pun. 7.n.4. Clauis reg.lib.1.c.13. Salaſ. 1.2. q. 21.tr.8.d.2.ſ.5. Layman.lib.1.tr.1. c.5.ſ.1. Leſsius lib.1.c.1.d.1.* & alij communiter.

10 Probatur Primò; quia Mulier operata eſt cum dubio practico. Operari autem cum dubio practico, eſt intrinſecè malum; eo enim ipſo, quod quis dubitans, an operatio aliqua ſit licita, vel illicita, illam facit, manifeſto periculo ſe exponit faciendi illicitam, & conſequẽter peccandi; Exponere autẽ ſe peccandi periculo, eſt intrinſece malum, ac peccatum; *Qui enim amat periculum, peribit in illo. Eccleſ. 3.* Cum ergo Mulier, cum dubio practico, debitum reddiderit, expoſuit ſe periculo peccandi, ſicque moraliter peccauit.

11 Secundò; quia Mulier, operando cum illo dubio, fecit contra præceptum, prohibens fornicationem: Qui enim operatur cum dubio, an aliquid ſit peccatum, facit contra præceptum, quod prohibet tale peccatum: Nam præceptum eo, ipſo, quod prohibet aliquod peccatum, prohibet etiam, ne quis operetur cum dubio illius peccati; prohibet enim, ne quis ſe exponat periculo proximo illius peccati, quod facit, qui cum dubio operatur. Qui autem facit cõtra præceptum, prohibens fornicationem, moraliter peccat. Ergo Mulier, operando cum illo dubio, moraliter peccauit.

12 Tertiò, Quia, qui facit aliquid, dubitans, eſſe malum, cenſetur, quantum in ſe eſt, illud velle, etiãſi ſit malum; vult enim illud abſolutè, ſiue bonum ſit, ſiue malum; quòd

quòd autem illud in ſe realiter non ſit malum, per accidens omnino ſe habet, in ordine ad eius voluntatem; Voluntas autem, volens hoc modo malum indeterminatè, non minus eſt mala, quàm, ſi illud vellet determinatè; non minus enim, in vno caſu, eſt affecta ad malum, & peccatum, quàm in alio; Cum ergo Mulier debitum reddiderit, dubitans eſſe peccatum, cenſetur reddere voluiſſe, etiamſi eſſet peccatum, ideoque peccaſſe.

13 Quartò; Quia, qui operatur cum dubio, operatur putans, operationem fortaſſe eſſe licitam, fortaſſe illicitam; Qui autem hoc modo operatur, neceſſariò malè operatur, benè enim operari non poteſt, cum non habeat cognitionem determinatam de honeſtate operationis; quæ tamen cognitio neceſſariò requiritur ad hoc, vt voluntas dici poſſit, velle bonum, & ad hoc, vt honeſtas operationis, ſit illi voluntaria. Ergo neceſſariò male operatur; Eo enim ipſo, quod non bene operatur, cum deberet, datur aliquis defectus in ipsà operatione, ratione cuius, non eſt bona; Hic autem defectus ſufficit, vt operatio ſit mala, quia bonum ex integrà causà, malum ex ſingulis defectibus; Neque ad hoc, vt voluntas ſit mala, neceſſe eſt, vt velit malum; ſed ſatis eſt, ſi non velit bonum, quando illud velle deberet. Vnde neque requiritur cognitio determinata malitiæ, ſed ſufficit illius cognitio ſub dubio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 AD rationes autem in contrarium. Ad primam, Negatur antecedens; Iudex enim, & Miles, tunc non operantur cum dubio practico, ſed ſpeculatiuo; Nam Iudex, ſolùm in vniuerſali, dubitat, an licitum ſit, Innocentem cognitum iudicare ſecundum allegata ac probata; Cum hoc autem dubio ſpeculatiuo, operari licitè poteſt, quia ſimul habere poteſt iudicium practicum certum, quod hic & nunc ſibi liceat, propter aliquas rationes particulares, ſic iudicare: Hoc autem iudicium, eſt regula ſufficiens operandi, & conſequenter ſufficiens, vt operatio ſit licita.

15 Ad ſecundam; Negatur conſequentia; Neque enim, cum dubio ſpeculatiuo, ſemper datur ſimile dubium practicum, ſed ſolùm, quādo non datur ratio aliqua ſpecialis dubium practicum deponendi; quamuis enim dubitet quis: rem, quam poſſidet, eſſe alienam, non tamen dubitat, an illam ſibi liceat retinere, ſed ratione poſſeſſionis, hoc determinatè, ac certò iudicat, ſicque iam habet regulam aliquam ſuæ operationis, quam ſequatur. At, cum dubio practico, an hic & nunc ſit licita operatio, nullum datur iudicium determinatum, & cōſequenter neque vlla regula operandi, quæ tamen, ad licitè operandum, omnino requiritur.

18 Ad tertiam; Negatur ſequela. Qui enim dubius eſſet, an gladium re-

reſtituere deberet ad vitandum periurium, an vero illum retinere ad vitandum homicidium, debitam prius diligentiam adhibere deberet ad veritatem inquirendam, cum recta ratio dictet, hanc eſſe adhibendam, ne in operando quis peccet; Si autem, illâ adhibitâ, adhuc dubium rationabiliter deponere non poſſet, tunc eligere poſſet, quod minus malum iudicaret; Perinde enim eſſet, ac, ſi inter duo mala conſtitutus eſſet; Ex duobus autem malis, minus eſt eligendũ; Quod ſi diſcernere non valeret, quodnam maius eſſet, eligere poſſet quodcumque vellet, quia, in re, nunquam datur perplexitas, ita vt homo neceſſariò peccare debeat.

17 Ad quartã; Negatur minor; Cũ enim ad peccatum, ſufficiat quilibet defectus alicuius circunſtantiæ requiſitæ ad bonum, eo quod malum ex ſingulis defectibus, ſequitur, ad peccatum non requiri cognitionem determinatam, quod operatio ſit illicita & peccatum, ſed ſufficere cognitionem ſub dubio; Ad peccatum enim, non requiritur, vt voluntas poſitiuè velit malum, ſicut ad actum bonum requiritur, vt velit poſitiuè bonum, ſed ſufficit, ſi non velit debito modo bonum; Eo enim ipſo, actus eſt defectuoſus, & conſequenter malus; Eo autem ipſo, quod non habet determinatè cognitionem boni, ſed ſolùm ſub dubio, non vult debito modo bonum; non enim ita vult, vt illud abſolutè amare poſſit, cum ad hoc, non habeat ſufficientem cognitionem bonitatis, & aliunde bonum poſtulet amari abſolutè.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò. Conſcientiam dubiam, non eſſe propriè conſcientiam; conſcientia enim propriè, eſt actus Intellectus practici, iudicantis quid hic & nunc faciendum ſit, tanquã licitum, vel omittendum, tanquam illicitum: qui actus, ad libertatem, & honeſtatem operationum voluntatis, eſt omninò neceſſarius, tanquam earum regula, eo quod, voluntas, cum ſit potentia cæca, non feratur in obiectum, niſi prout illi per cognitionem proponitur. Conſcientia autem formaliter dubia, nullum dicit actum intellectus; tunc enim ſolùm datur, cum Intellectus neutri parti aſſentitur; Vnde, cum dicitur, conſcientia dubia; idem eſt, ac dicere, non conſcientia; ſicut cum dicitur, homo mortuus, idem eſt ac dicere, nõ homo.

19 Secundò, Eum, qui facit aliquid, practicè dubitans, eſſe peccatum, committere tale peccatum, quale dubitat illud eſſe; ita vt, ſi dubitat, eſſe mortale, ſit mortale, ſi veniale, veniale; Tum quia habet affectum ad peccatum eiuſdem rationis cum eo, de quo dubitat, eiuſque periculo ſe exponit; Tum quia facit contra idem præceptum, contra quod, eſt peccatum, de quo dubitat, cum idem præceptum quod prohibet peccatum, prohibeat

beat etiam operari cum dubio, eo quod prohibeat, eiuſdem peccati periculo ſe exponere.

20 Tertiò; In dubio practico; teneri vnumquemque, partem tutiorem eligere, & in hoc dubio, regulam illam iuris (*in dubijs tutior pars eſt eligenda*) non eſſe conſiliũ, ſed præceptum; Ratio autem eſt, quia vnuſquiſque, proximum peccãdi periculum vitare tenetur; Vitatur autem ſolùm, partem tutiorem eligendo; illa vero dicitur pars tutior, in quà nihil mali repræſentatur, vel ſaltem malum minus; Vnde, qui dubitat, an teneatur ieiunare, ieiunium eligere, tenetur, quia ſic certo non peccat, & non ieiunando peccaret, quia peccandi periculo ſe temere exponeret. Similiter, qui dubitat, an contractus, quem vult celebrare, ſit vſurarius, tenetur illum non celebrare, quia, non celebrando, nullum incurrit peccandi periculum, celebrando verò, peccandi periculo ſe exponeret. *Sanch. lib. 2. matr. d. 41. n. 9.*

21 Quartò; Conſcientiam obiectiuè dubiam, quamuis regulariter eundem effectum producat, ac cõſcientia dubia formaliter; aliquando tamen, aliquem effectum habere, quem non habet conſcientia formaliter dubia; Si enim, propoſitâ alicui aliquâ Fidei propoſitione, Intellectus, rationibus hinc inde perpenſis, neutri parti aſſentiatur, ſed maneat ambiguus, an ſit vera, vel non, non dicetur propriè hæreticus, & per conſequens hæreticorum pœnas non incurret; At verò, ſi actu reflexo, ac iudicio determinato, affirmaret, illam Fidei propoſitionem eſſe dubiam, eſſet perfectè hæreticus, quia tunc daretur conſenſus, ſiue iudicium intellectus, affirmans, rem Fidei non eſſe certam; quod eſt hæreſis manifeſta. *Sanch. lib. 2. ſum. c. 7. nu. 12. contra Suar. d. 19. de fide ſec. 4. num. 16.*

QVÆ-

QVAESTIO VII.

An conſcentia ſpeculatiue dubia circa ius poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 TItius, mortuo Patre, inter depoſita ſibi ab eo relicta, Adamantem inuenit, de quo dubitabat, an eſſet Cæſaris, an Pompeij; Cumque de hoc certificari non poſſet, eo quod Vterque eſſet iam mortuus, & ſoli ſupereſſent Hæredes, Adamantem dedit Hæredibus Pompeij, quia eius erant amici, Queritur, Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

6 *Dubium ſpeculatiuum, per ſe loquendo, trahit practicum.*
7 *Titius, vni parti, rem dubiam applicando, mortaliter peccauit.*
8 *Operari cum dubio ſpeculatiuo, quando non datur ratio illud practice deponendi, eſt intrinſece malum.*
9 *Idem eſt, ac operari cum dubio practico.*
10 *Vnum neceſſario infertur ex alio.*
11 *In dubio iuris duorum, res vni iuſte applicari non poteſt.*
12 *Iudex, in ſimili dubio, Hæreditatem diuidere tenetur,*
13 *Sola Amicitia, non eſt ratio ſufficiens dubium practice deponendi.*
14 *In dubio dignitatis duorum Concurrentium, Epiſcopus vtrilibet beneficium conferre poteſt.*
15 *Dubium, nunquam poteſt eſſe regula operandi.*
16 *Circumſtantiæ particulares, ſunt ſæpe ratio ſufficiens dubium practice deponendi.*

RATIONES DVBITANDI.

2 COnſciẽtia ſpeculatiue dubia verſatur, vel circa ius, vel circa factum. Examinamus hic dubium iuris, examinaturi poſtea dubium facti. Titius ergo, Adamantem, Pompei Hæredibus concedendo, non videtur peccaſſe. *Petrus Ledeſma qu. 45. matr. ar. 1. d. 2. ad 3. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 6. contr. 4. concl. 4. Bannes ibidem quæſt. 40. art. 1. d. 3.*

3 Primò; Quia dubium Titij fuit ſpe-

ſpeculatiuum; fuit enim dubium iuris; ſcilicet; An adamas eſſet Cæſaris, an Pompeij. Cum dubio autem ſpeculatiuo, poteſt quis licitè operari; Cum dubio enim ſpeculatiuo, optimè ſtare poteſt iudicium practicum de rectâ operatione; Sic Miles, de belli iuſtitia dubitans, formare ſimul poteſt iudicium practicum, quod ſibi liceat, ſuo Principi illum ad bellum vocanti, obedire, quandiù de belli iniuſtitia non conſtat, ſicque licitè militare; Ergo etiam Titius, dubitans, an Adamas eſſet Cæſaris an Pompeij, potuit formare iudicium practicum, quod ſibi eſſet licitum, Adamantem dare Hæredibus Pompeij, ratione peculiaris amicitiæ, quandiù non conſtaret, illum ad Cæſaris hæredes pertinere, ſicque licitè illum dare.

4 Secundò; Quia Epiſcopus, quando ex duobus, ad beneficium Curatum concurrentibus, dubitat vter ſit dignior, ſi vnus ſit eius amicus, beneficium illi licitè conferre poteſt, quia eius amicus eſt; quamuis enim, ex iuſtitiâ, teneatur, beneficium conferre digniori, quãdo conſtat de maiori dignitate; quando tamen non conſtat, ſed de hoc eſt dubiũ, poteſt illud vni potiùs, quam alteri licitè conferre, pro vt voluerit, perinde ac, ſi eſſent æquè digni: Sed eodem modo, Titius dubitauit, cuius eſſet Adamas, Cæſariſne, an Pompeij; Ergo ipſe etiam potuit, illum pro libito, dare potiùs Hæredibus Pompeij, quam Cæſaris, & ad hoc arbitrium moueri, à peculiari amicitiâ, quam cum ipſis habebat; non enim magis tenetur ipſe, ex iuſtitiâ cõmutatiuâ, reſpicere ius alterius, quàm Epiſcopus dignitatem.

5 Tertiò; Quia, quando, inter duos litigantes, non conſtat de æqualitate iuris, ac cauſæ, ſed ſunt hinc inde opiniones probabiles, tenentes, quemlibet, integrum ius ad hæreditatem habere, poteſt Iudex cui maluerit, integram hæreditatem applicare, cum in hac applicatione, cõformet ſe opinioni probabili, aſſerenti, illum, ius integrum ad hæreditatem habere, eique integram hæreditatem eſſe debitam. Sed etiam, quando datur dubium de æqualitate iuris, ac cauſæ, de ipsâ æqualitate non conſtat; Ergo tunc etiam, poteſt Iudex, cuicumque maluerit, hæreditatem applicare. Hoc autem totum, applicari poteſt Titio; nam, cum ipſi etiam non conſtaret de æqualitatè iuris partium, potuit vtrilibet, pro libito, Adamantem applicare, & conſequenter Hæredibus Pompeij potius, quàm Cæſaris, propter amicitiam, quam cum illis habebat.

NOTABILE.

6 ADuertendum eſt; dubiũ ſpeculatiuum, ſecum regulariter neceſſariò trahere dubium practicũ; ita vt impoſſibile ſit, dari dubiũ ſpeculatiuum, & quod ex illo non ſequatur, per ſe, dubium practicũ, niſi hoc, ab aliquâ circunſtantiâ, aut ratione ſpeciali ſaltem probabili, per accidens, vel impediatur, vel tol-

collatur; Si quis enim ſciat, contractum vſurarium, eſſe illicitum, & dubitet, an hic contractus, ſit vſurarius, dubitare neceſſariò debet, an hic contractus ſit licitus; Nam hoc deducitur, per euidentem conſequentiam, ex illis præmiſſis: ſimiliter, ſi quis dubitet; an diebus feſtis, iter agere liceat, & ſciat, hodie eſſe diem feſtum; impoſſibile eſt, quod ſimul non dubitet, an hodie ſibi iter agere liceat; Hoc enim euidenter ſequitur ex illis præmiſſis; Niſi ergo detur aliqua ſpecialis ratio, cogens, vel ſuadens, dubium practicum deponere, ſemper ex dubio ſpeculatiuo, oritur, per ſe loquendo, dubium practicum; ſola autem amicitia, nō eſt ratio ſufficiens dubium ſpeculatiuum deponendi, ſicut neque proprium beneplacitum, ſiue exercitium propriæ libertatis; alioquin eſſet etiam ratio ſufficiens dandi Amico rem alienam, quod tamen nemo vnquã concedet. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 Reſp. Titium, Adamantem, cũ eo dubio, Hæredibus Pompeij tribuendo, mortaliter peccaſſe. *Azor to.1.lib.2.nu.16. Sanch. lib.2.matr.d.41.nu 8. Molina to.1. de iuſt. d. 113. concl.3. Reginaldus lib.13.num.83. Valentia p.2.d.2.qu. 14.p.4.qu.4.*

8 Primò; Quia Titius operatus eſt cum dubio ſpeculatiuo; dubitabat enim, num Adamas eſſet Cæſaris, an Pompeij, nec vllam habuit rationem cogentem, vel ſuadentem, dubium practicum inde conſurgens deponere. Operari autem cum dubio ſpeculatiuo, quando non datur ratio aliqua peculiaris, tollens, vel impediens dubium practicum, non minus eſt intrinſece malum, quàm operari cum dubio practico,

9 Secundò; Quia Titius, dubitauit, Adamãtẽ eſſe Cæſaris. Ergo dubitauit etiã, eſſe ſibi illicitum, dare illum Hæredibus Pompeij; idem enim eſt, Adamantem eſſe Cæſaris, ac eſſe illicitum, dare illum Hæredibus Pompeij, vel ſaltem vnum eſt neceſſariò connexum cum alio, & ex illo infertur. Sed dubitans, eſſe ſibi illicitum, dare Adamantem Hæredibus Pompeij, dubitat practicè: Ergo Titius practice dubitauit, ideoque mortaliter peccauit.

10 Tertiò; Quia, bene infertur; Adamas eſt Cæſaris, ergo illicitum eſt, dare illum Hæredibus Pompeij, & qui ſcit antecedens, ſcire etiam neceſſariò debet conſequens; Ergo etiam, qui dubitat de antecedenti; dubitare neceſſariò debet de conſequenti; Cum ergo Titius, Adamantem dederit Hæredibus Pompeij, dubitans, hoc ſibi eſſe illicitum, mortaliter peccauit.

11 Quartò; Quia Cæſaris Hæredes, poſito dubio, non minus ius habebant in Adamantem, quàm Hæredes Pompeij, ſed omnino æquale: Ex æqualitate enim iuris vtriuſque partis, oriebatur in Titio dubium: Ergo Titius, cum non eſſet dominus, ſed Reſtitutor, illum dare non poterat Hæredibus Pompeij, Cæſaris Hæredibus omnino excluſis; In

iuſtum enim eſt, vni totum dare, & excludere alium, æquale ius habētem cum illo, cum nulla ſit ratio illum excludendi, ac defraudandi iure, quod habet: Debuit ergo Titius vni parti dare Adamantem, & alteri dimidium pretij, vel alio modo ſatisfacere parti, cui Adamantem non tribuebat; ſicut enim Hæredes Pompeij, integrum Adamantem ſibi vindicare non poterāt, cum non haberent ius certum, ac integrum; ità neque Titius potuit, eis illum integrum applicare, Cæſaris Hęredibus excluſis; ideoque, applicando, mortaliter peccauit.

12 Quintò; Quia Iudex, in ſimili dubio, ex iuſtitiâ, hæreditatem inter partes, habentes æquale ius facti, diuidere tenetur; nec poteſt, ſine iniuſtitiâ, illam integram vni parti applicare, alterà omnino exclusà, cum non ſit dominus, ſed diſtributor, & hæc æquale ius habeat cum illà, & conſequenter hæreditas, non minùs ad hanc pertineat, quàm ad illam; Iudex enim, nihil aliud facit, quàm declarare cui competat ius in hæreditatem; Cum ergo vtrique parti æquè competit, pro vtràque parte illud declarare tenetur. Sed etiam Titius non erat Adamantis dominus, ſed reſtitutor, & quaſi diſtributor, & vtraque pars, ratione dubij, æquale ius habebat in Adamantem. Ergo ipſe etiam, ex iuſtitià tenebatur, vel rem diuidere, vel alio modo ſatisfacere parti, cui Adamantē non tribuebat; atque adeo, vnam partē excludendo, mortaliter peccauit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 Neque obſtant rationes in contrarium; Nam ad primam reſp: Cum dubio ſpeculatiuo, eſſe licitum operari, quando datur aliqua ratio ſpecialis, quæ illud practicè deponere perſuadeat; ſecus autem, ſi talis ratio non detur; Per ſe enim loquendo, ſemper dubium ſpeculatiuum, ſimile dubium practicum generat, cum quo, certum eſt, non eſſe licitum operari. Titius autem, nullam habuit rationem, dubium ſpeculatiuū practicè deponēdi, quia amicitia non eſt ratio ſufficiens dandi Amico, quod ſuum non eſt; in alio autem caſu, ibi adducto, datur ſpecialis ratio dubium practicum deponendi; quia, cum nō conſtet de belli iniuſtitiâ, & ſimul conſtet, bellum fuiſſe à Regio Cōſilio decretum, ac ſtatutum, habet Miles ſufficiens fundamentum præſumendi, non eſſe iniuſtum, ideoque ſibi eſſe licitum militare.

14 Ad ſecundā Reſp. In dubio, vter ex concurrentibus ad beneficium ſit dignior, poſſe Epiſcopum, illud, cui maluerit, conferre; Tum quia neuter ex eis, ad illud habet ius, etiam iuſtitiæ diſtributiuæ, quouſque eligatur; Tum quia, iuſtitia diſtributiua dictat, & obligat, vt vni tantum conferatur: At in caſu, vtraque pars, ratione dubij, habebat ius iuſtitiæ in Adamantem, quia hic erat vtriuſque ſub dubio, neque erat maior ratio, illum vni potius applicandi, quàm alteri, cum vtraq; pars, ius haberet æquale: Ergo diuidi

di neceſſariò debebat, iuxta menſuram iuris, quod quælibet pars habebat; ſicut fuiſſet diuidendus à Iudice, ſi partes ad illum confugiſſent.

15 Ad Tertiã Reſp. quando datur opinio probabilis; iam dari regulam ſufficientem operandi: At dubium, nunquam poteſt eſſe regula operandi, ſed neceſſariò practicè deponi debet, vt quis rectè operetur; nec prudenter deponi poteſt, niſi detur aliqua ratio illud deponendi; Cum ergo Titius, nullam rationem haberet illud prudenter deponendi, & vni parti potius adhærendi, quàm alteri; neque prudenter potuit, vni parti potiùs, quàm alteri Adamantem applicare, alterà omnino exclusà, ſed diuidere debuit, vel alio modo ſatisfacere parti, cui Adamantem non tribuit.

***

COROLLARIVM.

16 Colligitur ex dictis; Dubium ſpeculatiuum, impediri aliquando, ne generet practicum; Cum enim actus humani verſentur circa ſingularia; dari poſſunt aliquando, in ſingularibus, aliquæ circunſtantiæ particulares, ratione quarum, facere licet, quod in communi, & præſcindendo ab illis circunſtantijs, non eſſet licitum: Sic licitum eſt Infirmo, ratione infirmitatis, carnes comædere, die Veneris, quod ei, ſeclusà infirmitate, non eſſet licitum; In his ergo caſibus, quando datur ratio aliqua perſuadens, hîc & nunc, operationem eſſe licitam, tunc practicè deponere quis poteſt dubium ſpeculatiuum, & contra illud operari; Aliqua tamen ratio ſaltem probabilis ad hoc, neceſſario requiritur, quia alias, dubium, temere, & non prudenter deponeretur.

QVAESTIO VIII.

An conſcientia ſpeculatiue dubia circa factum, poſſit eſſe regula operandi.

CASVS.

1 TITIVS, dum circa mediam noctem comæderet; dubitauit, an media nox adhuc eſſet elapſa; Cumque, adhibitâ diligentiâ, certificari non potuiſſet; cum hoc dubio, die ſequenti ad Euchariſtiam acceſsit; Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

8 *Factum in dubio non præſumitur, ſed probari debet.*

9 *Dubium, cum poſt debitam diligentiam, vinci non poteſt, æquiualet ignorantiæ inuincibili.*

10 *Titius, cum dubio mediæ noctis, ad Euchariſtiam accedens, nõ peccauit.*

11 *Cum dubio ſpeculatiuo formari poteſt iudicium practicum certum.*

12 *Dubium facti trahit ſecum dubium iuris.*

13 *In dubio facti, præceptum non eſt in poſſeſſione obligandi.*

14 *Præceptum, in dubio obligationis, non obligat.*

15 *Dubium ſuperueniens, certâ rei poſſeſſione, ſpoliare non poteſt.*

16 *Factum dubium, poſt debitã diligentiã, inuincibiliter ignoratur.*

17 *Poſſeſſio non ſtat pro obligatione, quando eius incæptio eſt incerta.*

18 *Dubitans, an media nox ſit elapſa, non dubitat, an ſit ieiunus.*

19 *Hoc rationabiliter præſumit.*

21 *Habens ius ad aliquid, propter ſolum dubium, illo ſpoliari nõ poteſt.*

21 *Cum dubio mediæ noctis, haberi poteſt certitudo ieiunij.*

23 *Dubius de ieiunio à culpâ, ad Euchariſtiam accedere non poteſt.*

24 *Dubium ſpeculatiuum, fieri poteſt practice certum.*

25 *An, & quando, in dubijs, tutior pars ſit eligenda.*

26 *Poſt adhibitam debitam diligentiam, quælibet pars eſt æque tuta.*

RA-

RATIONES DVBITANDI.

2 De dubio facti, eſt ſpecialis difficultas, an dari poſſit ratio ſufficiens, ad illud prudenter deponendum; Videtur enim, dari non poſſe; Ideoque, Titium, ad Euchariſtiam, cum eo dubio, accedentem, mortaliter peccaſſe ita *Sanch. lib.* 2. *matr. d.* 41. *n.* 40. *Bonac. de contract. d.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 2. *Salas* 1. 2. *tom.* 2. *tr.* 8. *d.* 1. *ſec.* 25. *nu.* 263.

3 Primò; quia præceptum ſumendi Euchariſtiam ieiunè, ſemper obligat. Ergo qui, dum accedit ad Euchariſtiam, dubitat, an ſit ieiunus, dubitat, an violet præceptum ſumendi Euchariſtiam ieiunè: Cum ergo Titius, antecedenter ad præceptum, nullam haberet poſſeſſionem, ratione cuius, formare ſibi poſſet iudicium practicum, quod illi liceret, ad illam ſic accedere; accedendo, peccauit; poſſeſſio enim erat pro præcepto.

4 Secundò; Quia; qui dubitat, an ſit ieiunus, dubitat, an ſit dignus. Sed qui dubitat, an ſit dignus, non poteſt ad ſacramentũ accedere ſine culpà, ſe enim exponit periculo accedendi indignè: Ergo, qui dubitat, an ſit ieiunus, ad Euchariſtiam accedere non poteſt ſine culpà, ſed probare priùs debet, ſe eſſe ieiunum, & tunc de pane illo edere, & de calice bibere.

5 Tertiò; Quia; qualitas non præſumitur, niſi probetur, vt optimè probat *Menoch. conſil.* 35. *n.* 31. Sed ieiunium eſt qualitas, ſiue conditio ad Euchariſtiæ ſuſceptionem neceſſaria: Ergo non præſumitur, niſi probetur; Qui autem dubitat, probare non poteſt.

6 Quartò; Quia, volens beneficium Eccleſiaſticum acquirere, probare debet, ſe eſſe legitimum; & volens ad ſacros ordines promoueri, probare debet ætatem ad illos requiſitam; Ergo etiam, volens recipere Euchariſtiæ beneficium, probare debet ieiunium naturale; Non minùs enim, hoc, ad Euchariſtiã ſuſcipiendã requiritur, quàm ætas ad ordines, & eſſe legitimũ, ad beneficiũ.

7 Quintò, Quia; Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, non minus requiritur, eſſe ieiunum à cibo, & potu in corpore, quàm eſſe ieiunum à culpà, in animà; Sed ad dignè accedendum, requiritur, vt accedens certò ſit ieiunus à culpà, in animà: Ergo etiam requiritur, vt certo ſit ieiunus à cibo, & potu, in corpore; Sicut ergo peccaret, qui accederet dubius de ieiunio a culpà; ita peccabit, qui accedit dubius de ieiunio à cibo, & potu.

NOTABILIA.

8 Aduertendum eſt primò; Factum, quandiu eſt dubium, hoc peculiariter habere in foro externo, vt nunquam, per ſe loquendo, præſumatur, ſed habeatur pro non facto, quandiu non probatur; *L. (enim) in bello; §. factæ. ff. de Captiuis, & poſtliminio reuerſis dicitur; Factum, in dubio, non præſumitur niſi probetur.* Cuius rei ratio eſt, quia factum dubium, quandiu non probatur, ignoratur; factum

autem ignoratum, in ordine ad nos, perinde omnino eſt, ac ſi factum non eſſet; ideoque, nec vllum omnino effectum moralem parere, aut relinquere poteſt. Cum autem Forum internum, ſemper ſequatur externum, quandiu externum non nititur falsà præſumptione; ſequitur, quod etiam in Foro interno, factum dubium, per ſe loquendo, non præſumatur, quandiu non probatur. Hinc autem fit, vt quoties non probatur, rationabiliter præſumatur non factum, & conſequenter, quod in dubio facti, cuicumque, eodem modo, operari liceat, ac ſi factum non eſſet; vnde fit, vt præſumptio ſit ratio ſufficientiſſima practice deponendi dubium ſpeculatiuum, circa factum.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Dubium ſpeculatiuum, ſicut eſſentialiter ſupponit ignorantiam rei, de quà dubitatur; ita, ſi poſt adhibitam debitam diligentiam, tolli non poſsit, æquiualere ignorantiæ inuincibili; vere enim vinci non poteſt; ideoque, eodem prorſus modo, poſſe quomlibet operari, ac ſi rem, de quà dubitat, inuincibiliter ignoraret. Diligentia enim adhibita, tunc eſt ratio ſufficiens dubium rationabiliter practice deponendi, & contra illud operandi. Hæc autem duo principia, mirum eſt, quot ſcrupulis liberent. A Prudentiâ enim formari poſsũt hi ſillogiſmi certi, & euidentes. *Res, quæ rationabiliter præſumitur, eſſe propria, retineri licite poteſt. Sed res, quæ poſſidetur, & de quà dubitatur, ſed non conſtat, eſſe alienam, rationabiliter præſumitur eſſe propria vt conſtat ex dictis. Ergo retineri licite poteſt*: Item, *Licet ponere actionem, quæ inuincibiliter ignoratur, eſſe prohibita. Sed quoties datur dubium de prohibitione, & poſt adhibitam debitam diligentiam vinci non poteſt, actio inuincibiliter ignoratur eſſe prohibita. Ergo non obſtante dubio, eam ponere licet*. His ergo poſitis.

RESOLVTIO.

10 Reſp. Titium, cum eo dubio, ad Euchariſtiam accedentem mortaliter non peccaſſe; ita *Ioan. Sanch. diſp.* 42. *num.* 9. *Emanuel Sà. v. Euch. num.* 28. *Medina in ſum declar.* 3. §. 42. *Layman. lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. *ſ.* 4. *num.* 36. *Vaſq. d.* 65. *c.* 3. & alij apud iſtos.

11 Primò; Quia Titius, cum dubio ſpeculatiuo de mediæ noctis horà, formare potuit iudicium practicum, quod ſibi eſſet licitum, ad Euchariſtiam accedere; Cum enim dubium eſſet, facti; an media nox elapſa eſſet, vel non elapſa; ſic potuit ratiocinari: *Factum, in dubio, non præſumitur, niſi probetur; ſed probari non poteſt, mediam noctem iam eſſe elapſam; Ergo rationabiliter præſumitur, non eſſe elapſam*. Poſità autem hac rationabili præſumptione, accedere poſſum, quia ſum naturaliter ieiunus; Ieiunium enim naturale, ad Euchariſtiam non requiritur, niſi à medià nocte.

12 Secundò; Quia, qui die Iouis comedit carnes, dubitans, an me-

dia

dia nox effluxerit, non violat præceptum abſtinentiæ à carnibus; dubium enim eſt, an tunc tale præceptum vrgeat; Sed eſt etiam dubium, an tunc vrgeat præceptum ieiunij naturalis. Ergo neque violabit præceptum ieiunij naturalis; ideoque poterit, tanquam ieiunus, ad Euchariſtiam accedere; hæc enim duo præcepta, quoad modum obligandi, non differunt.

13 Tertio; Quia, ſi quis haberet præceptum ieiunandi, die craſtinà, ieiunio naturali, & hodie dubitans de mediæ noctis horà, comederet; per talem comeſtionem, ieiunium naturale non violaret; præceptum enim, non eſſet, pro tunc, in poſſeſſione obligandi. Ergo neque per talem comeſtionem, reddetur ad Communionem inhabilis; In tantum enim redderetur inhabilis, in quantum, per illam comeſtionem, præſumeretur, ieiunium naturale ſoluiſſe. Sed non præſumitur, ieiunium naturale ſoluiſſe. Ergo non redditur ad Communionem inhabilis.

14 Quartò: Quia, idem eſt, dubitare, an media nox effluxerit, ac dubitare, an deſierit dies hodierna, ac incœperit craſtina, & conſequenter, an incęperit obligatio præcepti de ieiunio naturali: Sed quando eſt dubium de obligatione præcepti, præceptum non obligat, quia in hoc dubio, tota poſſeſſio eſt pro libertate Voluntatis, quæ eſt certa; Ergo, in dubio de mediæ noctis horà, præceptum ieiunij naturalis, non obligat; ideoque nec violatur; & conſequenter poteſt ſic dubitans, ad Euchariſtiam, tanquam ieiunus, accedere.

15 Quintò; Quia, qui rem aliquam poſſidet, ſi ei dubium ſuperueniat, an res illa ſit ſua, & adhibità diligentià, dubium vincere non poſsit ratione certę poſſeſsionis, vti poteſt re illà, tanquam ſuà, nec ob dubium ſuperueniens, ſpoliari poteſt, aut debet certà poſſeſsione, quam habet: ſed homo eſt in poſſeſsione communicandi. Ergo, ob dubium ſuperueniens, an media nox effluxerit, vel non effluxerit; hac poſſeſsione ſpoliari non debet; Cum præſertim, ſtante hoc dubio, adhuc rationabiliter præſumere poſsit, ſe eſſe naturaliter ieiunum, eo quod ſit dubium facti.

16 Sextò; Denique, quia vnuſquiſque licitè ad Euchariſtiam accedere poteſt, quoties inuincibiliter ignorat, dari impedimentum; ſed quoties comedens dubitat, an media nox effluxerit, & adhibità debità diligentià, certificari non poteſt, inuincibiliter ignorat, eſſe elapſam, & conſequenter dari impedimentum; Ergo comedens, poſt adhibitam debitam diligentiam, non obſtante tali dubio, ad Euchariſtiam accedere poteſt. Cum ergo Titius ſupponatur, debitam adhibuiſſe diligentiam ad cognoſcendum, an media nox eſſet elapſa, neque de hoc certificari potuiſſe, licite ad Euchariſtiam accedere potuit, ideoque accedendo, non peccauit.

***

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 AD rationes contrarium, Reſpondetur; Ad primam, Negatur Antecedens, Præceptum enim ieiunij naturalis, intelligitur incipere obligare; ſolùm à medià nocte, ſicut præceptum ieiunij Eccleſiaſtici; vnde, in dubio de medià nocte, non pro præcepto, cuius inceptio obligationis eſt incerta, ſed pro libertate certà, ſtat poſſeſſio; Hæc ergo potuit, dare Titio fundamentum ſufficiens formādi iudicium practicum, quod ſibi liceret ad communionem accedere, & ſe reputare ieiunum.

18 Ad Secundā Reſp. Titium non dubitaſſe, an eſſet ieiunus, ſed, an media nox effluxiſſet: Cum hoc autem dubio, rationabiliter præſumere potuit, ſe eſſe ieiunum, quia præſumere potuit, mediā noctē nondū effluxiſſe, eo quod, factum, in dubio, non præſumatur, niſi probetur.

19 Ad Tertiā ſimiliter Reſp. Titium non dubitaſſe de ieiunio, ſed illud ſufficiēter probaſſe ex præſumptione, quod media nox non eſſet elapſa, quia erat dubium facti.

20 Ad Quartā Reſp. primò; Eo ipſo, quod non probatur, mediam noctē fuiſſe elapſam, probari ſufficienter, ieiunium naturale, ex præſumptione; eo enim ipſo, præſumitur, mediam noctem non fuiſſe elapſam, quia factum non præſumitur, niſi probetur; vnde conſequenter etiam præſumitur, ieiunium naturale non fuiſſe ſolutum.

21 Reſp. tamen ſecundò, diſparitatem eſſe, quia beneficium, & ordines, ſunt merus fauor, ad quem, nullum datur ius. At Euchariſtia; ita eſt fauor, vt, ex Diuinà benignitate, detur nobis ad illam ius, Quoties autem datur ius ad aliquid, nemo, propter ſolum dubium ſuperueniens, illo ſpoliatur, ſed conſtare debet de causà: Cum ergo non conſtet de ſolutione ieiunij naturalis, ſpoliari non debemus iure ad Euchariſtiam accedendi, cum ſimus in illius poſſeſſione; Nam etiam Filius, qui eſt in poſſeſſione ſuæ legitimitatis, propter dubium ſuperueniens de illigitimitate, non impeditur, ne hæreditatis ſit particeps cum alijs filijs legitimis.

22 Reſp. Tertiò Ad Euchariſtiam requiri, vt probetur ſolum poſſeſſio ieiunij naturalis, ſicut ad beneficium, probari debet ſolum poſſeſſio legitimitatis. Poſſeſſio autem certa ieiunij, ſtare poteſt cum dubio, an medià nox ſit elapſa: Ad ordines verò requiritur probatio ætatis, quia ætas, cum ſit quid facti, non præſumitur, niſi probetur.

23 Ad Quintā Reſp. Obligationem ad ieiunium à culpà, cum ſit abſoluta, & ſemper obliget, eſſe certam, poſt mediam noctem, ſicut etiam, poſt mediam noctem, eſt certa obligatio ad ieiunium à cibo, ac potu; vnde poſſeſſio tunc ſtat pro præcepto, cuius obligatio eſt certa, nō verò pro excuſatione, quæ eſt dubia. Quare, ſicut, ſi quis mane, os abluendo, dubitaret, an ieiunium naturale ſoluiſſet, teneretur à communione abſtinere, quia tunc poſſeſſio ſtat pro præcepto, quod eſt cer-

cer-

certum, non verò pro libertate; Ita qui dubitat de ieiunio à culpa, abſtinere debet; quia poſſeſſio ſtat pro præcepto certo, non verò pro innocentià incertà. Reſolutio tamen melius adhuc patebit inferius.

COROLLARIA.

24 Colligitur ex dictis primò; ſicut opinio ſpeculatiue probabilis, fieri poteſt improbabilis practice, per hoc, quod eius vſus, vel ſit prohibitus, vel aliquod afferat inconueniens; ita è contrà, dubium ſpeculatiuum, fieri poſſe practice certum, ac tutum, per hoc, quod detur aliqua ratio, ipſam praxim, ſiue operationem honeſtans; ſicut enim, non obſtante probabilitate ſpeculatiuà, prohibitio certa, vel inconueniens, habet vim reddendi praxim illicitam; ita è contra, ratio certa, ac prudens, habet vim reddendi licitam praxim, non obſtante dubio ſpeculatiuo. Quare, ſicut, quamuis ſpeculatiue probabile ſit, aquam ex ſale reſolutam, eſſe materiam ſufficientem Baptiſmi; quia tamen, extrà caſum neceſſitatis, & datur Eccleſiæ prohibitio, & proximi ſalus periculo exponitur, huiuſmodi aqua, ad baptiſmum, licite adhiberi non poteſt; Ita e contrà, quamuis ſpeculatiue dubium ſit, an media nox ſit elapſa; ad Euchariſtiam tamen accedere licet, quia datur rationabilis præſumptio, quod elapſa non ſit, & cõſequenter, quod ieiunium naturale, ad illam requiſitum, ſolutum non ſit: Ex hac autem præſumptione oritur iudiciũ Prudẽtiæ certũ, & infallibile de rectitudine operationis.

25 Secundò; Quinam ſit ligitimus ſenſus illius vniuerſaliſſimi Axiomatis, a quibuſdam recentioribus perperam intellecti. *In dubijs, tutior pars eſt eligenda: c. iuuenis de ſponſ.* vel illius *ex c. ſi quis diſ. 7. de pæn. Tene certum, & dimitte incertum*. Nam primo intelligenda ſunt de dubio, ac incertitudine practicà; cum in dubio practico, peccandi periculo ſe quis exponat, nec vllam habeat certam regulam operandi; non vero de dubio ſpeculatiuo, quando datur aliqua ratio illud prudenter practice deponendi; tunc enim datur Prudentiæ dictamen, ſiue iudicium certum de rectitudine operationis, vt dictum eſt; & conſequenter regula infallibilis operandi; quà poſità, ſicut impoſſibile eſt, aliquem peccare, ita impoſſibile eſt, peccandi periculo ſe exponere, ideoquè non datur amplius pars minus tuta, ſed vtràque ſit æque tuta, cum, in impoſſibili, non detur magis, aut minus.

26 Tertiò; Eadem principia, vniuerſaliter etiam intelligi poſſe, de omni dubio, antequam debita diligentia, ad illud expellendum, ſit adhibita; tunc enim, dubium, ſicut obligat ad inquirendum de lege, vt vitetur periculum tranſgreſſionis; ita, propter eandem rationem, obligat ad partem tutiorem amplectendam. At, poſt debitam diligentiam, cum æquiualeat ignorantiæ inuincibili, vt dictum eſt; nõ obligat amplius ad partem tutiorẽ ſequendam, quia iam non datur am-

amplius pars formaliter tutior, aut minus tuta; cum enim implicet, eum, qui legem inuincibiliter ignorat, contra legem peccare, in ipsâ impoſſibilitate tranſgreſſionis, non datur magis, aut minus. Hæc autem, ſunt valde notanda; quia, his ſemel intellectis, ceſſat ſtatim omnis difficultas in hac materiâ; & ex horum ignorantiâ, quidam, non diſtinguentes inter dubium ſpeculatiuum, ac practicum; nec inter dubium, ante, & poſt adhibitam diligentiam; communem omniū Theologorum doctrinam, tanquam animarum ſaluti pernicioſam, immerito damnant; cum tamen, & certiſſima ſit, & Sacrorum Canonum, ac Sanctorum Patrum ſenſui, omnino conformis, *vt doc. Laym. lib.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *§.* 4 *n.* 38. plures autē caſus particulares inferius afferemus *q.* 12. dum oſtendemus, dubium facti nullam omnino parere obligationem.

QVAESTIO IX.

An conſcientia ſpeculatiuè dubia, in materiâ iuſtitiæ, poſſit eſſe regula operandi, quando datur titulus poſſeſſionis.

CASVS.

2 TITIVS, cum inter bona paternæ hæreditatis, ſericos quoſdam pannos inueniſſet; de quibus dubitabat, an à Patre, mutuo fuiſſent accepti; nec poſt debitam diligentiam, certior fieri potuiſſet: hoc dubio non obſtante, ex ijs, veſtes, & alia domus ornamenta fieri curauit. Quæritur; vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *An titulus poſſeſsionis ſit ratio ſufficiens dubium deponendi.*

8 *Poſſeſsio generat præſumptionē dominij.*

9 *Forum internum conformatur externo, & cur.*

10 *Titius, ſericis pannis vtendo, cū dubio, non peccauit.*

11 *Legitima Poſſeſsio, eſt ſufficiens titulus Conſcientiam dubiam deponendi.*

12 *Cur, in dubio, melior ſit conditio Poſsidentis.*

13 *Poſ-*

13 *Poſſeſsio, in dubio, ſufficit ad formandum iudicium certum de licito rei vſu.*

14 *Cur Poſſeſſor præferendus ſit Domino dubio.*

16 *Dubium, in Inchoante poſſeſsionem, impedit bonam fidem, non in Continuante.*

17 *Poſſeſsor, rem, in dubio retinendo, nulli ſe periculo exponit.*

18 *Poſſeſsio, vtramlibet partem reddit omnino tutam.*

20 *Dubitans de valore Matrimonij, an petere poſsit.*

21 *Poſſeſsor, debitam diligentiam omittens, ad dubium vincendum, tenetur ad reſtitutionem.*

22 *Ante adhibitam diligentiam, re poſſeſsà vti non poteſt.*

23 *Poſt illam, vti poteſt; ſi tamen vendat, Emptorem monere tenetur.*

24 *Poſſeſsionem Inchoanti, cum dubio, non fauet poſſeſsio.*

25 *Depoſitarius, ad quid, in dubio, teneatur.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm ex dictis conſtet, vnumquemque, non obſtante dubio ſpeculatiuo, licite operari poſſe, quando datur ratio aliqua ſufficiens ad illud practice deponendum; Quæritur, an, in materià iuſtitiæ, titulus poſſeſſionis, ſit ſufficiens ratio ſimile dubium practice deponẽdi, eoquè non obſtante, licite operandi.

3 Videtur autem non eſſe, ideoquè Titium mortaliter peccaſſe. *Ita Adrian. 4. de reſtit. quæſt. de præſcript. & quolib. 2. art. 2. Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 5. art. vlt. Ledeſma p. 2. quæſt. 18. art. 1. d. 14. Aragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 1. tract. de Dominio.*

4 Probatur primò; Quia Titius, dubitans, pannos eſſe mutuo acceptos, dubitauit, an eſſent alieni, & conſequenter, an eos teneretur reſtituere; Cum hoc autem dubio, illis licitè vti non poterat, quia exponebat ſe periculo vtendi re non ſuà, ſicque peccandi contra iuſtitiam; Neque ſolùm operatus eſt cũ dubio ſpeculatiuo, ſed etiam practico.

5 Secundo; Quia; in dubijs, tutior pars eſt eligenda *c. Iuuenis de Spõſalibus & c. ad audientiam: de homic.* Sed tutius eſt reſtituere, quàm retinere, cum in reſtitutione, nullum poſſit eſſe peccatum, in retentione verò eſſe poſſit. Ergo Titius dubitans, an panni eſſent alieni, eos reſtituere tenebatur; ideoque, non reſtituendo, ſed ijs vtendo, peccauit.

6 Tertiò; Quia Titius, poſito illo dubio, eos pannos ſaltem diuidere tenebatur cum pauperibus, ſi de nullo certo Domino dubitabat; Ratione enim dubij, vel alius Dominus, vel Pauperes, loco illius, æquale ius habebant; Ergo, manente illo dubio, eos ſaltem diuidere tenebatur, vt ſeruaretur æqualitas ideoque, non diuidendo, peccauit.

7 Quartò; Quia, ſi is, qui rem aliquam, in dubio poſſidet, eà vti poſſet, ſequeretur, etiam Coniugẽ, in dubio de valore matrimonij, eo

vti poſſe, ideoque non tantum reddere, ſed etiam petere, ratione poſſeſſionis: Conſequens autem eſt falſum; Tum ex c. *Dominus de ſec. cõn. nupt.* & *cap. Inquiſitioni, de ſent. excom.* Vbi expreſsè hoc definitur. Tum quia, ex debiti petitióne, imminet periculum fornicationis, ſi non ſit verus Coniux. Tum denique, quia, ante adhibitam diligentiam ad tollendum dubium, non licebat petere: Ergo, cũ idem dubium maneat, poſt adhibitam diligentiam, nec poſt illam petere licebit.

NOTABILIA.

8 Aduertendum eſt primò; Poſſeſſionem, ex naturà ſuà, eſſe actum, ſiue exercitium, imo complementum dominij; tunc enim aliquis, dicitur eſſe rei alicuius perfectè dominus, cum eam iuridice poſſidet. Hinc autem fit primo: vt in iure, poſſeſſio bonæ fidei, ad certum tempus continuata, habeat vim præſcribendi; hoc eſt, transferendi dominium rei poſſeſſæ, in ipſum Poſſeſſorem. Secundò, vt habeat vim, generandi præſumptionem iuris; hoc eſt; veriſimilitudinem, ſiue euidentem quandam probabilitaté, quod res poſſeſſa vere ſit Poſſeſſoris; Sicut enim actus, connaturaliter indicat potentiam, à quà procedit, & quilibet effectus ſuam cauſam; Ita legitima poſſeſſio, eſt indicium dominij; Atque ita etiam ſtatuitur *in c. ſi Virgo: 34. q. 1.* & *L. is, qui deſtinauit: ff. de rei vindic.* & *L. 1. in fine C. de condit. inſertis;* & *probat Menoch. de præſumpt. lib. 1. q. 4.* Vnde Poſſeſſor bonæ fidei, re poſſeſsà, nunquam ſpoliatur, donec plene, ac euidenter probetur, ad illum non pertinere; nec ipſi incumbit onus probandi, quod res ſit ſua, ſed alteri prætendenti; *Et reg. 65. de reg. iuris in 6.* dicitur: *in dubio, ſiue in pari delicto, ac cauſà, meliorem eſſe conditionem poſsidentis.* Tum quia, cum poſſidens, habeat, pro ſe, iuris præſumptionem; quandiù delictum, vel ius, non probatur, Reus abſoluitur, & remanet in poſſeſſione ſuæ innocentiæ, vel rei, quam poſſidet. Tum quia Poſſidens, in re, quam poſſidet, habet non ſolum ius dominii dubium, ſicut alius prætendens, ſed præterea etiam ius certũ poſſeſſionis, quod alius non habet. Hæc tamen, locum non habent in poſſeſſione malæ fidei, quia hæc, à iure, merito reprobatur. Titulus ergo poſſeſſionis, in foro externo, eſt Iudici ſufficiens ratio, in dubio iuris, bonæ fidei Poſſeſſori, rem poſſeſſam prudenter concedendi, & conſequenter etiam ipſi Poſſeſſori, rem poſſeſſam retinendi.

9 Aduertendum eſt ſecundò. Forũ internum conſcientiæ, ſemper conformari externo, quando hoc, falsà præſumptione non nititur. Ratio autem eſt; quia, cum vtrumquè Forum, procedat modo humano, eo ipſo, quòd internum, externo conformatur, rationabiliter, ac prudenter procedit; Hoc autem ſufficit, vt in Foro interno, recte iudicet, ac operetur; Sicut enim in foro externo, inter Actorem, & Reum

& Reum, eſt Iudex à Republicà conſtitutus, vt vnicuique tribuat, quod ſuum eſt; Ita, in Foro interno, inter hominis Libertatem, ac Præceptum, ſiue legem, conſtituta eſt à Deo Conſcientia, tanquam Iudex, vt vnicuique tribuat, quod ſuum eſt. Et ſicut Iudex, in Foro externo, agit ad pœnam imponendam; Ita Conſcientia, in Foro interno, ad imputandam culpam; Denique, ſicut, in Foro externo; Iudex, per ſuum iudicium, eſt regula infallibilis rectè viuendi; ita Conſcientia, per ſuum, eſt regula infallibilis rectè operandi. Vnde, cum Forum externum, cogit ad ſeruandum promiſſum, vel quid ſimile, etiam internum, ad idem obligat ſub mortali; & cum Forum externum ſupplet defectum iuriſdictionis, illum etiam ſupplet Forum internum; Et ideo hanc vtriuſque Fori conformitatem, tenent *Bald. Authent. ingreſs. num.* 49. *cap. de Sacroſ. Eccl. Sotus lib.* 4. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 3. *Couaruu. in cap. cum eſſeſ. num.* 7. *de teſtam. Garzias tom.* 2. *de beneſ. par.* 9. *cap.* 1. *num.* 10. *Salaſ. quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 18. *num.* 166. *Thomas Sanchez lib.* 1. *de matrim. diſp.* 5. *nu.* 20. *& lib.* 2. *diſp.* 41. *nu.* 12. *& lib.* 2. *in dec. cap.* 10. *num.* 9. *& lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 40. *Vaſquez* 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 66. *cap.* 1. *num.* 3. *Suar. de Cenſ. diſ.* 40. *ſec.* 5. *nu.* 16. *Io. Sanchez in ſelect. diſ.* 42. *n.* 4. *& diſp.* 48. *num.* 55. & alij plurimi ab his relati. Cum ergo titulus poſſeſsionis, in Foro externo, ſit ratio ſufficiens retinendi rem poſſeſſam, erit etiam in Foro interno. His poſitis.

RESOLVTIO.

10 Reſp. Titium, ſericis pannis vtendo, cum eo dubio, nullo modo peccaſſe. Ita *Thom. Sanch. lib.* 2. *matr. diſ.* 41. *num.* 12. *Coninch. de Sacr. diſp.* 34. *dub.* 10. *num.* 93. *Io. Sanch. diſ.* 43. *nu.* 12. *Clauis reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 13. *Vaſq. diſp.* 66. *cap.* 7. *num.* 36. *Salas* 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſ.* 23. *num.* 223. *Azor. tom.* 1: *lib.* 1. *cap.* 19. *quæſt.* 5. *Molina tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 35. *in fine Couaruuias reg. poſſeſſor* 2. *par.* §. 7. *num.* 4.

11 Primò; Quia, Cum Titius, pannos illos, inter bona hæreditatis, inueniſſet, eos, bonâ fide, poſſidebat. Ergo eos licitè, non obſtante dubio, retinere ſibi poterat; poſſeſſio enim, eſt ſufficiens titulus cōſcientiam dubiam deponendi, & retentionem honeſtandi, eo quod, *ex regulà* 65. *de reg. Iuris in* 6. *in pari delicto, & causà, melior ſit conditio poſſidentis*. Sed in dubio, par erat cauſa, quantum ad illorum pannorum dominium; par enim in eos dominium habebant, Titius, ac Dominus incertus. Ergo melior erat conditio Titij poſſidentis; ideoque licitè eos poterat retinere.

12 Secundò; Quia, ideo, in dubio, melior eſt conditio poſſidentis, quia, in dubio, Poſſeſſor præſumitur Dominus rei poſſeſſæ, & præſumptio iuris habetur pro verita-

te, donec oppoſitum manifeſtè probetur; Vnde, in Foro externo, in hoc dubio, protegitur Poſſeſsor in ſuà poſſeſsione, nec aliquid compellitur reſtituere. Sed præſumptio Iuris, eſt titulus ſufficiens, ad licitè retinendam, in dubio, rem poſseſſam, & dat ius ſufficiens, ad dubium ſpeculatiuum practicè deponendum; eſt enim titulus ſufficiens, in Foro externo, & iudicia Fori interni, & externi diuerſa non ſunt, niſi quando Forum externum falſæ innitur præſumptioni, internum verò nouit veritatem. Ergo, cum, in caſu, res in vtroque Foro ſit dubia, etiam poſſeſſio erit titulus ſufficiens, ad eandem rem in dubio, licitè retinendam.

13 Tertio; Quia, poſità poſſeſſione, formare ſibi potuit Titius iudicium practicum certum de licità pannorum retentione, ac vſu, deductum, non ex dubio ſpeculatiuo, ſed ex certis principijs; Sic enim ratiocinari potuit. *In dubio, melior eſt conditio poſſidentis, & poſſidens præſumitur dominus; ideoque vti poteſt re poſſeſsà. Sed ego pannos poſſideo. Ergo ego præſumor Dominus; ideoque illis licitè vti poſſum.* Poſito autem hoc iudicio, pannos retinendo, ijſque vtendo, non peccauit; habuit enim iudicium practicum certum de licito eorum vſu, & conſequenter regulam ſufficientem ad rectè operandum.

14 Quarto; Quia, quamuis Titius, ratione dubij, haberet æquale ius proprietatis & dominij cum Domino incerto, habebat tamen ius non dubium, ſed certum poſſeſſionis. Ergo retinendo, ac poſsidendo, nulli fecit iniuriam, ſed vſus eſt iure ſuo, & conſequenter non peccauit.

15 Neque dicas; per dubium, Titij, poſſeſsionem fuiſſe interruptam, eo quod ceſſauerit bona fides, quæ conſiſtit in hoc, quod poſſidens putet, rem, quam poſsidet, eſſe ſuam; Qui autem dubitat; hoc exiſtimare non poteſt. Ceſſante autem poſſeſſione, iam ius vtriuſque partis fuiſſe æquale, ideoque pannos retineri non potuiſſe à Titio, ſed cum pauperibus fuiſſe diuidendos.

16 Nam, dubium, quamuis bonam fidem impediat in incipiente poſſidere, quia iniuſtè rem ſibi arrogat, quam non magis exiſtimat ad ſe, quàm ad alium pertinere; in continuatione tamen poſseſsionis, illam non impedit, quia ad continuationẽ poſſeſsionis, ſufficit, quod ignoretur, rem eſſe alienam; hac enim ignorantià poſità, dum res non probatur eſſe aliena, ſemper pro poſsidente eſt præſumptio, vt dictum eſt. Vnde illi ſemper fauendum eſt, nec obligandus eſt, aliquid reſtituere. *Leſſ. lib. 2. c. 6. dub. 3.*

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 AD rationes autem in contrarium, reſp. ad primam; Titium, quamuis dubitauerit, pannos eſſe ſuos, non tamen dubitaſſe, an eos reſtituere teneretur; cum eos poſsideret; & poſſeſsio ſit titulus, ac ratio ſufficiens dubium ſpecula-

culatiuum deponendi, & formandi iudicium practicum certum, vt dictum eſt; Neque pannos retinendo, vlli ſe periculo magis expoſuit, quam ſi inuincibiliter ignoraſſet, eſſe alienos; cum enim debitam adhibuerit diligentiam, dubium illud, factum eſt, æquiualens ignorantiæ inuincibili. Sicut ergo ſi inuincibiliter ignoraſſet, eſſe alienos, nulli ſe periculo formaliter expoſuiſſet, ita nulli periculo ſe expoſuit, eos, cum illo dubio, retinendo.

18 Ad 2. In dubio practico, tutiorem partem eſſe eligendam, & quando nulla datur ratio ſufficiens, ad dubium practicè deponendum. At in dubio ſpeculatiuo, nulla datur obligatio, partem tutiorem eligendi, quando adeſt iuſta cauſa dubium practicè deponendi, & contra illud agendi. Neque Titius, pannos retinendo, vlli iniuſtitiæ periculo, ſe formaliter expoſuit; Quamuis enim panni, à parte rei, forſan eſſent alieni; optimam tamen habuit rationem illos retinendi, ijſque vtendi; Hæc autem ratio, illum ab omni iniuſtitiæ peccato excuſauit, vt dictum eſt; parumque refert, an, à parte rei, panni eſſent ſui, vel alterius.

19 Ad 3. Reſp. poſito illo dubio, Dominum incertum, habuiſſe quidem æquale ius proprietatis cum Titio, ſed non æquale ius poſſeſsionis. Hoc autem reddidit Titio licitam retentionem, ac poſſeſsionis continuationem, quandiu non conſtabat de certo domino.

20 Ad 4. Reſp. Concedendo, quod dubitans de valore matrimonij, poſt adhibitam diligentiam, non ſolùm reddere poſsit, ſed etiam petere debitum; eſt enim Poſſeſſor bonæ fidei, non minus, quàm Poſſeſſor cuiuſcumque alterius rei. Si ergo, in alijs materijs, poſſeſsio eſt titulus ſufficiens, vtendi re, de quà ſpeculatiuè dubitatur, an ſit ſua; erit etiam ſufficiens in matrimonio, cum poſt debitam diligentiam, dubitatur, an alter Coniux, ſit ſuus; Neque cum tali dubio, ad illum accedendo, exponit ſe formaliter periculo fornicationis; cû, ratione ſuæ poſſeſsionis, practicè non dubitet, & fornicatio ſit acceſſus ſolùm ad cognitam non ſuam. Ad c. autem *Dominus*; reſpondetur; Eam definitionem intelligendam eſſe, quandiu non eſt adhibita debita diligentia; quamuis enim ibi, ius loquatur indiſtinctè, ratio tamen diſtinguere cogit, ne bonæ fidei Poſseſſor, ob dubium inuincibile, ab vſu rei ſuæ, in perpetuum abſtinere cogatur. Ante adhibitam autem diligentiam, petere non licet, quia tunc, petens, fornicationis periculo ſe exponeret; nondum enim eſt Poſſeſſor bonæ fidei; At poſt adhibitam diligentiam, ratione poſſeſsionis, nulli periculo moraliter ſe exponit, perinde ac, ſi ignorantià inuincibili laboraret; dubium enim, cum, poſt adhibitam diligentiam, vinci non poteſt, æquiualet ignorantiæ inuincibili, vt dictum eſt.

CO-

COROLLARIA.

21 Colligitur ex dictis primò; Poſsidentem, ſi, adueniente dubio ſpeculatiuo, an res poſſeſſa ſit ſua, omittat debitam diligentiam, vt veritatem aſſequatur, & ea omiſsio ſit cauſa, ne veritas amplius impoſterum deprehendi poſsit; teneri reſtituere, vel ei, de quo dubitat, an ſit dominus, vel, eo ignoto, pauperibus, partem valoris rei, maiorem, vel minorem, pro quantitate dubij; quia Poſsidens, per tale dubium, accedente eà negligentià culpabili, conſtituitur Poſſeſſor malæ fidei. Hic autem, tenetur ad reſtitutionem, cum poſſeſsio ei non faueat. *Leſs. lib.2. c.14. d.4. num.23.*

22 Secundò; Poſſeſsorem, ante adhibitam diligentiam ad veritatem aſſequendam, teneri à rei vſu, vel alienatione, abſtinere, quia fruſtra Dominum inquireret, prout tenetur, ſi ei rem integram conſeruare non teneretur. Si tamen res, de quà dubitatur, eſſet equus, vel ſeruus, poſſet dubitans, dum diligentiam adhibet, eo vti, animo ſoluendi Domino, pretium illius vſus, deductis expenſis, quia in hoc, Dominus non poſſet eſſe rationabiliter inuitus. *Vaſqu.* 1. 2. *qu.66. c.7.* n.36.

23 Tertiò; Poſſeſſorem, poſt debitam diligentiam, domino non inuento, non ſolùm licitè rem retinere, ac poſſidere poſſe, ſed eà etiam vti, eamque alienare, quia, ſi iuſtè poſſidere poteſt, nulla eſt ratio, ob quàm, debeat ab eius vſu perpetuò abſtinere; Si tamen rem, cum hoc dubio, poſſeſſam, venderet; Emptorem, de vitio admonere tenetur, quia aliàs rem vitioſam venderet, tacito vitio, quo cognito, Emptor, eam nunquam emiſſet, & ex tali emptione, ſequi poſſet Emptori damnum *Clauis regia lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 29.

24 Quartò; Poſſeſſorem, quando cœpit, rem poſſidere, dubitans eſſe alienam, eo quod eam emerit, vel dono acceperit, dubitans eſſe furtiuam; ſi poſt adhibitam diligentiam, adhuc remanet dubius, teneri ad reſtitutionem, quia, cum non cœperit bonà fide poſſidere, ei non ſuffragatur poſſeſſio, vt in dubio, eius conditio, ſit melior; Non tenetur tamen integrè reſtituere; quia licet ei non ita ſuffragetur poſſeſſio, vt ratione illius, poſſit rem integram retinere, cum tamen, poſt adhibitam diligentiam, non conſtat, eſſe alienam; hòc ſatis eſt, vt non teneatur rem integram, ſed ſolum eius partem, pro ratione dubii, reſtituere. *Rebell. par.* 1. *oblig. Iuſt. lib.2. de reſt. quæſt.5. nu.7.*

25 Quintò; Depoſitarium, ac Commodatarium, ſi dubitent, an, eorum culpà, depoſitum, vel commodatum perierit, & poſt adhibitam diligentiam, dubium vincere non valeant, non teneri ad reſtitutionem; quia, cum delictum, in dubio, non præſumatur. *L. Merito ff. pro ſocie:* Depoſitarius, & Commodatarius, ſunt in poſſeſſione propriæ innocentiæ, ratione cuius poſſeſſio-

nis,

nis, eximuntur ab omni onere re-ſtituendi, quandiù delictum certò non conſtat; *Bonacc. de contract. d.1.quaſt.2.pun.4.num.4.*

QVAESTIO X.

An Conſcentia ſpeculatiue dubia, poſſit eſſe regula operandi in materià aliarum virtutum, quando datur titulus poſſeſſionis.

CASVS.

1 TITIVS, Cum inſtaret quadrageſimale ieiunium, dubitare cœpit, an vigeſimum primum annum adhuc expleuiſſet; omnique adhibità diligentià, certificari de hoc non potuit. Quæritur, vtrum ieiunare teneatur.

SVMMARIVM.

9 *In Foro interno, Conſcientia eſt legitimus* Iudex *inter Voluntatem, ac Legem.*

10 *In quacumquè materià, melior eſt conditio Poſsidentis.*

11 *Quando in dubio tutior via ſit eligenda.*

12 *Quomodo dari ſimul poſsint dubium ſpeculatiuum, & iudicium practicum certum.*

13 *Obligatio non ligat, niſi Conſcientiæ ſit nota.*

14 *Dubitans an. 21. annum expleuerit, ieiunare non tenetur.*

15 *In omni materià, Poſſeſſor, præter ius dubium, habet certam poſſeſsionem.*

16 *Titulus poſſeſsionis, omnibus Virtutibus eſt communis.*

17 *In Foro externo obligatio dubia non ligat.*

18 *Operans cum dubio, ante debitam diligentiam, iuſte punitur.*

19 *Cur aliquid etiam moraliter certum, appelletur aliquando dubium.*

20 *Præceptum, in dubio, obligat, cum pro ipſo ſtat poſſeſsio.*

21 *Cur ex homicidio dubio contrahatur irregularitas.*

22 *An ſemper, ex duobus malis, minus ſit eligendum.*

23 *Quando nam dubium facti trahat dubium iuris.*

24 *Dubitans de præcepto, poſt de-*

bitam diligentiam, non obligatur.

25 *Similiter, nec dubitans de Voto, aut Iuramento.*

26 *Lex certa, licet quoad circunſtantiam dubia, obligat.*

27 *Dubitans de impedimento dirimente, poſt debitam diligentiam, Epiſcopi diſpenſatione non indiget.*

28 *Dubitans de matrimonij valore, an petere poſsit.*

29 *Alij tituli, præter poſſeſſionem, ſufficientes ad dubium deponendum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut in materiâ iuſtitiæ, poſſeſſio rei, eſt ſufficiens ratio eam, in dubio, retinendi; Ita quæri ſolet, an in alijs materiis, ſimilis poſſeſſio propriæ libertatis, ſit iuſta cauſa eam retinẽdi, ac conſeruandi, cum de aliquô præcepto, vel lege dubitatur, & poſt adhibitam moralem diligentiam, dubium vinci non poteſt. Videtur enim, non eſſe cauſa iuſta, ac ſufficiens; & cõſequenter Titium, ſtante eo dubio, ad ieiunium teneri. *Ita Vaſq.*1.2. *d.*65.*cap.*3.*Clauis reg.lib.*1.*cap.*13 *art.*36.*Azor. tom.* 1. *lib.*2. *cap.*19. *quæſt.*10.*& lib.*12.*cap* 15. *quæſt.*2. *Comitol.lib.*2.*quæſt.*12.*Turrian. de conſc.d.*3.*d.*1.

3 Primò; Quia, *In dubijs, tutior pars eſt eligenda, ex c.illud: de Cleric. excom. miniſtr.* Ibi enim Pontifex expreſsè declarat, dubitantem de ſuâ excommunicatione, eſſe deponendum, ſi ante abſolutionem, celebrauerit; huiuſque rei rationem reddit; *Quia, in dubijs, tutior via eſt eligenda*; Quam rationem, Pontifex ſupponit tanquam principium morale, vniuerſaliter iam receptum; illique innixus, declarat, celebrantẽ cum dubio de ſuâ excommunicatione, eſſe deponendum; Nam, ſi ipſe, principium illud tunc ſtatuiſſet, ex vi illius, iuſtè deponere non potuiſſet Clericũ, qui antea, cũ eo dubio, celebrauerat: contra nullam enim legem deliquiſſet: Cum ergo tutius ſit, ieiunare; dicendum eſt, Titium, de ſuâ ætate dubitantem, ad ieiunium teneri; ſic enim nulli peccandi periculo ſe exponit.

4 Secundò; Quia, *In ijs, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus; ex cap. Iuuenis; de Sponſal.* Ibi enim, ex hac ſola ratione, decernit Pontifex, Iuuenem, qui puellam nondũ ſeptennem duxerat, & poſtea illius conſobrinam ſibi in matrimonium copulauerat, debere ab hoc poſteriori matrimonio, tanquam irrito, ſeparari, ratione impedimenti publicæ honeſtatis; quod tamen erat dubium, ſicut erat dubius valor priorum ſponſalium; Imò erat præſumptio de nullitate, cum fuiſſent contracta ante ſeptennium; Cum igitur certius ſit ieiunium, quàm omiſſio ieiunij, dicendum videtur, Titium, in dubio, teneri ad ieiunium.

5 Tertiò; Quia extra materiam iuſtitiæ, poſſeſſio non eſt titulus ſufficiens ad eligendam in dubio partem, cui fauet poſſeſſio, quamuis

ſit

ſit minus tuta; Tùm quia poſſeſſio; eſt titulus ſolius iuſtitiæ proprius; Tum quia, ſi etiam in materià aliarum virtutum, præter iuſtitiam, poſſeſſio eſſet titulus ſufficiens ad eligendam, in dubio, partem minus tutam, nunquam haberet locum principium illud: *In dubijs, tutior pars eſt eligenda*; Semper enim eligi poſſet pars fauorabilior libertati, quamuis minus tuta; quia, in quocunque dubio, ſemper datur certa poſſeſſio propriæ libertatis; Imò, in dubio, nullum præceptum obligaret, quia ſemper melior eſſet conditio libertatis poſſidentis; Cum ergo, extra materiam iuſtitiæ, non detur titulus poſſeſſionis, dans ius ad licitè operandum contra conſcientiam ſpeculatiue dubiam, & ad dubium practicè deponendum, & ad partem etiam minus tutam eligendam; dicendum eſt, in aliis materiis, partem tutiorem eſſe amplectendam; ideoque Titiũ, in dubio, teneri ad ieiunium.

6 Quartò; Quia, ſi in dubio, titulus poſſeſſionis ſuffragaretur in materià aliarum virtutum, extra iuſtitiam; ſequeretur, dubitantem de homicidio, non eſſe irregularem; Cum enim vnuſquiſque poſſideat immunitatem ab irregularitate, melior eſſet conditio eam poſſidentis. Conſequens autem eſt contra *c. ad audientiam: &c. ſignificaſti; de homicid.*

7 Quintò, Quia ex duobus malis: quorum alterum neceſſariò eligendum eſt, minus eſt eligendum; *cap. duo mala d. 13.* Ergo à fortiori, cũ dubium eſt, an aliquid ſit illicitum, eligendum eſt, quod tutius eſt, & in quo nullum eſt peccandi periculum; Nullum autem eſt periculum in electione ieiunij.

8 Sextò; Quia, ſi quis dubitet, an aliquis dies feſtus, ſit de præcepto, neceſſariò dubitare etiam debet, an teneatur, eà die, ſacrum audire; Sed, ſtante hoc dubio, licitè operari non poteſt, niſi partem tutiorem amplectendo, & ſacrum audiendo: Ergo tenetur ſacrum audire; Cum ergo Titius, dubitans, an vigeſimum primum annum expleuerit, dubitare etiam neceſſariò debeat, an ad ieiunium teneatur; licitè operari non poterit, niſi partem tutiorem amplectendo, ac ieiunando; ideoque tenetur ad ieiunium.

NOTABILIA.

9 ADuertendum eſt primò; Voluntatem, cum ſit potentia cæca, immediatè obligari non poſſe, niſi à Conſcientià; Lex enim obligare non poteſt, niſi prius ſit cognita, & voluntati, per Conſcientiam, propoſita; Imo eo ſolummodo obligari, quo à Conſcentià proponitur; hoc eſt; vel tanquam certa, vel tanquam probabilis, vel tanquam dubia, pro vt à Conſcientià, per iudicium experimentale reflexum, euidenter iudicatur, vel certa, vel probabilis, vel dubia: Hinc autem fit, vt, cum ſola Conſcientia, in Foro interno, voluntatem immediatè obligare poſſit, ipſa etiam ſola, in eodem Foro, ſit Iudex legitimus, & Ordinarius,

inter voluntatem, ac legem; ſicut, in Foro externo, ſolus Superior, eſt Ordinarius, ac legitimus Iudex inter Subditum, & Accuſatorem. Hinc autem ſequitur primò, quod ſicut, in Foro externo, Iudex, quandiu eſt incertus, ac dubius de delicto, Subditum iuſte, ac rationabiliter, innocentià, quàm certo poſſidet, ſpoliare non poteſt; Ita, in Foro interno, Conſcientia, quandiù eſt dubia, ac incerta de legis obligatione, voluntatem, iuſte, ac rationabiliter ſpoliare non poſſit libertate, quam certo poſſidet. Secundò; quod, ſicut, in Foro externo, certa innocentiæ poſſeſſio, eſt Subdito ratio ſufficiens gerendi ſe tanquam innocentem, quandiu Iudici delictum certo non conſtat; ita, in Foro interno, certa poſſeſſio libertatis, ſit Voluntati ratio ſufficiens, gerendi ſe tanquam liberam, quandiu legis obligatio, Conſcientiæ certo nō conſtat. Tertiò, quod ſicut in Foro externo, vt Subditus, certà poſſeſſione ſuæ innocentiæ ſpolietur, non ſatis eſt, quòd delictum notum ſit alijs, ſed requiritur, vt ipſi Iudici notum ſit, cum ab hoc ſolo, & non ab alijs, iuridice, innocentiæ poſſeſſione, ſpoliari poſſit; ita in Foro interno; vt Voluntas, certà libertatis poſſeſſione priuetur, non ſatis ſit, quod legis obligatio vere detur, aut nota ſit Deo, vel Angelis, aut alijs hominibus; ſed neceſſario requiritur, vt ipſi Conſcientiæ certo conſtet, cum Voluntas, ab hac ſolà, & non ab alio, ſuà libertate priuari poſſit. Imo, ſicut, quamuis legis obligatio vere non daretur, ſi tamen à Conſcientià, per errorem, iudicaretur, dari; hoc ſufficeret, vt voluntas ligaretur, & proprià libertate priuaretur; ita e contrà, quamuis vere detur; ſi tamen hoc Conſcientiæ certo non conſtet; hoc ſufficit, vt Voluntas, proprià libertate non priuetur; Voluntas enim, obligatur à lege, non pro vt eſt in ſe, ſed ſolum pro vt illi, per Conſcientiam, proponitur.

10 Aduertendum eſt ſecundò. Ex ijs, quæ dicta ſunt, ſatis conſtare, Principium illud: *In dubio, melior eſt conditio poſſidentis*. Verificari, non ſolum in materià Iuſtitiæ, ſed etiam in materià aliarum Virtutū: ſicut enim, in Foro externo, poſſidet quis ſuam innocentiam, quandiu Iudici delictum certo non conſtat; ita, in Foro interno, certo poſſidet ſuam libertatem, quandiù, in Conſcientiæ tribunali, certo nō conſtat de legis obligatione. Sicut ergo, in dubio delicti, certa innocentiæ poſſeſſio præualet, & eſt ratio ſufficiens gerendi ſe tanquam innocentem; ita in dubio obligationis, certa libertatis poſſeſſio præualebit, eritquè ratio ſufficiens ſe tanquam liberum gerendi; non eſt enim potior ratio vnius, quam alterius. Neque mirum videri debet, quod ante tribunal Conſcientiæ, inter Legem, & Voluntatis libertatem, agitetur, iudicium; nam Deus ipſe, Conſcientiam conſtituit Iudicem, vt nomine ipſius, in hac causà pronunciet. Addo tamē, in dubio iuris, aliā etiam rationem vniuerſalem efficaciſſimam, ac euiden-

dentem dari, ad dubium illud practice deponendum. Quia ſcilicet, eo ipſo, quod ius, eſt dubium, non eſt ſufficienter propoſitũ, ſed ignoratur; ius autem, quandiù non eſt ſufficienter propoſitum, non obligat.

11 Aduertendum eſt tertiò; ex dictis conſtare etiam, quomodo intelligendum ſit, principium illud; *in dubÿs, tutior via eſt eligenda*; Intelligi enim primò debet, de dubio practico, cum, in eo, vna pars ſemper annexum habeat peccandi periculum. Secundò de dubio ſpeculatiuo, ante debitam diligentiam ad veritatem cognoſcendam; tunc enim, pars minus tuta, vincibiliter ignoratur, & poteſt eſſe mala; Ergo eligi non poteſt ſine peccato. Tertio, quando electio partis tutioris, à iure expreſsè præcipitur, vt in *c. Ad audientiam: de homicidio, & alibi*; Ius enim, hoc poteſt præcipere. Quartò denique, quando non datur ratio ſufficiens ad dubium ſpeculatiuum practicè deponendum; Quia tunc, ex dubio ſpeculatiuo, oritur practicum, tanquam effectus ex ſuâ causâ; ideoque, tunc etiam, pars minus tuta, peccandi periculo eſt expoſita. At, cum datur ratio ſufficiens ad formandum iudicium practicum certum de honeſtate operationis non obſtante dubio; Tunc non datur amplius obligatio ſequendi partem tutiorem, quia tunc non datur amplius pars tutior, cum vtraque pars ſit prudens, & conſequenter incompoſsibilis cum peccato, ideoque æque tuta.

12 Quod autem dari ſimul poſsint, dubium ſpeculatiuum, & ex aliquâ ratione peculiari, iudicium practicum certum de honeſtate operationis, tali dubio non obſtante; in dubium reuocari non poteſt; ſi enim iudicare ſimul quis poteſt, & carnium comeſtionem, die Veneris, non eſſe licitam; & ſibi, ratione infirmitatis, eſſe licitam: cur dubitare non poterit, an votum emiſerit, & ſimul certò iudicare, ſe ad illud non teneri, quia de eo non conſtat, & factum, in dubio, non præſumitur, ſed rationabiliter reputatur tanquam non factum? vel dubitare, an lectio aliquorum librorum, ſit ſpecialiter prohibita, & ſimul certo iudicare, ſe licite legere poſſe, quia, cum, poſt debitam diligentiam, non conſtat de lege, lex rationabiliter ignoratur, ideoquè non eſt ſufficienter promulgata, & conſequenter non obligat?

13 Nequè refert, quod ſciatur à Deo, an ego Votum emiſerim, vel non emiſerim. Nam hoc, in ordine ad obligandum, nihil facit; Requiritur, vt à Conſcientiâ, hoc ſciatur, cum ipſa ſit, quæ immediatè obligat voluntatem, & non Deus. his poſitis.

RESOLVTIO.

14 RESp. Titium dubitantem, an vigeſimum primum annum expleuerit, ad ieiunium non teneri ita *Suar. tom. 5. in 3. par. d. 40. ſ. 9. n. 14. & tom. 2. de relig. lib. 4 de voto cap. 5. nu. 7. Sanchez d. 41. nu. 32* & *lib.*

& lib.1.ſum.cap.10.n.11.Conincb. de ſacr.d.34.d.10.nu.86.Fagundez de prac.Eccl.par.4.lib.1.cap.8.n.7. Laym.in.lib.1.tract.1.cap.5.§.4.nu. 33.Bonac.de contract.d.1.quaeſt.2. pun.2.n.11.

15 Primò; Quia principium illud, *In dubio, melior eſt conditio Poſſidentis*, eſt vniuerſaliter verum, non minus in materià aliarum virtutum, quàm in materià iuſtitiæ; Ideo enim eſt verum in materià iuſtitiæ, quia ille, qui rem aliquam poſſidet, præter dominium, ſiue Ius proprietatis dubium, habet etiam ius poſſeſſionis certum, ratione cuius, rem illam, ſtante dubio, licitè retinere poteſt, quem titulum non habet alius, qui rem non poſſidet, ſed habet ſolum dominiū dubium proprietatis; Sed etiam, qui ſuam libertatem poſsidet, præter ius dubium ad libertatem, habet etiam certam illius poſſeſſionē, quam non habet præceptum, habens ſolum ius dubium illam obligandi: Ergo, ſicut, in materià iuſtitiæ, in dubio, melior eſt conditio rem Poſſidentis, ita in materià aliarum virtutum, melior eſt conditio Voluntatis ſuam libertatem poſſidentis; ideoque, ſicut in materià iuſtitiæ, Poſſidens, nunquam obligatur ad reſtituendam rem, quam poſſidet, niſi de alterius dominio certò conſtet, & quod ſit aliena: ita in materià aliarum virtutum, voluntas nunquam obligabitur ad aliquid agendum, vel omittendum, niſi certò cōſtet de præcepto, actionem illam, vel omiſſionem præcipiente. Vnde, cum Titio, non conſtet, an præceptum ieiunij, illum obliget, & aliunde ſuam libertatem poſſideat, illà ſpoliandus nō eſt, niſi conſtet de obligatione præcepti.

16 Secundò; Quia gratis dicitur, quod titulus poſſeſſionis, ſit titulus proprius iuſtitiæ, & non potius omnibus virtutibus communis; non minùs enim propriè dicitur quis ſuam libertatem poſſidere, quàm dicatur poſſidere rem, quam apud ſe habet: Ergo, ſicut, in materià iuſtitiæ, titulus poſſeſſionis, eſt ratio ſufficiens licitè retinendi rem cæteroqui dubiam; ita in materià aliarum virtutum, erit ſufficiens ad licitè retinendam libertatem, quamuis alias dubiam; & ſicut in materia iuſtitiæ, eſt ratio ſufficiens ad formandum iudicium practicum certum, quod liceat hic & nunc, rem poſſeſſam retinere, non obſtante dubio ſpeculatiuo, an ſit mea, vel aliena; Ita in materia aliarum virtutum, erit ratio ſufficiēs ad formandum iudicium practicum certum, quod hic & nunc liceat retinere libertatem, eiuſque poſſeſſionem continuare, non obſtante dubio ſpeculatiuo, an à præcepto ligetur, vel non ligetur; Atque hoc iudicium formare poteſt Titius quamuis ſpeculatiuè dubitet, an habeat, vel non habeat ætatem requiſitam ad obligationem præcepti & conſequenter, an præceptum obliget, vel non obliget.

17 Tertiò; Quia Idem debet eſſe iudicium Fori interni, ac externi, quando Forum externum non innititur falſæ præſumptioni, vt fusè pro-

probat *Sanch. lib. 1. in dec. c. 10. num. 11.* Sed in Foro externo, non ſolum quando conſtat, eſſe dubiam obligationem iuſtitiæ, ſed etiam quando conſtat, eſſe dubiam obligationem aliarum virtutum, nemo adſtringitur, ſed ratione poſſeſſionis, iudicatur in fauorem libertatis; Nemo enim cogitur ſeruare votum, dum dubitat, an illud emiſerit; neque ieiunare, dum non conſtat, an vigeſimum primum annum expleuerit; Ergo etiam in Foro conſcientiæ, in dubio obligationis, vel præcepti; Voluntas non ligabitur, ſed poterit ſuæ libertatis poſſeſſionem continuare.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

18 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim Reſp. Principium illud, eſſe veriſſimum, antequam ſit præmiſſa debita diligentia ad veritatem aſſequendam; Et in hoc ſenſu, illud adhibet ibi Pontifex; Epiſcopus enim ille, non præmiſsà debità diligentià ad aſſequendam veritatem ſuæ excommunicationis, celebrauit ideoque meritò, tanquam temerarius, & qui tunc abſtinere tenebatur, & ſequi partem tutiorem, punitus eſt. At nos loquimur ſolùm, quando, poſt adhibitam diligentiā, veritas cognoſci non poteſt, ſed remanet dubia; & in hoc caſu dicimus, principiū illud, non obligare, nec eſſe præceptum, ſed ad ſummum, conſilium.

19 Ad ſecundam Reſp. ibi à Pontifice, priora ſponſalia appellari dubia, non quod vere eſſent dubia; ob conatum enim ad copulam, qui inter illos interuenerat, vt ibi dicitur, præſumebatur, puellam fuiſſe doli capacem, & malitiam ſuppleſſe ætatem, & conſequenter ſponſalia, & impedimentum publicæ honeſtatis, ex illis ortum, eſſe moraliter certum; ſed appellantur dubia, quia, cum ex coniecturis eſſent probata, non erant vndequaque certa, & ideo Pontifex dixit, in dubijs, non tutius, ſed certius eſſe amplectendum; nam tutius fuiſſet, ſtare pro matrimonij valore, cum huius fauor tantus ſit, vt pro eo ſit in dubio iudicandum; *c. Licet ex quadam: de teſt. & atteſt.* Cum ergo certiùs iudicauerit, priora ſponſalia fuiſſe valida, iudicauit etiam conſequenter, ſubſequens matrimoniū cum Conſobrinà puellæ, fuiſſe nullum.

20 Ad tertiam; Negatur antecedens; Neque enim poſſeſsio, eſt titulus proprius iuſtitiæ, ſed omnibus virtutibus communis. Principium autem illud; *in dubijs, tutiorem partem eſſe eligendam;* ſemper verificatur de dubio practico, & aliquando etiam de ſpeculatiuo; quando ſcilicet omnia ſunt paria, ſiue quando non datur poſſeſſio, quæ iuſtam cauſam præbeat contra dubium ſpeculatiuum operandi; ac denique, antequam debita ſit adhibita diligentia ad veritatem aſſequendam, vt dictum eſt; extra hos autem caſus, eſt conſilium, non præceptum; Præceptum autem, in dubio, obligat, quando pro ipſo ſtat poſſeſsio, quod ſufficit.

21 Ad quartam; Negatur ſequela; Ex homicidio enim dubio, contrahitur irregularitas certa; hoc tamen eſt aliquid ſpeciale, & ſpecialiter expreſſum in iure; alioquin, etiam in caſu homicidij dubij, prænaleret poſseſſio libertatis; Ius autem Canonicum, ſicut imponere potuit irregularitatem homicidio certo, ita potuit, & dubio; In quo caſu, ius prænalet poſſeſsioni libertatis. Addo tamen, etiam, in dubio homicidij, quo dubitatur, an ſecutum ſit, nec ne; probabilius nō contrahi irregularitatem, ſed ſolum in dubio, quo dubitatur, an homicidium certò ſecutum, ſecutum fuerit ex mèo conſilio, mandato, aut aliâ ſimili cooperatione; Hoc enim ſufficit ad ſaluanda illa iura. In hoc autem caſu, iam datur præſumptio iuris pro homicidio, non verò pro libertate.

22 Ad quintam Reſp; Ex duobus malis, minus eſſe eligendum, cum non datur aliqua iuſta cauſa eligendi partem minus tutam, qualis eſt poſſeſſio; ſi tamen hæc detur, ſicut in materiâ iuſtitiæ, ſufficit ad eligendam partem minus tutam, ita ſufficit in materiâ aliarum virtutum.

23 Ad ſextam Reſp; Dubitantem, an aliquis dies feſtus, ſit de præcepto, debere etiam neceſſariò practicè dubitare, an teneatur eo die ſacrum audire, ſolùm quando nulla adhuc eſt adhibita diligentia ad veritatem aſſequendam, & quando non datur aliqua iuſtà cauſā practicè non dubitandi, qualis eſt poſſeſſio; Si tamen hæc detur, poteſt ex dubio ſpeculatiuo non oriri practicum, ſed ſimul haberi iudicium practicum certum, quod liceat hic, & nunc operari, vt dictum eſt.

COROLLARIA.

24 Colligitur ex dictis primo; ſi poſt adhibitam diligentiam dubitetur, an aliquod præceptum, vel Diuinum, vel humanum, ſit impoſitum de aliquà re; dubitantem non obligari; Tum quia, in hoc dubio, tota poſseſſio eſt pro libertate voluntatis. Tum quia, nemo obligatur lege, niſi hæc ſit illi ſufficienter propoſita: Quando autem, poſt ſufficientem diligentiam, manet quis dubius, an ſit, vel non ſit impoſita, non cenſetur eſſe ſufficienter propoſita. Idemquè dicendum eſt, quando dubitatur, an aliquid comprehendatur ſub verbis legis, & quod verba ſint ambigua, quia hoc, perinde eſt, ac dubitare, an de eo lata ſit lex; *Suarez l.2.t.3. diſp.12. ſ.5. n.7.*

25 Secundò; Dubitantem, an votum, aut iuramentum emiſerit; poſt debitam diligentiam, voto, aut iuramento non teneri. Tum quia, nulla tunc eſt poſſeſſio pro voto, aut iuramento, ſed tota pro libertate voluntatis. Tum quia, dubium, poſt adhibitam debitam diligentiā, æquiualet ignorantiæ inuincibili. Ignorans autem inuincibiliter votum, ad nihil tenetur. *Filliuc. tom.2. tract.21. cap.4. n.165.*

26 Tertiò; Quando conſtat de lege, vel præcepto, & dubium eſt, an, ratione alicuius circunſtantiæ, vel ne-

neceſſitatis, aliquis ab eius obligatione eximatur: non eximi, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, quod eſt certum, excuſatio autem eſt incerta; ſimiliter, quando dubitatur, an lex aliqua, ſit vſu recepta; legem illam obligare, quia, cum conſtet de lege; pro eȧ, eiuſque conditionibus neceſſarijs, eſt præſumptio, ac poſſeſſio. *Sanch. lib* 1. *ſum. c.*10. *num.*35.

27 Quartò; Si volentes matrimonium contrahere, dubitent, an aliquod interueniat impedimentum; nullȧ ad contrahendum, indigere Epiſcopi declaratione, aut diſpenſatione; quia, in hoc dubio, præſumptio, ac poſſeſſio eſt pro libertate ad contrahendum; hanc enim habent homines, iure Naturæ, nec illȧ ſpoliari debent, niſi conſtet de impedimento; ſi verò præſumptio ſtet pro impedimento, tunc opus erit diſpenſatione, quia tunc poſſeſſio ſtat pro impedimento. *Sanchez lib.* 8. *matrim. diſp.* 6. *num.*18.

28 Quintò; Si poſt contractum, bonȧ fide, matrimonium, ſuperueniat dubium de eius valore; poſt adhibitam diligentiam, poſſe dubitantem, & reddere, & petere; Tum quia poſſeſsio ſtat pro valore matrimonij, quandiu non conſtat de inualiditate, cum actus ſemper cenſeatur fieri validus. Tum quia poſſeſsor bonæ fidei, poſt adhibitam diligentiam, ad inueniendum, an res, quam poſsidet, ſit aliena, eam poteſt licitè retinere, eȧque vti; Ergo etiam Coniux altero Coniuge. *Sanch. lib.*2. *matr. diſp.* 41. *num.*46.

29 Sextò; Præter titulum poſſeſsionis, dari etiam alias cauſas ſufficientes, ad dubium ſpeculatiuum practicè deponendum. Prima, & vniuerſalis, eſt, æquiualentia, quȧ dubium, quando, poſt debitam diligentiam, vinci non poteſt, æquiualet ignorantiæ inuincibili. Sicut enim ignorantia inuincibilis, ad nihil obligat, ita ad nihil obligat dubium inuincibile; ſi autem ad nihil obligat, eo non obſtante, licita eſt operatio. Secunda pro dubio iuris eſt, repugnantia dubij cum promulgatione, & notitiȧ, ad legis obligationem requiſitȧ; dubium enim iuris, cum, poſt adhibitam diligentiam, vinci non poteſt, facit, vt lex non ſit, Conſcientiæ, ſufficienter promulgata; lex autem, ſine ſufficienti promulgatione, non obligat. Tertia pro dubio facti; eſt. Tum præſumptio, quȧ rationabiliter præſumitur non factum. Tum quia debitum incertum, rationabiliter obligare non poteſt ad certam ſolutionem; alioquin, inter debitum, & ſolutionem, non daretur proportio, nec æquitas ſeruaretur. Vnde iura ſtatuunt; Primò, quod, *in dubio, nemo præſumi debet obligatus. Gloſſ. in c. cum ſunt. de reg. iuris in 6.* Secundò, quod, *quando partium iura, ſunt obſcura, fauendum eſt reo, ibidem.* Tertiò, quod *in pari cauſȧ, melior eſt conditio poſſidentis.*

QVÆ-

QVAESTIO XI.

An conſcientia dubia, poſſit eſſe regula operandi, quando Poſſeſſio eſt dubia.

CASVS.

1 PER obitum cuiuſdam Beneficiarij, beneficium quoddam pingue vacauerat; Quia tamen Beneficiarius circa mediam noctem vltimi diei menſis Maij, mortuus fuerat, conſtare non potuit, an eſſet expletus menſis Maij, & cœptus Iunius, & conſequenter, an Beneficium, vacauerit menſe Pontificis, an menſe Ordinarij; quæritur; ad quem prouiſio Beneficij pertineat.

SVMMARIVM.

6 *Quomodo cognoſci poſſit, pro quà parte ſtet poſſeſſio.*

7 *Ad quem, in dubio, pertineat Beneficij prouiſio.*

8 *Poſſeſſio ſtat pro reſeruatione Pontificis.*

9 *Non pro Epiſcopi iuriſdictione.*

10 *Dubium eſt, de eius incœptione.*

11 *Præſumptio iuris, eſt pro reſeruatione.*

12 *Conſtat de reſeruatione, non de eius ceſſatione.*

14 *Incæptio iuriſdictionis Epiſcopi, cum ſit quid facti, non præſumitur.*

15 *Dubitans de Beneficij tenuitate. Officium recitare tenetur.*

16 *In dubio an Expoſitus ſit legitimus, reputandus eſt, illegitimus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 POſito, quod poſſeſsio, in quacumque materiâ, ſit ſufficiens ratio dubium ſpeculatiuum practicè deponendi, formandique iudicium certum de honeſtate operationis. Supereſt adhuc non leuis difficultas diſtinguendi, pro quâ parte, in dubio, ſtet poſſeſsio; aliquando enim, non minus videtur dubia poſſeſsio, quam ipſum ius. Hinc Beneficiarij prouiſio videtur ad Ordinarium pertinere, ita *Garzias. tom.* 1. *de benef. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 528. *Decius conſ.* 167. *Nau. in c. accepta, de reſt. ſpol. oppoſ.* 10, *num.* 42.

Pri-

3 Primò; Quia de iure communi ceſſantibus reſeruationibus, ad Epiſcopum ſpectat prouiſio beneficiorum ſuæ Diœceſis, vt conſtat *ex c. Ex frequentibus: de inſtit. c. Conquerente: de off. ord.* quo iure priuari non debet Epiſcopus, quando non conſtat de reſeruatione. Sed in hoc caſu, non conſtat de reſeruatione; non enim conſtat, an beneficium, vacauerit menſe Maij, pro quo menſe facta eſt reſeruatio. Ergo Epiſcopus priuandus non eſt iure collationis; ideoque ad ipſum ſpectat, beneficium conferre.

4 Secundo: Quia, in dubio, melior eſt conditio poſsidentis; vt *reg. in par.* 165. *de reg. iuris in 6.* In hoc autem caſu, poſſeſsio eſt pro Epiſcopo; nam Pontifex reſeruat ſibi beneficia, quæ vacant menſe Maij; ſed non conſtat, an beneficium vacauerit menſe Maij. Ergo non conſtat de reſeruatione. Cum ergo Epiſcopus, ſit in poſſeſsione ſuæ poteſtatis beneficia conferendi, ad ipſum ſpectabit prouiſio.

5 Tertiò; Quia, in dubio, interpretatio facienda eſt pro non reſeruatione, cum reſeruatio ſit odioſa, eo quod detrahat poteſtati Ordinariæ; *ex c. præſenti de off. leg. in 6.* & fauendum eſt Ordinariæ Iuriſdictioni, quæ fauorabilis eſt; *ex clem. 2. de off. ord.* Cum ergo hic verſemur in dubio; interpretatio facienda videtur pro poteſtate Ordinarij & conſequenter dicendum eſt, beneficij prouiſionem, ad ipſum ſpectare.

NOTABILE.

6 Aduertendum eſt; ad cognoſcendum, pro quà parte, in dubio, ſtet poſſeſsio, hanc ſtatui poſſe regulam. Poſſeſsionem ſtare pro eà parte, cui non incumbit onus probandi; is enim, contra quem probatur, præſumitur eſſe in poſſeſsione. Sic, qui hæreſim protulit, ſi ad pęnas contra hæreticos latas fugiendas, dicat, ſe non ita interius ſenſiſſe, non creditur, ſed probare tenetur. Similiter, ſi dubitetur, an Filius, ex adulterà, in domo Mariti natus, ſit legitimus, & Filij legitimi contendant, hæreditatem ad eum non ſpectare, quia illegitimus eſt; illis incumbit onus probandi, quod non ſit legitimus. Signum ergo eſt, poſſeſſionem ſtare pro hæreſi, ac pro Illegitimo. Ratio autem vniuerſalis, eſt, quia pro eo, qui probare non debet, ſtat præſumptio; hoc eſt, veriſimilitudo quędam, ac probabilis coniectura. Hæc autem, in re dubià, facit, vnã partem haberi pro certà, donec pars oppoſita aliunde probetur. Poſſeſſio ergo ſtat pro eà parte, pro quà eſt præſumptio; & hæc, eſt pro eà parte, cui non incumbit onus probandi; ita *Caſtrop. d. 3. pun. 5. Sanch. lib. 1. in dec. cap. 10. n. 13* hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur, beneficij prouiſionem, ad Pontificem pertinere. *Sanch. diſp. 41. nu. 41. Layman.*

man. lib. 1. *tract.* 1. *c.* 5. *§.* 4. *n.* 36. *Salas* 12. *tr.* 8. *diſp.* 1. *ſ.* 25. *num.* 263. *Bonac. de contract. d.* 1. *q.* 2. *pun.* 2.

8 Primò; Quia, poſità Pontificis reſeruatione pro menſe maio, intelligitur pro eo menſe ceſſare Ordinarij poteſtas, ac iuriſdictio, & incipere menſe Iunij; Hoc autem poſitò, poſſeſſio verè ſtat pro reſeruatione, non verò pro poteſtate Ordinarij; idem enim eſt, dubitare; an beneficium vacauerit menſe maij, an menſe iunii; ac dubitare, an ceſſauerit reſeruatio, & incęperit iuriſdictio ordinaria; Eo autem ipſo, quod de reſeruatione dubitatur, an ceſſauerit, iam reſeruatio poſſidet, quia ipſa eſt certa, nec conſtat adhuc de eius ceſſatione; Cum ergo, in dubio, melior ſit conditio Poſſidentis, ad Pontificem ſpectabit beneficij prouiſio.

9 Secundò; Quia, in dubio, an detur aliquod præceptum, vel votum; nec præceptum, nec votum obligat, quia, in hoc dubio, tota poſſeſſio eſt pro libertate voluntatis, quæ eſt certa; & nulla pro præcepto, vel voto, quæ ſunt incerta. Sed dubitare, an incęperit Epiſcopi iuriſdictio, idem omnino eſt, ac dubitare, an detur; Ergo, in hoc dubio, nulla poſſeſſio eſt pro Epiſcopi iuriſdictione, cum ſit incerta, ſed tota pro Pontificis reſeruatione, quæ eſt certa.

10 Tertiò; Quia, Ideo dubitans, an mediæ noctis hora ſit tranſacta; poteſt edere carnes, licet dies ſequens ſit dies ieiunij, quia tunc poſſeſſio eſt ex parte libertatis, & dubium, an tunc incęperit præceptum ieiunij; Sed eodem modo dubium eſt, an incęperit poteſtas ordinaria; Ergo poſſeſſio eſt ex parte reſeruationis, ideoque ad Pontificem ſpectat beneficij prouiſio.

11 Quartò; Quia verſamur in dubio facti; dubitatur enim, an, dum beneficiarius mortuus eſt, deſierit menſis maij, & incęperit menſis Iunij; & ſimiliter, an ceſſauerit reſeruatio, & incęperit iuriſdictio ordinaria; factum autem, in dubio, nunquam præſumitur, ſed demonſtrari debet; *L. in bello §. factæ ff. de captiuis & poſt liminio reuerſis*; & ei incumbit probatio, qui dicit (hoc eſt, affirmat aliquod factum) non qui negat. *L.* 2. *ff. de probat.* Cum ergo factum non præſumatur, niſi probetur; dicendum eſt, nondum deſijſſe menſem maij, dum Beneficiarius mortuus eſt, & nondum incępiſſe menſem iunij, donec probetur oppoſitum; & ſimiliter non dum ceſſaſſe reſeruationem, nec iuriſdictionem ordinariam incępiſſe, quandiù non demonſtratur oppoſitum; Ideoque beneficium vacaſſe menſe Pontificis, & conſequenter eius prouiſionem ad Pontificem pertinere; præſumptio enim iuris, eſt pro menſe Pontificis, & pro eius reſeruatione.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes in contrarium Reſp. ad primam; Conſtare de reſeruatione, quia reſeruatio erat pro menſe maio, nec adhuc con-

conſtabat de eius ceſſatione.

13 Ad ſecundam Reſp. Meliorem eſſe conditionem Pontificis, quia reſeruatio erat in poſſeſſione; Erat enim certa pro menſe maij, & non dum conſtabat de eius ceſſatione; Sicut, cum votum, eſt certum, nec conſtat de eius excuſatione, votum poſſidet, ipſiuſque conditio eſt melior.

14 Ad tertiam Reſp. Nos verſari in dubio facti, non iuris. In dubio autem facti, factum non præſumitur, niſi probetur; Ideoque, cum non probetur, mediam noctem fuiſſe elapſam, & ceſſaſſe reſeruationem, hæc non ceſſauit. Si autem dubium, eſſet dubium iuris, tunc interpretatio eſſet facienda pro non reſeruatione, vt contendit obiectio.

COROLLARIA.

15 Colligitur ex dictis primò; habentem beneficium tenue, & ob id dubitantem, an Diuinum Officium recitare teneatur; teneri; Quia, cum beneficium, ſit certum, eſt etiam certa obligatio recitandi officium illi annexa. Dubium autem eſt, an Beneficiarius, ob fructuum tenuitatem, excuſetur. Quando autem obligatio eſt certa, & excuſatio incerta, obediendum eſt; Hæc enim, eſt praxis etiam in foro externo. *Vaſqu*. 1. 2. *diſ*.65.*c*.3. *num*.11.

16 Quando, de Infante Expoſito, dubitatur, an ſit legitimus, vel illegitimus, reputandum eſſe illegitimum. Quamuis enim delictum non præſumatur, niſi probetur, & Expoſitus, ſuam innocentiam poſſidere videatur; re tamen verà non poſſidet; quia ipſamet expoſitio, eſt ratio ſufficiens, ad inducendam præſumptionem illegitimitatis cum illegitimi, regulariter, ſic ſoleant exponi. Poſſeſſio autem, ſtat pro eà parte, pro quà eſt iuris præſumptio, vt dictum eſt. Quare, ſi Expoſitus, ſit ad Ordines promouendus, petenda prius erit diſpenſatio irregularitatis, ortæ ex defectu natalium, & tunc poterit promoueri. *Suar*. *diſp*. 50. *de Cenſ* *ſ*.3. *num*.4.

QVÆ-

QVAESTIO XII.

An Conſcientia dubia circa factum, vllam pariat obligationem.

CASVS.

1 DVM Sempronius, de matrimonio cum Febronià contrahendo ageret, Amicus quidam ei dixit, ſe à quodam audiuiſſe, Febroniam, eius eſſe conſanguineam. Hoc audito: Sempronius, omnem adhibuit diligentiam, vt de hoc certificaretur; cumque dubium expellere non poſſet, petijt, num matrimonium cum Febronià contrahere poſſet, an vero diſpenſationem prius petere teneretur. Quæritur; an petere teneatur diſpenſationem.

SVMMARIVM.

7 *Principium vniuerſaliſſimum, pro dubio Facti.*
8 *Idem principium magis probatur.*
9 *Dubitans de impedimento, diſpenſationem petere non tenetur.*
10 *Factum, in dubio, in neutro Foro, præſumitur, niſi probetur.*
11 *Aequiualet ignorantiæ inuincibili.*
12 *Iuſta cauſa, partem minus tutam, reddit omnino tutam.*
13 *In dubio practico, nulla datur iuſta cauſa ſequendi partem minus tutam.*
14 *Votum, in dubio, non obligat.*
15 *Neque Peccatum, aut Reſeruatio.*
16 *Neque lex, aut Præceptum.*
17 *In dubio ætatis, Ordines ſuſcipere non licet.*
18 *Cenſura dubia, non ligat.*
29 *Debitum dubium, ad nihil obligat.*
20 *Iuriſdictio, in dubio, exerceri non poteſt.*
21 *In dubio ætatis, profeſsio non valet.*
22 *Factum, cum de iure faciendum eſt, in dubio præſumitur.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVæſtio hæc, ſicut etiam ſequens, proponitur, quia continet principium vniuerſaliſſimum, vere aureum; Ad innumeros enim caſus reſoluendos viam aperit, & conſcientias ab innumeris perplexitati-

tatibus, ac perturbationibus liberat. Dum autem hic quæritur, an ex dubio facti, vlla certa obligatio oriatur; quæſtio eſt præſertim de dubio negatiuo, cum ſcilicet, pro neutrà parte, dantur rationes: Nam quando dantur pro vtraque parte, iam diximus, intellectum à voluntate ad alterutrã determinari poſse iuxta varia motiua, quæ ipſa, ad hoc, habere poteſt.

3 Sempronius ergo teneri videtur ad petendam diſpenſationem; ita *Emanuel Sà v. diſpenſatio num. 1. Salas de legib. d. 20. ſ. 3. num. 28. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 18. qu. 4. & cap. 19. quaſt. 10. & lib. 11. cap. 15. quaſt. 9. Clauis reg. lib. 1. cap. 13. num. 9. Silueſter v. dubium quaſt. 2. num. 4. & qu. 4. n. 7.*

4 Primò; quia in dubio, tutior pars eſt eligenda, ſicut ex duobus malis, minus eſt eligendum; vt dictum eſt; alioquin dubitans de homicidio, an ſit commiſſum; non ſe gerere deberet, tanquam irregularem; ideo enim; *ex c. ad audientiam:* & *ex c. ſignificaſti:* gerere ſe debet tanquam irregularem; quia hoc, eſt tutius, & nos tutiorem, ac certiorem partem amplecti debemus; ſi, ergo in dubio, ſequi poſſemus partem minus tutam, poſſet quis, in dubio homicidij, non ſe gerere, tanquam irregularem. Hæc eſt obiectio, quæ ab Aduerſarijs, tanquam eorum Achilles, perpetuo decantatur, ideoque hic etiam affertur, vt clarius pateat, quam parum roboris habeat.

5 Secundo; Quia, in dubio practico, cum quis dubitat, an hic, & nunc, legere poſſit, aut comedere, vel pingere, tenetur ſemper partem tutiorem amplecti, ita vt nunquam ſequi poſsit partem minus tutam; ſi quis enim, cum eo dubio pingeret, aut comederet, ſemper peccandi periculo ſe exponeret; & conſequenter peccaret; Ergo, ſemper, & in omni dubio, tenemur, partem tutiorem amplecti; quia, in omni dubio, eadem ſemper eſt ratio, cum in omni dubio, partem minus tutam ſequendo, peccandi periculo nos exponamus.

6 Neque obſtat principium illud; *in dubio melior eſt cond tio poſſidentis*; nam primo *ex Vaſquez* hoc principium valet ſolum in materià iuſtitiæ, in quà ſolà datur propria, ac vera poſſeſsio. Secundò quamuis valeret etiam in materia aliarum virtutum, adhuc Sempronius, cum illo dubio, contrahere non poſſet, quia adhuc poſſeſsio ſtaret pro præcepto non contrahendi, cum impedimento dirimente, cum hoc ſit certum; & dubium ſit, an ipſe, huiuſmodi impedimentum habeat, vel non habeat. Sicut ergo, ſi dubitaret, an ſatisfeciſſet debito certo, vel non ſatisfeciſſet, illi ſatiſfacere teneretur; Ita dubitans, an habeat, vel non habeat impedimentum, diſpenſationem petere tenetur.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; pro dubio facti, dari principium quoddam, ac regulam vniuerſaliſſimam ſuperius inſinuatã, & in Foro

ex-

externo communiter, & ſine cõtrouerſiâ, receptam; ſcilicet; quod, *Factum, in dubio, non præſumitur, niſi probetur; & affirmanti incumbit onus probandi, non neganti. L. in bello: §. facta ff. de Captiuis, & poſtliminio reuerſis.* Hoc autem principium fundatur in iure naturali. Nam, cum dubium, quando, poſt debitam diligentiam, vinci non poteſt, æquiualeat ignorantiæ inuincibili, vt dictum eſt ſupra; ſequitur, quod, ſicut factum, inuincibiliter ignoratum, nullam prorſus obligationem, aut alium quemcumque effectum moralem poſt ſe relinquit, perinde, ac ſi verè, & realiter factum non eſſet; ideoque reputatur moraliter tanquam non factum; Ita, quando, poſt debitam diligentiam, remanet dubium, nullam ſimiliter afferat obligationem, ſed reputetur moraliter tanquam non factum. Atque hinc eſt, quod neganti non incumbit onus probandi, ſed affirmanti; quia præſumptio ſtat pro non facto; præſumptio autem, eſt ratio ſufficiens prudenter iudicandi, quod non ſit factum; cum *præſumptio*, quandiù certa veritatis notitia non habetur, *pro certitudine ſit habenda, c. veniens in fine: de presb. non baptiz. & c. afferente; de præſumpt.*

8 Aduertendum eſt ſecundò, ex alio etiam capite, factum, cum, poſt debitam diligentiam, remanet dubium, nullam parere obligationem, & reputari moraliter tanquam non factum; quia, ſcilicet, factum dubium, parere non poteſt obligationem certam; debitum enim dubium, rationabiliter obligare non poteſt ad ſolutionem certam, nec delictum dubium, ad certam pœnam, cum pœna debeat eſſe proportionata delicto, & ſolutio, debito; & pœna certa, ſit proportionata delicto certo, & certa ſolutio debito certo. Ad ſummum ergo, parere poſſet obligationem dubiã; hæc enim ſola illi eſſet proportionata, & non excedens, ſicut certa; Verum, quia hæc non datur, nullam parit. Neque obſtat; quod iura aliquando, ex rationabili causâ, facto dubio, imponant pœnam certam. Nam primò, in eo caſu, ius additum, facit præſumptionem pro facto; vnde in eo caſu; neganti incumbit onus probandi, non affirmanti. Secundò, ſi iura attentè perpendatur; inuenietur, ipſa nunquam imponere pœnam certam, quando eſt verè dubium facti, ſed ſolum, quando eſt dubium de circunſtantiâ facti. In hoc autem caſu, prudenter, ac rationabiliter procedunt, vt patebit *quæſt. ſequ.* his poſitis,

RESOLVTIO.

9 AD Caſum Reſpondetur. Sempronium, ſic dubitantem, ad petendam diſpenſationem nullatenus obligari, ita *Sanch. lib. 1. ſum. cap.* 10. *num.* 12. *&* 36. *& lib.* 8. *matr. d.* 6. *num.* 18. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 40. *ſ.* 5. *num.* 14. *& ſ.* 6. *num.* 8. *Nauar. cap.* 27. *num.* 281: *Rebell. par.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 3. *ſ.* 2. *num.* 10. *Filliuc. tr.* 13. *c.* 6. *qu.* 11. *num.* 130. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 3. *Conincb. d.* 17. *dub.* 2. *n.* 22.

Aui-

Auila par.7. diſp.2. dub.5. concl.5. Layman. lib.1. tract. 1. cap.5. §.4. num.36.

10 Probatur primò; Quia, hic verſamur in dubio facti; an ſcilicet; Sempronius habeat, vel non habeat cõſanguinitatis impedimẽtum; Factum autem, in dubio, non præſumitur, niſi probetur, vt oſtenſum eſt. Quod principium, cum valeat in Foro externo, valet etiã in interno; cum iudicium Fori interni, ſequatur iudicium Fori externi, quando hoc, falsâ præſumptione non nititur.

11 Secundò; Quia factum, cum, poſt poſt debitam diligentiam, vinci non poteſt, æquiualet facto inuincibiliter ignorato; Sed factum inuincibiliter ignoratum, ad nihil obligat. Ergo etiam factum dubium ad nihil obligabit. Cum ergo non probetur, Sempronium habere impedimentum conſanguinitatis, ſe gerere poterit, perinde, ac, ſi illud non haberet; & conſequenter, matrimonium celebrare licitè poterit, abſque aliâ diſpenſatione.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes autem in contrarium, Reſpondetur; ad primam, In dubio, ſequendam eſſe partem tutiorem, quando nulla eſt cauſa ſequendi partem minus tutam; quando autem datur iuris præſumptio pro parte minus tutà, iam datur cauſa ſufficiens illam ſequendi; quia iuris præſumptio, ſemper eſt iuſta, ac rationabilis; & tunc non datur amplius propriè pars minus tuta, ſed vtraque pars; cum ſit prudenter eligibilis, eſt æquè tuta. Ex duobus autem malis, ſemper minus eſt eligendum, quia nulla vnquam dari poteſt cauſa eligendi malum maius; &, ſi daretur talis cauſa, iam malum illud, non eſſet maius, ſed minus; ſi enim daretur cauſa deſerendi potius Infirmum morti proximum, quam omittendi Sacrum die feſto; iam deſerere Infirmum, eſſet minus malum, quam ſacrum omittere; Quod verò dubitans de homicidio, gerere ſe debeat tamquam irregularem, & verè ſit irregularis; oritur; quia ita eſt expreſſum in iure. *C. ad audientiam: de homicidio; & alibi.* Verum, hic caſus, eſt vnicus, nec ab eo, vlla regula pro alijs ſimilibus deſumi poteſt, cum in cenſuris, ac pœnis, argui non poſſit ab vno caſu ad alium, ex paritate rationis, eo quod pœnæ, ac cenſuræ incurrantur ſolum, quatenus in iure ſunt expreſſæ, & non aliter.

13 Ad ſecundam, Reſpondetur; In dubio practico, ſemper ſequendam eſſe partem tutiorem; quia nulla vnquam datur cauſa ſequendi partem minus tutam; Immo datur poſitiuà cauſa illam non ſequendi; quatenus, illam ſequendo, peccandi periculo ſe, quis exponeret. In dubio autem ſpeculatiuo, dari poteſt aliquando cauſa ſequendi partem minus tutam, quia pro parte minus tutà, dari poteſt aliquando poſſeſſio, vel iuris præſumptio; in quo tamen caſu, amittit eſſe minus tutam, & ſit æque tuta, vt patet ex dictis.

G CO-

COROLLARIA.

14 EX hoc principio vniuerſaliſſimo; Colligitur primò; in materià Voti; ſi quis dubitet, an votum emiſerit, vel non emiſerit, ad nihil teneri; Quia, cum factum, in dubio, non præſumatur, niſi probetur; eò ipſo, quod ei non conſtat, illud emiſiſſe, cenſendus eſt, illud non emiſiſſe; Si verò ſciat, ſe votum emiſiſſe, dubitet autem, an impleuerit, vel non impleuerit; tunc cenſendus eſt, non impleuiſſe; quia non conſtat, quod impleuerit, ideoque tenetur implere. Quod ſi dubitet, an, dum votum emiſit, 14. annum expleuerit, ſi votum ſit perſonale, vel 25. ſi votum ſit reale; cenſendus eſt, non expleuiſſe; ideoque tale votum irritari poſſe à Patre, vt melius conſtabit, *Quæſt.* XVII.

15 Secundo; In materià pœnitentiæ; Si quis dubitet, an peccatum aliquod mortale commiſerit, non teneri illud confiteri; quia hoc, eſt dubium facti, quod non præſumitur, niſi probetur. Si vero certus ſit, ſe mortale peccatum commiſiſſe, dubitet autem, an illud confeſſus ſit; tenetur confiteri, quia confeſſio eſt quid facti, ideoque non præſumitur, niſi probetur. Similiter ſi quis dubitet, an peccatum reſeruatum commiſerit, Superiorem adire non tenetur, quia, cum ſit dubium facti, præſumitur illud non commiſiſſe, donec probetur: *Io. Præpoſitus in 3. p. qu. de integr. conſ. d. 3. num. 17. Henriq. in ſum. lib. 8. de Euch. cap. 45. num. 3.*

16 Tertiò; In materià temperantiæ; Si quis dubitet, an vigeſimum primum ætatis annum compleuerit, ad ieiunium non teneri, quia, cum ætas ſit quid facti, præſumitur eam non expleuiſſe. Similiter ſi quis, in nocte bacchanalium, dubitet, an elapſa ſit media nox, poteſt carnes comedere; contra verò, ſi Nox, eſſet alicuius Peruigilij, carnes comedere non poſſet, quia in vtroque caſu, cum ſit dubium facti, media nox præſumitur non elapſa. *Sanchez lib. 2. de matrim. diſ. 41. num. 40. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5 §. 4. num. 36.*

17 Quartò, In materià Ordinis; Si quis dubitet, an vigeſimum quartum annum compleuerit, ſacrum presbyteratus ordinem ſuſcipere non poſſe; quia non præſumitur illum compleuiſſe; ad Presbyteratum autem, requiritur vigeſimus quartus annus completus.

18 Quintò; In materià cenſurarum; Si quis dubitet, an aliquod delictum, ſit ſub excommunicatione prohibitum, non præſumi prohibitum; Tum quia eſt dubium facti; an ſcilicet extet, vel non extet prohibitio; Tum quia, poſito hoc dubio, lex prohibitionis non cenſetur ſufficienter promulgata; Lex autem non obligat, niſi ſit ſufficienter promulgata. Similiter, ſi quis dubitet, ſe Clericum percuſſiſſe, non tenetur tanquam excommunicatum ſe gerere, quia delictum non præſumitur, niſi probetur, nec ipſe in dubio ſpoliandus eſt iure certo, quod habet communicandi cum alijs.

alijs. Immo ſi quis dubitet, an, dum Presbyteratum ſuſcepit, vigeſimum quartum annum compleuerit, non ſe gerere debet tanquam ſuſpenſum; Tum quia pœna ſuſpenſionis eſt impoſita ſolum delicto certo, non dubio; Tum quia delictum, in dubio, non præſumitur, niſi probetur; Si quis denique, mortuà vxore, volens ſtatum Clericalem amplecti, dubitet, an vxorem duxerit virginem, an verò corruptam, & conſequenter, an ſit bigamus; ſe tanquam irregularem gerere non debet, ſed poteſt ſtatum Clericalem amplecti; Tum quia in dubijs delictum non præſumitur: Tum quia, propter delictum, aut impedimentum dubium, ipſe non eſt priuandus iure certo, quod habet ad ſtatum Clericalem. *Sanch. lib.1. cap.10. num.56. Laym. lib.1. tract.5. cap.5. §.4. num.38.*

19 Sextò; In materià Iuſtitiæ; ſi quis dubitet, ſe ære alieno laborare, non teneri ſoluere; Tum quia debitum, in dubio, non præſumitur; & eſt regula, quod *Nemo ſoluere cogitur, antequam monſtretur eſſe Debitor*. Tum quia, ipſe poſſidet, & melior eſt conditio poſſidentis. Tum denique, quia, in Foro externo cogi non poteſt ad ſoluendum; Ergo neque in Foro interno; idem enim eſt iudicium Fori interni, ac externi; quando Forum externum non nititur falsà præſumptione. Similiter, ſi quis dubitet, an ſit legitimus, vel illegitimus, poteſt cum alijs fratribus hæreditatem diuidere; Tum quia delictum non præſumitur; Tum quia, ipſe eſt in legitima poſſeſſione, quod ſit legitimus, quandiu non probatur oppoſitum. In dubio autem, melior eſt conditio poſſidentis: Tum quia, quando iura partium ſunt obſcura; Reo potius fauendum eſt, quam Actori. *De regulis iuris in 6.*

20 Septimò; In materià iuriſdictionis. Confeſſarium, dubitantem, an caſus ſit reſeruatus, ab illo abſoluere poſſe. Contra verò, dubitantem de ſuà iuriſdictione, abſoluere non poſſe, quia cum vtrumque ſit dubium facti, caſus rationabiliter præſumi poteſt non reſeruatus, & iuriſdictio non data, quandiu oppoſitum non probatur. *Suar. de cenſ. d.40. ſect 6. num.4. & tom.2. de relig. lib.4. cap.15. Emanuel Sà v. caſus reſer. num.5.* Similiter, Sacerdotem ordinatum ab Epiſcopo incognito, de quo dubium eſt, an ſit Epiſcopus; debere iterum ordinari; vt ſtatutum eſt *in c. Presbyteris d.68.* & paruulos à parentibus ſubtractos, de quibus ignoratur, an ſint baptizati, eſſe baptizandos, vt decernitur *in c. Paruulos: de conſecr. d.4* Item in minoribus ordinibus conſtitutum, & de baptiſmo dubitantem, iterum ſub conditione baptizandum, ac ordinandum eſſe; *ex c. veniens: de Presb. non baptiz.* Eodèmque modo iterum conſecrandam eſſe Eccleſiam, de quà incertum eſt, an fuerit conſecrata; *ex c. ſolemnitates: de conſecr. d.1.* Quia omnia iſta, ſunt dubia facti, quod propterea non præſumitur: donec probetur. Vnde etiam *in c. Dominus: de ſec. nupt.* deciditur, mulierem de morte prioris coniu-

gis dubitantem, pergere non poſſe in poſſeſſione debitum exigendi à ſecundo marito; quia hoc etiam eſt dubium facti, an ſcilicet primus maritus mortuus ſit, an non mortuus; & factum non præſumitur, donec probetur. Hæc autem omnia intelligenda ſunt, quando, poſt adhibitam debitam diligentiam, dubiũ vinci non poteſt.

21 Deniq; in dubio, an, dũ quis profeſſionem emiſit, 16. annum completum habuerit, vel non habuerit, profeſſionem cenſendam eſſe nullam, iterùmque emittendam; quia eſt dubium facti; an ſcilicet 16. annum compleuerit, vel non compleuerit; Factum autem, in dubio, non præſumitur.

22 Quę tamen hactenus, de Facto, dicta ſunt, intelligenda ſunt de Facto; quod alias de iure, non erat faciendum; Nam, ſi de iure faciendum erat, tunc, in dubio, factum præſumitur. *L. in contrahenda: ff. de reg. iuris*. Quia vnuſquiſque præſumitur, munus ſuum rectè obijſse, atque in eo, quod egit, nihil neceſſarium omiſiſſe. Vnde iuris præſumptio tunc ſtat pro facto: *Maſcard. vol. 2. de probat. concl. 734.*

QVAESTIO XIII.

An conſcientia dubia circa circunſtantiam facti, vllam pariat obligationem,

CASVS.

1 SEMPRONIVS, poſt emiſſum caſtitatis votum, dubitare cœpit, an habuerit tunc animum ſe obligandi, & aduertentiam ſufficientem ad illud emittendum. Quæritur; Vtrum votum implere teneatur.

SVMMARIVM.

4 *Principium vniuerſaliſſimum pro dubio circunſtantiæ Facti.*

5 *Circunſtantia facti, in dubio, ſemper præſumitur.*

6 *Factum tunc poſſidet.*

7 *Dubitans, an, ex animo, votum emiſerit, obligatur.*

8 *Defectus circunſtantiæ, in neutro foro, præſumitur.*

9 *Voti obligatio, eſt certa, & excuſatio dubia.*

Cen-

10 *Cenſura, de cuius valore, ac circunſtantijs, dubitatur, ligat.*
11 *Cui homicidio dubio, à Iure, irregularitas ſit impoſita.*
12 *Lex, de cuius abrogatione dubitatur, obligat.*
13 *Votum, de cuius materiâ dubitatur, an ſit indifferens, obligat.*
14 *Matrimonium, in dubio, cenſendum eſt, validum.*
15 *Alienatio, de cuius valore dubitatur, eſt valida.*

RATIO DVBITANDI.

2 HÆc, eſt alia Quæſtio continẽs principium, non minoris vtilitatis, nec minus vniuerſale, quàm præcedens; Sempronius; ergo ex vnâ parte, non videtur teneri; quia in dubio, factum non præſumitur, niſi probetur, vt dictum eſt *Quæſt. præcedenti*; Sed in caſu præſenti, verſamur in dubio facti; dubitatur enim, an vouens habuerit animum ſe obligandi, ac iudicium ſufficiens, vel non habuerit; quod eſt quid facti. Ergo ſequitur, animum non eſſe præſumendum, & conſequenter, Vouentem non obligari ad votum ſeruandum.

3 Ex aliâ verò; Cum conſtet, votum fuiſſe emiſſum, & dubitetur de eius excuſatione, poſſeſſio ſtare videtur pro voto, non verò pro eius excuſatione. In dubio autem, melior eſt conditio poſſidentis.

NOTABILE.

4 ADuertendum eſt; ſicut factum valde differt à circunſtantiâ facti; Ita valde inter ſe differre, dubium facti, Et dubium de circumſtantia facti; Valde enim differunt inter ſe, dubium, quo quis dubitat, an votum emiſerit, vel non emiſerit; & dubium, quo dubitat, an, dum votum emiſit, habuerit animum ſe obligandi, vel nõ habuerit. In primo dubio; principium illud; *factum, in dubio, non præſumitur, niſi probetur*; vniuerſaliſſimè & ſine vllà exceptione, valet in omni caſu, etiam irregularitatis, ratione homicidij, vt infra patebit; In dubio verò circunſtantiæ facti, non valet; Imo, in hoc dubio, datur aliud principium oppoſitum, non minus vniuerſale: Quod; ſcilicet; *In dubio circunſtantiæ, quæ comitari ſolet actionem, defectus non præſumitur, niſi probetur; & neganti incumbit onus probandi, non aſſerenti*; ſiue, quod idem eſt; circumſtantia ſemper præſumitur, quandiu oppoſitum non probatur.

5 Veritas autem huius principij; fundatur in modo, quo connaturaliter operamur; Dum enim operamur, ſemper, regulariter loquendo, operamur cum debitis circumſtantijs. Sic, qui loquitur, regulariter loquitur id, quod habet in corde; Qui promittit; ſerio, & ex animo promittit; Qui agit, deliberatè agit, & cum debita aduertentiâ. Hinc ergo fit, vt, cum conſtat de aliqua

operatione, ſemper præſumantur in iure, omnes circumſtantiæ debitæ, niſi earum defectus probetur, quia ſic, eſt modus operandi, nobis magis connaturalis, & conſuetus; Et præſumptio, nihil eſt aliud, quam probabilis coniectura ex ijs, quæ communiter ſolét contingere. Cum autem, iudicium Fori interni, ſemper conformetur iudicio Fori externi, quando hoc non nititur falsâ præſumptione, vt dictum eſt; hinc fit, vt etiam in Foro conſcientiæ, cum conſtat de facto, & operatione, ſemper præſumantur adeſſe debitæ circumſtantiæ, quandiu non probatur oppoſitum.

6 Quod confirmari vlterius poteſt etiam ex regulà illâ vniuerſali; quod *in dubio, melior eſt conditio poſſidentis*; nam, cum conſtat, de facto, & dubium eſt de circumſtantià, poſſeſſio ſtat pro facto, quod eſt certum, & non pro circumſtantià, quæ eſt dubia. Ergo tunc, melior eſt conditio facti, quam circumſtantiæ, ſicque præualet obligatio, quæ connaturaliter ſequitur ex facto. His poſitis.

RESOLVTIO.

7 AD caſum Reſpondetur; Cum verſemur, in dubio, non facti, ſed circumſtantiæ; Sempronium obligari ad votum implendum, ita *Sanch. lib. 2. matr. d. 41. num. 37. & lib. 4. ſum. c. 1. num. 13. Suar. de cenſ. tom. 5. diſ. 40. ſ. 6. num. 5. & tom. 2. de relig. lib. 4. de voto c. 6. num. 3. Layman. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 3. num. 30. Bonac. de cenſ. diſ. 2. quæſt. 2. pun. 6. §. 2. num. 50. & d. 4. de voto quæſt. 2. pun. 3. §. 2. nu. 17. circa medium. Sayrus lib. 3. c. 28. Henriq. lib. 6. cap. 26. num. 7.*

8 Probatur primò; Quia, in dubio circumſtantiæ, defectus, in Foro externo, non præſumitur, niſi probetur, & præſumptio iuris ſtat pro circumſtantià, non verò pro eius defectu; Iudicium autem Fori interni ſequitur iudicium Fori externi, quando hoc non nititur falsà præſumptione; vt ſæpius dictum eſt.

9 Secundò; Quia poſſeſſio ſtat pro facto, eiuſque obligatione, quę, cum ex facto connaturaliter ſequatur, eſt certa, ſicut certum eſt ipſum factum; non verò pro excuſatione obligationis, cum hæc ſit dubia, ſicut dubia eſt circumſtantia, ad quam ſequi deberet.

COROLLARIA.

10 COlligitur ex dictis primò; cum conſtat, latam eſſe cenſuram, ſed dubitatur, an Superior habuerit cauſam ſufficientem, ad eam ferendam; vel an cenſura ipſa, ſit iuſta; vel an ſit debito modo lata; vel an ſit lata animo ligandi, &c. ſemper cenſuram eſſe validam, & ligare, quia, in his omnibus caſibus, conſtat de facto, & eſt dubium ſolum de aliquà circumſtantià facti. In dubio autem circumſtantiæ, defectus non præſumitur, niſi probetur; Et poſſeſſio ſtat pro obligatione cenſuræ, quæ eſt certa, non verò pro eius excuſatione, de quà dubitatur.

11 Secundò; *Cum in cap. Ad audien-*

dientiam: *& in cap. ſignificaſti*: *deciditur*; in dubio homicidij, dubitantem, iudicandum eſſe irregularem; decretum illud, intelligendũ eſſe, non de dubio facti, cum ſcilicet, dubitat quis, an ab eo grauiter vulneratus, mortuus ſit, vel non mortuus; & adhibitâ debitâ diligentiâ, certificari non poteſt; In hoc enim caſu, valet regula vniuerſalis, quod *factum, in dubio, non præſumitur*, *niſi probetur*; ſed de dubio circumſtantiæ facti; quando ſcilicet, dubitat quis, an Titius à Sempronio occiſus; ab eo fuerit occiſus, propter ſuum conſilium; vel, quando ſequitur abortus, dubitat, an fœtus eſſet animatus, vel non &c; In his enim & ſimilibus caſibus, cum conſtet de homicidio, & de abortu, & ſit dubium ſolum de circumſtantiâ; dubitans, cenſendus eſt, irregularitatem incurriſſe, quia poſſeſſio ſtat pro homicidio, & pro abortu, quæ certa ſunt, & non pro circumſtantiâ, quæ eſt dubia; Et cum defectus circumſtantiæ non præſumatur, conſequenter, dubitans præſumitur, ſuo conſilio, in homicidium influxiſſe, vel fœtum per abortum emiſſum, fuiſſe animatum. Ita *Henriquez lib.* 14. *cap.* 14. *n.* 3. *& alij, quos refert Rebellius par.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 3. *ſec.* 2. *num.* 13.

12 Tertiò; cum conſtat, latam eſſe legem, & dubitatur, an fuerit acceptata, vel ſufficienter promulgata, aut vſu recepta, vel abrogata; legem obligare; Tum quia acceptatio, promulgatio, & abrogatio, ſunt circumſtantiæ legis. In dubio autem circumſtantiæ, defectus non præſumitur, niſi probetur. Tum quia, poſſeſſio, ſtat pro lege, eiuſque obligatione, quæ eſt certa; nõ verò pro eius acceptatione, & abrogatione, quæ ſunt incertæ; Tum denique; quia, cum conſtet de lege in Foro externo, etiam circumſtantia, præſumitur. Ergo etiam in Foro interno; idem enim eſt iudicium Fori interni, & externi, quando externum falsâ præſumptione non nititur.

13 Quartò; Eum, qui ſcit, ſe votum emiſiſſe, ſed dubitat hic, & nunc, an votum obliget ratione alicuius circumſtantiæ occurrentis; V. G. ratione finis, vel ratione materiæ, quæ dubitatur eſſe indifferens; teneri, votum implere; Tum quia poſſeſſio ſtat pro Voto, de quo conſtat fuiſſe emiſſum, non verò pro eius excuſatione, cum de illâ dubitetur; Tum quia, præſumptio ſtat pro circumſtantijs, cum earum defectus nunquam præſumatur, niſi probetur; Tum denique, quia obligatio, naturaliter ſequitur ad votum, niſi contrarium oſtendatur. Cum ergo conſtet de voto; conſtat etiam de eius obligatione, nec contrarium oſtenditur.

14 Quintò; In dubio, an promiſſio, vel votum, aut Matrimonium ſit validum; cenſendum eſſe validum; Tum quia, votum, vel matrimonium, eſt certum, & dubium eſt ſolum de aliquâ circumſtantiâ ad eius valorem requiſitâ. In dubio autem circumſtantiæ, defectus non præſumitur, niſi probetur; Tum quia, poſſeſſio ſtat pro voto, vel matrimonio, quod eſt certum; Tum deni-

denique, quia præſumendum eſt, votum, vel matrimonium, factum eſſe, cum omnibus conditionibus, ad valorem neceſſarijs, cum hic ſit modus operandi nobis connaturalis, vnde, *in c. ſi quis acceperit: 33. q. 1.* deciditur, cum dubium eſt, an matrimonium ſit validum, iterum non eſſe contrahendum, ſed pro matrimonij valore eſſe præſumendum.

15 Sextò; In dubio, an alienatio ſit facta cum debitis ſolemnitatibus, talem alienationem eſſe validam; Tum quia, ſolemnitates, cum ſint circumſtantiæ, alienationem regulariter comitantes, præſumuntur adfuiſſe, cum illarum defectus nunquam præſumatur, niſi probetur; Tum quia, poſſeſſio ſtat pro alienatione, de quà conſtat fuiſſe factam, & conſequenter etiam pro eius valore, cum hic connaturaliter ſequatur ad alienationem, ſicut obligatio connaturaliter ſequitur ad promiſſionem.

16 Quotieſcumque ergo occurret aliquod dubium; videndum ſtatim erit, an illud, ſit dubium facti, an verò dubium de circumſtantiâ facti. Si fuerit dubium facti, valebit principium illud vniuerſaliſſimum. *Factum, in dubio, non præſumitur niſi probetur*. Si verò fuerit dubium de circumſtantiâ facti, valebit hoc aliud; *Defectus, non præſumitur, niſi probetur*; ſicque ex his duobus principijs, ſolui facilè poterunt, omnes ſimiles caſus, in quacumque materiâ, occurrentes.

QVAESTIO XIV.

An quælibet conſcientia dubia circa circumſtantiam facti, vllam pariat obligationem.

CASVS.

1. TITIVS, Conſilium dederat Cæſari; vt Pompeium occideret, ſed poſtea conſilium reuocauerat. Accidit tamen, vt Cæſar, Pompeium occiderit; quo audito, Titius ſtatim dubitare cœpit, an Cæſar, eius conſilio, ad homicidium illud motns fuerit; & conſequenter, an ipſe, homicidij particeps fuerit, & ad damnorum reſtitutionem teneatur: Quęritur; an teneatur.

SVM-

SVMMARIVM.

8 *Quot modis, conſuli poſſit homicidium.*
9 *Conſulens, aliquando, reuocato conſilio, ad nihil tenetur.*
10 *Poſſeſsio tunc ſtat pro reuocatione.*
11 *In Foro externo, conſilium cenſetur ſufficienter reuocatum.*
12 *Aliquando conſulens, etiam reuocato conſilio, tenetur ad damna.*
13 *Poſſeſſio tunc ſtat pro efficaciâ Conſilij.*
14 *Dubitans ſe, ſuo Conſilio, fuiſſe cauſam mortis, tenetur ad damna.*
15 *Sufficientia reuocationis Conſilij, in Foro externo, non præſumitur.*
16 *Efficacia, ſequi ſolet Conſilium.*
17 *Dans gladium, ſemper cenſetur ad homicidium concurrere, quandiu quis, illo gladio, occiditur.*
18 *Delictum tunc, eſt certum, & excuſatio incerta.*
19 *Rationabiliter Conſiliarius obligatur ad damna.*
21 *Efficacia Conſilij, rationabiliter præſumitur.*
22 *Reuocatio mandati, ſemper eſt ſufficiens, non ſic reuocatio Conſilij.*
23 *Coniecturæ in oppoſitum, probant ſufficientiam reuocationis.*
24 *Subditus, in dubio, an Prælati poteſtas ſit legitima, obedire tenetur.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis, ex dictis *Quæſt. præced.* conſtet, operationis qualitatem, ſiue circunſtantiam, regulariter præſumi, quandiu nõ probatur oppoſitum. Vt tamen veritas huius principij, clarius adhuc appareat, præſens caſus proponitur; in quo Titius, ad damnorum reſtitutionem, non videtur teneri; ita *Clauis reg. lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 8. *nu.* 1. *Rebell. p.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *q.* 14. *ſ.* 2. *Henriq. lib.* 14. *de irreg. c.* 3. *nu.* 4. *Caſtrop. p.* 1. *d.* 3. *n.* 4. *Filliuc. to.* 2. *tract.* 21. *c.* 4. *num.* 167.

3 Primò; quia Titius, dum dubitauit, an, ſuo Conſilio, cauſa fuerit homicidii, dubitauit de delicto; Ergo, ſtante tali dubio, teneri non poteſt ad reſtitutionem damnorum; hæc enim reſtitutio, cum ſit pœna delicti, debet eſſe proportionata delicto. Delicto autem dubio, non poteſt eſſe debita, ac proportionata, pœna certa.

4 Secundò; Quia æquum non eſt, obligare ad ſatisfactionẽ certã, quẽ certũ non eſt, cauſam damni fuiſſe. Quandiu autem Titius dubitat, certus non eſt, ſe fuiſſe, per ſuum Conſilium, cauſam homicidij, & conſequenter damni, ex illo, ſecuti.

5 Tertiò; Quia, in dubio, melior eſt conditio poſſidentis; Conſilij autem reuocatio, videtur poſſidere; quia Conſilium fuit reuocatum. Ergo, quandiu non conſtat, Conſilium Titij, ad homicidium concurriſſe; Titius ad reſtitutionem obligari iuſtè non poteſt.

6 Quartò; Quia, pro illo ſtat poſſeſ-

ſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio; quando enim, ſuborto dubio, & debitâ adhibitâ diligentiâ, veritas non apparet, ſtandum eſt præſumptioni, ac iudicio Fori externi, cum idem ſit iudicium Fori interni ac externi, quando Forum externum, falsâ præſumptione non nititur. Sed iuris præſumptio ſtat pro reuocatione Cōſilij; In dubio enim, delictum, & factum, in Foro externo, non præſumuntur, niſi probentur. Ergo poſſeſſio, in dubio, ſtat pro reuocatione Conſilij. Vnde Titius formare ſibi poteſt certum iudicium practicum, quod ad reſtitutionem non teneatur; Sic enim ratiocinari poteſt. *In dubio, melior eſt conditio poſſidentis, & poſſeſſor ad nihil tenetur. Sed Conſilij reuocatio poſſidet, cum pro illà ſtet iuris præſumptio; Ergo melior eſt illius conditio*; Sicque ad nihil teneor.

7 Quintò; Quia, ſi Titius, mandatum dediſſet ad occidendum, & poſteà reuocaſſet; quamuis mandatarius, homicidium commiſiſſet, non propterea imputaretur Titio, & poſſeſſio, ac præſumptio ſtaret pro reuocatione: Sed etiam ſupponitur reuocaſſe Conſilium. Ergo homicidium ſecutum, Titio imputari non poteſt, & præſumptio ſtat pro reuocatione, quam conſtat fuiſſe factam; mandatum enim, & Conſilium in ordine ad concurrendum ad homicidium, eodem modo ſe habere videntur. Imò mandatum, videtur efficaciùs influere, ac mouere, quàm Conſilium.

NOTABILE.

8 ADuertendum eſt; tribus modis, potuiſſe Titium, homicidium conſulere; Primò, ſolis præcibus, & auctoritate, Cæſarem ad illud inducendo, ac mouendo. Secundò; Rationes ad hoc idoneas, ſed falſas proponendo: Vt, quod Pompeius, èius fratrem occiderit; vel hæreditatem impedierit; vel ei mortem machinetur. Tertiò; rationes idoneas proponendo, ſed veras; Vt, quod eius mors futura ſit vtilis ad lites terminandas, ad hæreditatem Titij conſequendam, &c. Si Titius, Conſilium primò, aut ſecundo modo dedit, illud ſufficienter reuocauit, vel ſimilibus præcibus contrarijs, vel indicando rationes à ſè illi propoſitas, fuiſſe falſas; Sic enim ceſſauit in Cæſare, motiuum occidendi Pompeium, & cenſetur à Titio ſufficienter ſublatum, ita vt homicidium imputandum iam ſit ſoli malitiæ Cæſaris. At, ſi conſilium dedit tertio modo; quantumcunque illud reuocare conatus ſit, nunquam tamen ſufficienter reuocauit; quia ſemper remanſit in Cæſare, ratio illa, à quà primo motus fuit ad Pompeium occidendum; Eo modo, quo, ſi gladium ad id commodaſſet; nunquam ſufficienter reuocaſſet concurſum in homicidium, niſi re ipsâ ei gladium abſtuliſſet. Vſus enim gladij, ſemper imputatur tradenti. Hoc poſito.

RE-

RESOLVTIO I.

9 AD Caſum Reſp. primò; Titium, ſi primo, aut ſecundo modo Conſilium dedit, ac reuocauit; ad reſtitutionem non teneri; ita *Bonac. d. 1. de contract. qu.2. p.4. nu.3. & reliqui omnes ſuperius citati*.

10 Primò; Quia poſſeſſio tunc ſtat pro reuocatione Conſilij; cum hæc ſit certa, & communiter iudicetur ſufficiens; Vnde homicidium, rationabiliter præſumi poteſt, ex ſolà Cæſaris malitià ſecutum.

11 Secundò; Quia, in Foro externo, Conſilium ſic reuocatum, cenſeretur fuiſſe ſufficienter reuocatum, nec homicidium imputaretur amplius conſulenti; poſitis enim præcibus contrarijs, vel indicatà falſitate rationis, ac motiui propoſiti ad occidendum, Cæſar moueri amplius rationabiliter ab illà ratione non potuit ad Pompeium occidendum. Ergo etiam cenſetur ſufficienter reuocatum in Foro Conſcientiæ; idem enim eſt iudicium vtriuſque Fori, vt ſæpius dictum eſt.

RESOLVTIO II.

12 REſp. 2. Titium, ſi tertio modo Conſilium dedit, ac reuocauit; ad reſtitutionem teneri; ita *Sanch. d.41. num.17. Leſſius lib.2. c.27. d. 3. Molina tom.3. diſ.736. num.6. Salas 1. 2. tr.8. d.1. ſ.23. num.242.*

13 Primò; Quia poſſeſſio tunc ſtat pro Conſilio, eiuſque efficacià; Certum eſt enim, fuiſſe datum Conſilium, & Conſilium, ex ſe, fuiſſe aptum ad homicidium cauſandum; ſed non eſt certum, fuiſſe ſufficienter reuocatum. Cum ergo conſtet de efficacià Conſilij, & non conſtet de ſufficientià reuocationis, poſſeſſio ſtat pro efficacià Conſilij, & conſequenter pro obligatione reſtituendi.

14 Secundò; Quia, qui poſt votum emiſſum, dubitat, an habuerit animum ſe obligandi, tenetur ſeruare votum, perinde ac, ſi animum certè habuiſſet. Ergo etiam, qui, poſt datum Conſilium, ex ſe aptum ad mouendum ad homicidium, dubitat, an illud ſufficienter reuocauerit; ſecuto homicidio, tenetur ad damnorum reſtitutionem, perinde ac, ſi illud certò non reuocaſſet, ſed Conſilium, verè homicidium illud cauſaſſet. Ideo enim, cum vouens dubitat, an habuerit animum ſe obligandi, tenetur ſeruare votum, quia, cum nemo præſumatur dicere id, quod in corde non habet; Eo ipſo, quod conſtat de promiſſione, & dubitatur de animo ſe obligandi, præſumptio, ac poſſeſſio eſt pro animo ſe obligandi, cum verba promiſſionis hoc ſignificent. Sed etiam, qui dat Conſilium, proponere regulariter ſolet rationes efficaces ad mouendum. Ergo, eo ipſo, quod conſtat de Conſilio dato & de homicidio ſecuto, præſumptio ac poſſeſſio ſtat pro eius efficacià in homicidium; Ergo, ſicut vouens, in dubio animi, tenetur ſeruare votum; ita conſulens, ſecuto

homi-

homicidio, in dubio efficaciæ ſui Conſilij, tenetur ad reſtitutionem.

15 Tertiò; Quia, pro eo eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat Iuris præſumptio; Vnde, cum non conſtat de veritate, ſtandũ eſt iuris præſumptioni, quia hæc habetur pro veritate, donec oppoſitũ probetur, vt prob. *Molin. tom. 1. tract. 2. d. 196. & Menoch. lib. 1. de præſumpt. qu. 4. num. 3.* Sed, poſito Conſilio ad homicidium, & homicidio ſecuto, & incertitudine de ſufficientià reuocationis; præſumptio iuris ſtat pro efficacià Conſilij; In Foro enim externo, Conſilium præſumeretur, ſuũ habuiſſe effectum, & conſulenti incumberet onus probandi, quod homicidium ſecutum, non fuerit effectus ſui Conſilij; Ergo poſſeſſio ſtat pro efficacià Conſilij, & conſequenter pro obligatione reſtituendi.

16 Quartò; Quia, non minus connaturaliter, ad Conſilium ſequitur ex ſe efficacia in ordine ad ſuum effectum, quàm ad promiſſionem, ſequatur obligatio. Ergo ſicut, dum conſtat de promiſſione, præſumptio ſtat pro obligatione; ita, dum conſtat de Conſilio, & de homicidio ſecuto, præſumptio ſtat pro efficacia Conſilij, & conſequenter pro obligatione reſtituendi; qualitas enim, quæ à naturà ineſt, ſemper ineſſe præſumitur, vt probat *Menoch. de præſumpt. lib. 1. q. 14. num. 3.*

17 Quintò; Quia, ſi Titius, gladium Cæſari commodaſſet ad Pompeium occidendum, nec illum ei deinde re ipsà, abſtuliſſet, quamuis ſæpius efficaciter tentaſſet, & Cæſar de facto Pompeium occidiſſet; Titius, in Foro externo, præſumeretur, ad homicidium illud concurriſſe, niſi aliundè conſtaret, Cæſarem non occidiſſe Pompeium gladio, ſed alio inſtrumento. Sed Titius, eiuſdem Cæſaris animo impreſſit de facto rationem ſufficienter, ex ſe, inducentem ad homicidium; & homicidium ſecutum eſt; Ergo, per talem rationem, præſumetur ad homicidium concurriſſe, quandiu non conſtabit, Cæſarem aliunde fuiſſe motum, ad illud homicidium patrandum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

18 Ad rationes autem in contrarium; ad primam; Negatur Antecedens; delictum enim eſt certum, & dubium ſolum eſt de qualitate delicti, ſcilicet de Conſilij efficacià; ſicut, cum vouens dubitat de animo ſe obligandi, dubium non eſt de voti emiſſione, ſed ſolum de eius qualitate; Hæc autem, ſicut præſumitur in vno, ita præſumitur etiam in alio, in ordine ad effectum obligandi.

19 Ad ſecundam Reſp; non eſſe contra æquitatem, obligare ad reſtitutionem certam, quando conſtat de cauſa damni poſità, & de damno ſecuto, & eſt præſumptio pro efficacià illius cauſæ; ſicut non eſt contra æquitatem, obligare ad votum ſeruandum, quando conſtat de voto, & eſt præſumptio de animo ſe obligandi. In vtroque enim caſu, cauſa obligationis, eſt ſufficienter

ter certa in Foro externo; Forum autem externum, & internum, quo ad iudicium, idem ſunt, vt patet ex dictis.

20 Ad tertiam; Negatur minor; Conſilij enim efficacia poſſidet, non eius reuocatio; nam de hac, incertum eſt, an fuerit ſufficiens, de illà verò, dantur omnes coniecturæ, ac iuris præſumptiones, quod effectum ſortita ſit.

21 Ad quartam; Negatur minor; Nam, de Conſilio dato, non eſt dubium, ſed ſolum de eius efficacià in homicidium; Efficacia autem, cum connaturaliter comitari ſoleat Conſilium, ſicut animus ſe obligandi, promiſſionem; præſumitur adfuiſſe, quandiu non probatur oppoſitum; Sicut, in vouente, præſumitur adfuiſſe animus ſe obligandi, quandiu ipſe oppoſitum non probat; cum præſertim, ad hoc præſumendum, ſint coniecturæ fortiſſimæ: Conſilium datum; homicidium ſecutum; & incertitudo de ſufficientià reuocationis; & præſumptio ſemper ſtet pro inſufficientià reuocationis Conſilij, cum tertio modo datum eſt, ac deinde reuocatum; vt dictum eſt.

22 Ad quintam; Eſt manifeſta diſparitas; nam Mandans, impoſſibile eſt, quod mandatum reuocet, & illud non reuocet ſufficienter; Cum enim mandatarius agat ſolùm nomine Mandantis, & in gratiam illius, reuocato mandato, neceſſariò ſtatim ceſſat ratio agendi in mandatario. At, qui accepit Conſilium, non agit nomine Conſulentis, & in gratiam illius, ſed nomine proprio, & vt rebus ſuis proſpiciat. Hinc autem fit, vt, reuocato Conſilio, non ſtatim ceſſet, in eo, qui Conſilium accepit, ratio agendi, illi à Conſulente impreſſa, ſed requiratur, vt hæc, rationibus omnino contrarijs, ab ipſo auferatur; Quod, cum rationes impreſſæ, fuerunt veræ, difficillimum eſt, eo quod difficillimum ſit, alias rationes illis contrarias æquè efficaces, earumque deſtructiuas inuenire.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò, quæ dicta ſunt, locum habere, vbi non eſſent validæ coniecturæ, quæ oppoſitum ſuaderent. Si enim Cæſar, independenter à Conſilio Titij, fuiſſet inimicus capitalis Pompeij, vel ei mortem minatus eſſet, vel omnia ad necem neceſſaria iam præparaſſet, aut aliæ ſimiles coniecturæ darentur; in hoc caſu, præſumptio eſſet pro ſufficientià reuocationis, quia coniecturæ iſtæ ſufficienter indicarent, homicidium ortum eſſe, non tam ex Titij Conſilio, quàm ex Cæſaris odio, ac inimicitià.

24 Secundò; Dubitantem, an Prælati poteſtas ſit legitima, teneri illi obedire; quia, eſſe legitimam; cum ſit qualitas, ſiue circumſtantia poteſtatis; ſemper præſumitur, quandiu oppoſitum non probatur. Similiter, dum Coniux dubitat de impedimento dirimente, poſſe debitum exigere. Tum quia, an detur impedimentum dirimens, eſt dubium facti; factum, autem in-

du-

dubio, non præſumitur, niſi probetur. Tum quia, idem eſt, dubitare de impedimento dirimente, ac dubitare de valore matrimonij; in dubio autem valoris, præſumptio ſtat pro valore, cum valor ſit circunſtantia, vel qualitas ipſius matrimonij: *c. ſi quis acceperit*: 33. *quaſt*. 1. Quod *ſi c. inquiſitioni*; *de ſententiâ excomm.* Coniux dubitans de impedimento dirimente, debitum exigere prohibetur. Hoc intelligitur, ante adhibitam debitam diligentiam, ad dubium expellendum.

QVAESTIO XV.

An præceptum de re dubiâ obliget.

CASVS.

1 CVM Titius, ob ſcientiæ defectum, de ſuâ idoneitate ad Confeſſiones audiendas dubitaret; Prælatus, habens, aliàs, ab Epiſcopo facultatem, quemcumque ex ſuis ſubditis approbandi; ei in virtute Sanctę Obedientię pręcepit, vt Confeſſiones audiret; Titius tamen, cum aliquot viros doctos conſuluiſſet, & dubium deponere non potuiſſet, eas audire noluit; Queritur; vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *An materia dubia eximat ab obligatione præcepti.*

9 *Duplex dubium circa materiam præceptam.*

10 *Actus obligatorius, obligat ad minimum, quod poteſt.*

11 *Subditus, ad obedientiam tenetur, ſolum ratione voti.*

12 *Dubitans de materiæ honeſtate, obedire non tenetur.*

13 *Quomodocumque dubitet.*

14 *Superioris præceptum, rem illicitam, reddere non poteſt, licitam.*

15 *Præceptum Diuinum præualet.*

16 *Superioris poteſtas, ad materiam ſolum certò licitam, ſe extendit.*

17 *Subditus, ad eam ſolam obligare ſe voluit.*

18 *Superioris poteſtas, non ſe ex-*

extendit, ad dubia.
19 *Superior, illud ſolum ius habet, quod ſubditi, per votum, contulerunt.*
21 *Superioris præceptum, non ſemper, præſumitur iuſtum.*
22 *Præſumitur, quando oritur, ex Poteſtate Legiſlatiuà.*
23 *Nullum hinc ſequitur inconueniens.*
24 *Superior, in dubio, obligare non poteſt ad ſecreti reuelationem.*
25 *Nec Tempore Quadrageſimæ, ad carnes comedendas.*
26 *Poſſeſſio ſtat pro præcepto Ieiunij.*
27 *Nec in dubio de belli iniuſtitià, ad militandum.*
28 *Multo minus, ſi ſubditus, de belli iniuſtitià, habeat iudicium probabile.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Sicut dubium, circa circunſtantiam facti, non eximit ab obligatione, quia circunſtantià, ſemper præſumitur, quandiu oppoſitum non probatur; Ita quæri ſolet, an dubium circa honeſtatem materiæ promiſſæ, vel præceptæ; quæ honeſtas, videtur eſſe circumſtantia materię; eximat ab obligatione Voti, vel Præcepti. Et ab obligatione quidem præcepti, videtur non eximere; ideoque Titium mortaliter peccaſſe. Ita *Azor. tom. 1. lib. 2. c. 19. num. 9. Molina tom. 1. tract. 2. d. 113. Concl. 3. Valentia 1. 2. d. 2. quæſt 14. p. 4. Clauis reg. lib. 1. c. 13. n. 40. Nau. c. 23. ſum. n. 37.*

3 Primò; Quia Superior Titio præcipere poterat; vt Confeſſiones audiret, cum eſſet in poſſeſſione ſuæ poteſtatis præcipiendi, nec de inhoneſtate rei præceptæ conſtaret; ſed ad ſummum, de eà eſſet dubiū; in quo caſu, melior erat conditio Superioris poſſidentis. Si autem, Superior erat in poſſeſſione præcipiendi, etiam Titius, vt potè, ſubditus, erat in obligatione obediendi; Ergo, non obediendo, peccauit.

4 Secundò; Quia Superior, habet ius præcipiendi omne id, quod euidenter non conſtat, eſſe malum, aut limites eius poteſtatis excedere; Quandiu enim non conſtat, rem præceptam eſſe malam, aut limites eius poteſtatis excedere, nulla eſt ratio illum ſpoliandi iure præcipiendi, quod habet, cum hoc ſit certum, & conſequenter, ſine causà, illo ſpoliari non poſſit. Sed Titio non conſtabat, eſſe malùm, cum eà idoneitate confeſſiones audire, ſed, ad ſummum, de hoc dubitabat; Ergo Superior habebat ius, hoc illi imperandi, & conſequenter ipſe quoque obligationem obediendi; ideoque non obediendo peccauit,

5 Tertiò; Quia toties ſubditus, pręcepto Superioris obedire tenetur, quoties non probat ſuam exemptionem à tali præcepto; cum enim poſſeſſio, & iuris pręſumptio ſtet, pro præcepto, quod eſt certum, Subdito incumbit onus ſuam exemptionem probandi, & afferendi rationes, illum à præcepto excuſantes. Sed Titius, probare non poterat, quod,

quod, audire, in illis circumſtantijs, Confeſſiones, ſibi eſſet illicitum; de hoc enim ſolùm dubitabat; Ergo tenebatur obedire, & conſequenter, non obediendo, peccauit.

6 Quartò; Quia, Superioris præceptum, in dubio, præſumitur iuſtum nec limites poteſtatis excedere; vnde, in dubio, de iure belli, omnes communiter docent; Subditos teneri, Principi obedire, nec debere, belli cauſas inquirere; ſed præſumere, bellum eſſe iuſtum, cum, Optimatum Conſilio, decretum fuerit; ſed, cum præceptum præſumitur iuſtum, habet vim obligandi; Ergo, in dubio, habet vim obligandi, & Subditus obligationem obediendi; Subditus enim præſumere poteſt, ac debet, præceptum eſſe iuſtum; cum non magis ſibi credere teneatur, quàm Superiori.

7 Quintò; Quia, ſi, in dubio, præceptum Superioris non præſumeretur eſſe iuſtum, ſequeretur, quod Superior, quotieſcumque aliquid præcipit, ſui præcepti rationem reddere teneretur, & manifeſtare, quo iure, hoc faceret, antequam Subditi tenerentur obedire. Hoc autem in maximum gubernationis damnum vergeret; Illam enim redderet difficillimam, & Subditorum iudicio ſubijceret, quatenus eorum eſſet, iudicare, an rationes eſſent ad præcipiendum ſufficientes. Cum ergo Superioris præceptum, ſemper præſumatur iuſtum, ſemper habet vim obligandi, quandiu non probatur oppoſitum; & conſequenter, Subditus, in dubio, ei tenetur obedire, dubium deponendo; habet enim rationem ſufficientem illud deponendi, quæ ratio, eſt præcepti poſſeſſio.

NOTABILIA.

8 Aduertendum eſt primò; Titium, dupliciter dubitare potuiſſe; primò de ſcientiâ, ad confeſſiones audiendas requiſitâ, an eſſet ſufficiens, vel inſufficiens; & hoc fuiſſet dubium *facti*, & ſpeculatiuum, ſicut ſi dubitaſſet, an Cæſaris homicidium, ſecurum eſſet ex eius conſilio, an non: ſecundò de ipsâ Sacramenti adminiſtratione, an ſibi eſſet licita, an illicita; & hoc fuiſſet dubium practicum, quia fuiſſet de ipsâ operatione, an eſſet facienda, vel non.

9 Aduertendũ eſt ſecundò; Actum quemcumque obligatorium, ita præſumi factum, vt minus, quam fieri poſſit, ſit agenti onerosus; hinc autem fit, vt, ſi quis voueat calicem, ſatisfaciat, dando cupreum; nec teneatur dare argenteum; & qui vouit ieiunare, vel dare eleemoſynam indeterminatè, per vnicum ieiunium, ſatisfaciat, & quantitatem quamcumque minimam tradendo; Quia Votum, ſtrictè, quantum fieri poteſt, interpretandum eſt; Tum, vt vitetur, quantum fieri poteſt, peccati periculum; Tum quia, ita habetur *c. ex parte; de cenſib.* Tum quia, in legatis, quando non conſtat de intentione Teſtatoris, Teſtator præſumitur legare voluiſſe minimum, quod potuit, vt ad minimum grauaret hæredem. *L. n 73. ff. de*

ff. de Legatis 3. Ergo etiam in voto, Vouens cenſendus eſt, voluiſſe ſe obligare ad minimum, quod potuit; Tam enim vota, quam legata, ex libera Vouentis intentione pendent; ita *Menoch. de præſumpt. lib.6. præſumpt.9. & Sanch. lib.4. c.15. num.46.*

10 Aduertendum eſt tertiò; Titium non teneri ad obediendum Prælato, niſi ratione profeſſionis religioſæ, ac voti Obedientiæ, in eà, emiſſi; ratione enim ſolius profeſſionis, ei erat ſubditus; Cum ergo profeſſio ſit actus obligatorius, cenſetur obligare ad minimum, quod poteſt; ideoque ſolum ad materiam certam, ac licitam, non verò ad dubiam. Hinc autem fit, vt neque Superioris poteſtas, ac iuriſdictio; quamuis data à Pontifice, ad aliam materiam ſe extendere poſſit, quam ad certam, ac licitam; Superioris enim iuriſdictio, cum radicaliter oriatur ex voto ſubditi, ad alia ſe extendere non poteſt, quam ad ea, ad quæ votum ipſum extenditur. His poſitis.

RESOLVTIO.

11 RESp; Titium, quomodocunque dubitauerit, Superioris præcepto non obediendo, non peccaſſe, *Vaſq. 1.2. d.66. c.6. n.51. Sanch. lib.2. matr. d.41. num.33. & lib.4. ſum. c.15. num.32. Ioan. Sanch. d.43. num.3. Suar. tom.3. de relig. lib.10. c.3. in prim. reſp. Caſtropal. p.1. d.3. p.13. num. 8. Menoch. de præſumpt. lib. 6. præſumpt.9. multis relatis.*

12 Primò; Quia quomodocumque dubitauerit, non tenebatur obedire; quocumque enim modo dubitauerit, ſemper illicitum ei erat obedire; Nam, ſi de ipsâ Sacramenti adminiſtratione practicè dubitauit, an ei eſſet licita, vel illicita; Cum hoc dubio, licitè obedire non potuit; quia operari cum dubio practico, eſt intrinſecè malum; & aliunde, hoc dubium, deponere non potuit, etiamſi ad illud vincendum, debitam adhibuerit diligentiam. Si verò dubitauit de ipsâ ſcientiâ, an eſſet ſufficiens, vel inſufficiens, neque, poſt adhibitam diligentiam, dubium hoc vincere potuit; etiam, cum hoc dubio, licitè obedire non potuit; Tum quia, cum hoc eſſet dubium facti, & factum, in dubio, non præſumatur; præſumere non poterat, ſe, ſcientiam ſufficientem, habere. Tum quia, pœnitentiæ adminiſtratio, ſtante hoc dubio, illi erat illicita; erat enim contra præceptum Diuinum, obligans ad Sacramenta ritè miniſtranda, quod, in dubio, adhuc obligabat, cum pro illo ſtaret poſſeſſio, eo quod eſſet certum, & excuſatio incerta. Poſito ergo, quod Titius, cum eo dubio licitè obedire non potuerit, obedire non tenebatur; ideoque non obediendo, non peccauit; cum præſertim, Superioris præceptum, ei ſufficiens, non fuerit, ad dubium deponendum.

13 Secundò; Quia, Superioris præceptum, non potuit Titio reddere licitum, quod antea illi erat illicitum, neque enim ex eo, quod Superior præcipiat reuelationem pec-

cati in Confeſſione auditi, reddere poteſt reuelationem illam, ex illicità, licitam. Sed ante Superioris præceptum, erat Titio ſimpliciter illicitum, Confeſſiones audire; Tum quia erat illicitum, operari cum dubio. Tum quia erat illicitum, Confeſſiones, cum dubio de ſcientià debità, audire. Ergo Superioris præceptum non potuit ei pœnitentiæ adminiſtrationem reddere licitam, & conſequenter nec ad illam obligare.

13 Tertiò; Quia, ſi Superior, Sacerdoti dubitanti, an homicidium aliquod, eius conſilio, ſecutum ſit, præciperet, vt celebraret; Sacerdos ille, nec obedire teneretur, nec poſſet; quia Eccleſia, in dubio de homicidio, declarat irregularem, & prohibet celebrationem. Sed etiam præceptum Diuinum prohibet, ne quis, in dubio, de ſcientià neceſſarià, Sacramentum vllum miniſtret; prohibet enim, ne quis illud, ſine debità ſcientià, miniſtret, & qui dubitat, illam non habere præſumitur, cum ſit dubium facti; Ergo Titius, obedire nec tenebatur, nec poterat.

15 Quartò; Quia, Superior nunquam habuit poteſtatem præcipiendi niſi licita; Ergo, eo ipſo, quod dubitatur, an res præcepta, ſit licita, dubitatur, an poteſtas Superioris, ad illam ſe extendat; ſed idem, eſt dubitare, an præceptum ad rem præceptam ſe extendat, ac dubitare, an detur præceptum; Ergo eo ipſo, quod dubitatur, an res ſit licita, dubitatur, an de illà detur præceptum; In dubio autem obligationis, vel præcepti, nulla datur obligatio, quia poſſeſſio ſtat pro libertate, quæ eſt certa, quandiu non conſtat oppoſitum; Cum ergo Titius dubitauerit, an pænitentiæ adminiſtratio ei eſſet licita, dubitauit conſequenter etiam, an in Superiore, eſſet poteſtas præcipiendi; ideoque obligari non potuit ad obediendum.

16 Quintò; Quia Titius, Prælato obedire non tenebatur, niſi ratione profeſſionis religioſæ, ac Voti Obedientiæ in illà emiſſi; ratione enim ſolius profeſſionis erat ei ſubditus. Sed in dubio, de honeſtate rei præceptæ, ex vi voti, obedire non tenebatur. Vouens enim, nunquam vult ſe obligare ad caſum dubium; Tum quia, illa eſſet voluntas imprudens, non minus, quàm voluntas ſe obligandi ad rem illicitam; Tum quia, Vouens habet intentionem, ſe obligandi ſolum ſub conditione, ſi res promiſſa ſit Deo grata; In dubio autem, an ſit grata, iam non datur conditio. Cum ergo Titius, per Votum, noluerit ſe obligare, niſi ad materiam certam, & licitam; neque Prælatus, ad aliam, per ſuum præceptum, obligare illum potuit. Prælatus enim, poteſtatem non habet obligandi ad alias materias, præter eas, ad quas religioſorum vota ſe extendunt; cum tota Prælati iuriſdictio, ac vis præcepti, fundetur in voto, ex eoque oriatur, & ab illo menſuretur, vt dictum eſt. Cum ergo res Titio præcepta, eſſet dubia; nec Titius per votum ad illam obligare ſe voluit, nec Superior eam potuit præcipere; ideoque

que Titius, illam non ponendo, non peccabit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam enim reſp. Negando, quod Superior rem illam præcipere potuerit; Tum quia erat illicita, vt probatum eſt; Tum quia erat dubia; Superioris autem poteſtas, non ſe extendebat ad res dubias, ſed ſolùm, ad certas, cum ad eas ſolas Titius per votum ſe obligare voluerit.

18 Ad ſecundam Reſp. Negando maiorem; Superior enim, non habet maius ius, quàm, quod ei ſubditi, per votum, contulerunt; Subditi autem, non contulerunt poteſtatem præcipiendi, niſi licita, & non dubia, quia, per votum, ad ea ſolùm ſe obligare voluerunt, & non ad iſta.

19 Ad tertiam Reſp. Negando minorem; eo enim ipſo, quod dubitabat de ſufficientiâ, probare poterat, illicitum ſibi eſſe, confeſſiones audire, quia in dubio de ſcientiæ ſufficientiâ, Confeſſiones audire, eſt contra præceptum Diuinum de Sacramentis non niſi ritè adminiſtrandis. Adde, quod, in illis circunſtantijs, pœnitentiæ adminiſtratio ſaltem erat dubia; Titius autem, per votum, ſe obligauit ſolùm ad materiam certam; ideoque in illa ſolà, Superiori obedire tenebatur, & non in dubiâ.

20 Ad quartam Reſp. primò; Præceptum, in dubio, præſumi iuſtum, quando dubium, non reddit rem præceptam illicitam; ſi enim redderet illicitam, iam extrahit illam à materià præcepti. Dubium autem, in caſu præſenti, reddit pœnitentiæ adminiſtrationem illicitam, vt patet ex dictis.

21 Reſp. ſecundò; Præceptum, præſumi, in dubio, iuſtum, quando oritur ex poteſtate Legislatiua; tunc enim, cum eius obligatio pendeat, ex voluntate, ac poteſtate Legiſlatoris, ex eius iuriſdictione metienda eſt. At quando oritur ex voto; in dubio rei præceptæ, non præſumitur iuſtum, quia Vouens, noluit ſe obligare ad caſum dubium, ſed ſolùm ad certum; & præceptũ tunc extendere ſe iuſtè non poteſt, niſi ad ea, ad quę votum ſe extendit.

22 Ad quintam Reſp; Illam probare de Superioribus habentibus iuriſdictionem, ac poteſtatem legiſlatiuam, à ſubditorum voluntate independentem, non verò de Superioribus Religioſorum, totam iuriſdictionem habentibus fundatam, ac radicatam in votis ſubditorum, ideoque ab eorum voluntate pendentem, & quo ad extenſionem, ad aliquas ſolùm materias certas limitatam, & non ad omnes.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò; Nõ poſſe Superiorem per ſuum præceptum, obligare ſubditum, ad reuelandum ſecretum, & multò minùs delictum proximi occultum; (præſertim, ſi ex tali reuelatione, ſequi illi poſſet aliquod damnum;) quando ſubditus dubitat, an talis

reuelatio, ſit licita, an illicita; vel quando dubitat, an Superior, hoc præcipere poſſit, vel non poſſit; In vtroque enim caſu, eſt dubium de extenſione præcepti ad illum caſum, ideoque, an detur, vel non detur præceptum; in quo caſu, poſſeſſio ſtat pro libertate certâ, & vis præcepti eſt probanda, cum ſit dubia.

24 Secundò, Non poſſe Superiorem præcipere ſubdito, vel comeſtionem carnium in die ieiunij, vel omiſſionem Diuini Officij, nec ſubditum teneri obedire, quando dubitat de ſufficiéntia valetudinis, aut impedimenti; niſi Superior poteſtatem habeat diſpenſandi in Eccleſiæ præceptis de ieiunio, aut officij recitatione. Poſito enim dubio, de ſufficientiâ impedimenti, præcepta Eccleſiaſtica obligant, cum ſint certa, & eorum excuſatio ſit tantum dubia. Snperior autem, ſi poteſtatem non habeat diſpenſandi; per ſuum præceptum, obligationem præcepti Eccleſiaſtici tollere non poteſt, & conſequenter, nec per ſuum præceptum obligare.

25 Tertiò; In dubio, an res præcepta, ſit licita, poſſeſſionem non ſtare pro præcepto Superioris, ſed pro illo præcepto, contra quod dubitatur, eſſe res præcepta; ſi enim Superior præcipiat, in die ieiunij carnium comeſtionem, ſubdito dubitanti, an eas licitè comedere poſſit; poſſeſſio, in eo dubio, non ſtat pro præcepto Superioris, ſed Eccleſiæ, cuius præceptum, cum ſit certum, poſſidet, quandiu de excuſatione nō conſtat: Vnde à præcepto Superioris ſuperueniente, tolli non poteſt, niſi Superior, poteſtatem habeat diſpenſandi; Tunc enim, illud per diſpenſationem tollere poteſt. Atque hinc apparet differentia inter præceptum ieiunij V. G. & præceptum Superioris: nam præceptum ieiunij, in dubio, ſemper poſſidet, & obligat, quia non dum conſtat de excuſatione. At præceptum Superioris, in dubio, ſtatim ceſſat poſſidere, quia ſtatim conſtat de excuſatione; Eo enim ipſo, quod de honeſtate rei præceptæ dubitatur, iam res illa, eſt alteri præcepto contraria, ideoque incapax, vt præcipiatur à Superiore.

25 Quartò; Subditum, ſi dubium habeat fundatum de belli iniuſtitiâ, & adhibitâ debitâ diligentiâ, dubium expellere, ac vincere non poſſit, non teneri; imò nec poſſe, cum eo dubio, obedire; Tum propter rationes ſuperius factas; Tum quia certum eſt, ex bello, ſecutura damna grauiſſima, & ipſi ſubdito, & alijs; Superior autem, cum tanto damno, obligare non poteſt; cum non magis obligare poſſit, quàm Eccleſiæ præcepta, & hæc, quamuis certa, cum graui detrimento proprio, vel alieno, obligare non ſoleant; Tum denique; quia in dubio de iuſtitiâ belli, poſſeſſio ſtat pro iure iuſtitiæ, quod vnuſquiſque habet, ne lædatur in bonis ſuis abſque manifeſto titulo. Hic autem titulus, non datur, dum dubitatur, an Superior habeat ius imperandi; ſi tamen ſubditus fundatam rationem dubitandi non habeat, tenetur dubium friuolum deponere,

re, & belli iuſtitiam præſumere, præſumendo præceptum Superioris Diuino eſſe conforme, quandiù non conſtat, vel rationem fundatam non habet dubitandi, quod illi ſit contrarium.

27 Quintò, Quæ dicta ſunt, valere à fortiori, cum datur opinio probabilis, quod materià præcepta, ſit illicita; ſi enim ſolum dubium, quod ſit illicita, ſufficit ad excuſandum ab obligatione præcepti, multò magis ſufficiet probabilitas, quod ſit illicita; &, cum Prælati præceptum habeat vim obligandi, ſolum limitatam ad certò licita; vtique obligare non poterit ad probabiliter illicita. Nam ſubditus, dum vouet obedientiam Prælato, ſicut excludit materiam dubiam, ita excludit probabiliter illicitam; non minus enim eſſet imprudens voluntas obligandi ſe; ad obediendum pro caſu probabiliter illicito, quam pro caſu dubio. Menſura autem obligationis, in voto obedientiæ, & conſequenter etiam poteſtatis in Prælato, tota deſumitur ex intentione vouentis, cum tota obligatio, ab eius voluntate dependeat.

QVAESTIO XVI.

An votum de materià dubià obliget.

CASVS.

1 TITIVS votum emiſerat, librum aliquem ſpiritualem, ſingulis diebus, per ſemihoram, legendi; accidit autem, vt in grauem morbum inciderit; ex eoque, dum conualeſceret, dubitauit; lectionem illam fore tunc capiti grauiter nocituram; cumque, medici copiam non haberet, nec alium, à quo de hoc certificari poſſet; lectionem omiſit. Quæritur; vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *An votum obliget ſicut Lex.*

6 *Dubitans de materiæ honeſtate, voto non obligatur.*

7 *Vouens, intentionem non habuit ſe obligādi ad materiā dubiā.*

8 *Neque tunc, materia eſt grata à Deo.*

9 *Dubium de honeſtate materiæ, trahit dubium de ipſo voto.*

10 *Voluntas ſe obligandi, etiam in ma-*

materiâ dubiâ, eſt imprudens.

11 *Ideo votum, in dubio, non obligat.*

12 *Votum, eſt ſtricte interpretandum.*

13 *Ideoque ſe extendit ſolum ad materiam, certo, gratam Deo.*

14 *Votum, à fortiori non obligat, cum datur iudicium probabile, de inhoneſtate materiæ.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm, ex dictis, præceptum Legiſlatoris, in hoc differat à præcepto Pralati, quod primum obligat, etiam, cum materia eſt dubia: ſecundum vero ſolum, cum materia certo eſt honeſta, quæri ſolet, cuinam ex his duobus præceptis, ſit ſimile votum, in modo obligandi. Videtur enim eſſe ſimile præcepto Legiſlatoris, aut legi, ideoque obligare, etiam, cum materia eſt dubia; vnde Titius videtur, mortaliter peccaſſe. Ita *Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de voto c. 6. num. 12. Caſtropal. p. 1. d. 3. p. 12.*

3 Primò; Quia fecit contra voti obligationem; cum enim certus eſſet, ſe vouiſſe, & quantum eſt ex parte ſuà, ſe obligaſſe; propter ſolum dubium, ex parte materiæ; excuſari non poterat; nam dubium illud, iam ei non fauebat tanquam ſuam libertatem poſſidenti, ſed poſſeſſio tota erat pro voto, quod erat certum, excuſatio autem, ſiue libertas, incerta.

4 Secundò; Quia, cum ad voti valorem, duo neceſſario requirantur; vnum ex parte hominis, vt velit ſe obligare; alterum ex parte Dei, vt velit acceptare; quando eſt dubium de materiâ voti, non eſt dubium de voti valore, ex parte Voluntatis Vouentis, ſed ex parte Dei acceptantis; Ergo, cum de ſuà voluntate, ſit certus, procurare tenetur, vt de diuinà acceptatione certior fiat; Ergo, in eo dubio, conſulere debet Prælatum, qui eſt loco Dei, vt, vel interpretetur, vel diſpenſet; alioquin exponeret ſe periculo, rem Deo gratam, eique promiſſam omittendi, quod, ſine peccato, fieri non poteſt. Cum ergo Titius, Pralatum non conſuluerit, conſequenter mortaliter peccauit.

5 Tertiò; Quia; Titius, dubitans, an lectio eſſet capiti nocitura, non dubitauit, ſe votum feciſſe ſaltem ſub conditione, ſi lectio illa Deo eſſet grata; hoc enim erat certum; Ergo tenebatur à Prælato inquirere, an eſſet Deo grata, nec ſuà authoritate, ac arbitrio, rem in ſuum fauorem interpretari poterat, ne transgreſſionis periculo ſe exponeret; Cum ergo Prælati diſpenſationem non procurauerit, conſequenter mortaliter peccauit.

RESOLVTIO.

6 REſp. tamen; Titium, poſt adhibitam debitam diligentiam, dubitantem de lectione, an eſſet grauiter capiti nocitura, illam omittendo, mortaliter non peccaſſe. Ita *S. Thom. 2. 2. quæſt. 88. ar. 2.*

Sotus

Sotus lib. 7. quæſt. 1. art. 3. ad vlt. Syluester v. votum. 1. quæſt. 4. & votum 2. qu. 14. Sanchez lib. 4. ſum. c. 6. num. 5. Bonac. D. 4. q. 2. de voto p. 3. §. 1. num. 5.

7 Primò: Quia nihil fecit contra votum; per votum enim, nunquam ſe obligauit ad lectionem, pro caſu, quo dubitaretur, placere Deo, vel eſſe capiti grauiter nocitura, ſed ſolùm, poſito, quod certò placeret Deo, eique eſſet grata; nam, quando agitur de obligatione inducendà, facienda eſt ſtricta interpretatio; *c. 1. de iureiur. in 6. & L. quidquid adſtringendæ: ff. de verb. oblig.* ita vt actus obligatorius cenſeatur obligare ad minimum, quod poteſt, vt operanti ſit minus onerosus, quam fieri poſſit: Cum ergo votum cenſeatur ſufficienter obligare, ſi obliget ſolùm ad materiam certò gratam Deo, dicendum eſt non obligare ad materiam dubiam, qualis eſt lectio, habens annexum periculum grauis nocumenti capitis, vel ſaltem dubium.

8 Secundò; Quia exponere ſe periculo nocumenti grauis, Deo placere non poteſt; ergo neque ei placere poteſt lectio, habens annexum hoc periculum, ideoque eſſe non potuit materia voti; hæc enim eſſe debet, res Deo grata; ergo Titius, cum eo dubio, lectionem omittens, votum non violauit.

9 Tertiò; Quia, qui dubitat de honeſtate materiæ per votum promiſſæ, nec dubium vincere poteſt, formaliter dubitat etiam de ipſo voto; dubitat enim de aliquo, ad voti valorem eſſentialiter requiſito, cum votum eſſentialiter, in materià, honeſtatem requirat; Qui autem dubitat de voto, ac lege, non obligatur, quia tunc tota poſſeſſio ſtat pro libertate. Ergo, qui dubitat de honeſtate materiæ per votum promiſſæ, non obligatur voto: Cû ergo Titius, dubitans, an lectio eſset grauiter capiti nocitura, dubitauerit de honeſtate materiæ per votum promiſſæ, (exponere enim ſe temerè periculo grauis nocumenti; honeſtum non eſt:) dubitauit etiam de voti obligatione; & conſequenter voto non ligabatur.

10 Quartò; Quia Titius, nunquam cenſetur habuiſſe voluntatem ſe obligandi, etiam cum periculo quãuis dubio, grauis damni; talis enim voluntas fuiſſet imprudens, ſicut fuiſſet imprudens, voluntas ſe obligandi ad aliquid, etiam cum ſecum habet annexum periculum, quamuis dubium, peccati; ſed lectio habebat annexum periculum ſaltem dubium damni grauis; ergo Titius non cenſetur, voluiſſe, ad eam ſe obligare, pro eo caſu; ideoque illam omittendo, non fecit contra votum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes in contrarium. Reſp. ad primam; Titiũ nunquam fuiſſe certum de voto, pro eo caſu; imò, cum dubitauerit de materiæ honeſtate, conſequenter dubitauit de ipſo voto; In dubio autem voti, votum non obligat, & tota poſſeſſio ſtat pro libertate, quę eſt certa.

12 Ad ſecundam Reſp; Votum, cum ſit actus obligatorius, ideoque ſtrictè interpretandus, non obligare, niſi quando conſtat, materiam eſſe Deo gratam, ſiue Deum tale votum acceptare; Ergo, eo ipſo, quod hoc non conſtat, votum non obligat; neque datur obligatio tunc Prælatum adeundi pro diſpenſatione; nam hæc datur ſolùm, quando datur obligatio; cum diſpenſatio, illam ſupponat.

13 Ad tertiam Reſp. Titium vouiſſe lectionem, ſolum, poſito, quod certò eſſet Deo grata, non verò etiam poſito, quod de hoc eſſet dubium; fuiſſet enim voluntas imprudens. Ergo, eo ipſo, quod Titio non conſtabat, lectionem, in illis circunſtantijs, eſſe Deo gratam, ex vi voti, ad illam non tenebatur, & conſequenter, neque hoc inquirere à Prælato.

COROLLARIVM.

14 Colligitur ex dictis; quæ dicta ſunt, valere non ſolùm in caſu dubij, ſed etiam in caſu opinionis probabilis pro vtraque parte de honeſtate materiæ, & periculo nocumenti, lectioni annexo; ſemper enim, quando ſunt duæ opiniones probabiles, fas eſt vnicuique, quamlibet amplecti, ſiue opiniones ſint ſpeculatiuæ, ſiue practicę, modo explicato. *Sanch. lib.4. ſum. c.6. num.* 5.

QVAESTIO XVII.

An conſcientia ſpeculatiuè dubia, reddat votum irritabile.

CASVS.

1 QVAMVIS Titius certò ſciret, ſe votum quoddam emiſiſſe, dubitauit tamen, an illud, ante pubertatem, an poſt eam, emiſerit; omnique adhibità diligentià, certificari de hoc non potuit; Quæritur, an huiuſmodi votum irritari poſſit à Patre.

SVMMARIVM.

3 *Votum, in dubio pubertatis, non videtur, à Patre irritabile.*

5 *Sicut, nec contractus, in dubio minoritatis.*

6 *Voti irritatio, & reſciſſio contra-*

tractus, ſunt fauor ætatis.

9 *Verè tamen votum, in eo dubio, eſt, à Patre irritabile.*

10 *Poteſtas irritandi, in Patre, poſſidet.*

11 *Impuber, non eſt dominus ſuæ voluntatis, ſed pater.*

12 *Sicut, nec ſeruus ſuæ, ſed Dominus.*

13 *Cum duæ poſſeſſiones concurrunt, antiquior præualet.*

14 *Votum poſſidet, reſpectu Filij, ſed non reſpectu Patris.*

15 *Valor irritationis, in poteſtate Patris fundatur.*

16 *Hæc, vt potè, antiquior, præualet voto.*

17 *Dubium de Filij ætate, non trahit dubium de Patris poteſtate.*

18 *Habilitas ad Sacerdotium, eſt fauor ætatis.*

19 *A fortiori, votum irritari poteſt, cum datur iudicium probabile de Filij impubertate.*

20 *Poteſtas irritandi, ſe extendit etiam, ad tempus antecedens.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis circumſtantia dubia, voti certi, à voti obligatione non eximat; adhuc tamen remanet difficultas; an ſaltem circumſtantia dubia temporis, in quo votum eſt emiſſum, illud reddere poſſit irritabile. Et pro parte quidem negatiuâ ſunt. *Salas* 1. 2. *tom.* 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *d.* 1. *ſ.* 25. *n.* 261. *Nau c.* 12. *n.* 64. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 71. *Sylueſter v. votum* 4. *quæſt.* 2.

3 Primò; Quia voti obligatio, cum ſit certa, poſſidet, ſicut poſſidet præcepti obligatio, quando eſt certa; poteſtas autem irritandi, eſt dubia, ſicut eſt dubia, excuſatio præcepti, Ergo, ſicut, qui dubitat de excuſatione præcepti, non excuſatur; ita, qui dubitat de poteſtate, vota irritandi, ea irritare non poteſt.

4 Secundò; Quia, cum votum ſit certum, & irritatio ſit dubia, Filius, per irritationem, acquirere non poteſt poſſeſſionem ſuæ libertatis; Ergo manet obligatus, ſicut antea, donec conſtet de poteſtate irritandi, & de valore irritationis.

5 Tertiò, Quia qui dubitat, an cõtractum inierit, tempore minoritatis, petere non poteſt reſciſſionem contractus, niſi probet, fuiſſe celebratum, tempore minoritatis; Ergo etiam, qui dubitat, an votum emiſerit, tempore impubertatis, petere non poteſt irritationem, niſi conſtet, tempore impubertatis, fuiſſe emiſſum: Ideo enim, dubitans, an contractum celebrauerit, tempore minoritatis, petere non poteſt reſciſſionem contractus, quia, per illum contractum, alteri contrahenti acquiſitum eſt ius, quo, in dubio, ſpoliari non debet per reſciſſionem contractus; ſed etiam, per votum, cum ſit contractus quidam cum Deo, acquiſitum eſt Deo ius, quo ſpoliari, in dubio, non debet, per irritationem; Ergo, ſicut dubius de minoritate, petere non poteſt reſciſſionem contractus, ita dubius de impubertate, petere non poterit irritationem voti, & conſequen-

ſequenter, nec pater poterit irritare.

6 Quartò; Quia, ſicut, poſſe reſcindi contractum minoris, eſt fauor illius ætatis, ita poſſe irritari votum impuberis, eſt fauor illius ætatis; Ergo, ſicut in dubio minoritatis, præſumptio iuris eſt contra illam, & pro iure alterius contrahentis certò; ita, in dubio impubertatis, præſumptio, ac poſſeſſio erit contra illam, & pro iure Dei, quod eſt certum.

7 Quintò; Quia, cum poteſtas vota irritandi non ſit abſoluta, ſed limitata ad tempus impubertatis, ſequitur, eo ipſo, quod dubium eſt, de tali ætate, ac tempore, dubium eſſe etiam de poteſtate irritantis; Ergo irritans, nulla priuatur poſſeſſione, quamuis ei hæc poteſtas denegetur; Non enim ei denegatur aliquid certum, ſed dubium. Poſſeſſio autem, ſemper eſt aliquid certum.

8 Sextò; Quia, dubitans, an vigeſimum quartum annum expleuerit, non eſt capax ſacrum Presbyteratus ordinem ſuſpiciendi; Ergo neque dubitans, an tempore impubertatis, votum emiſerit, erit capax irritationis: Non minus enim, ad capacitatem irritationis requiritur tempus determinatum impubertatis, quam ad capacitatem Presbyteratus, requiratur determinatum tempus annorum viginti quatuor; Ergo, ſicut, cum de iſto tempore non conſtat, non datur capacitas ad Sacerdotium, ita, dum non conſtat de tempore impubertatis, non dabitur capacitas ad irritationem.

RESOLVTIO.

9 Reſpond. tamen; poſito Titij dubio, an votum emiſerit tempore pubertatis, poſſe votum illud à Patre irritari. Ita *Suar. to.2. de relig. lib.4. de voto, c.6. num.1. & lib.6. c.6. num.4. Sanch. lib.2. matr. d.41, num.39. & lib:4. ſum. c.32. num.2. Bonac. d. in 2. praec. dec. quæſt. 2. pun.7. §.2. num.21. S.Thom. 2. 2. quæſt.88. art.8. Sotus lib.7. de iuſt. quæſt.3. art.1. Reginaldus lib.18. num.309.*

10 Primo; Quia, Pater habet poſſeſſionem iuris, ne filius, independenter ab eius voluntate, votum emittat; poſſidetque poteſtatem dominatiuam illud irritandi, ſi à filio fuerit emiſſum; Ergo, dum non conſtat de exemptione filij ab hoc dominio, per temporis decurſum, & lapſum ætatis, quà dominium hoc durat; retinere poteſt Pater hanc poteſtatem, nec eſt illà priuandus. Sed, quandiù dubitatur, an Votum fuerit emiſſum, tempore pubertatis, non conſtat de exemtione Titij à Patris dominio; Ergo ſtante hoc dubio, Pater cenſetur retinere poteſtatem, eius vota irritandi, nec eà eſt ſpoliandus; ideoque ea poteſt irritare.

11 Secundò; Quia voluntas impuberis, quoad omnia vota, & minoris, quoad vota realia, non eſt propria ipſius Impuberis, ſed aliena; Eſt enim Patris, & Pater illam poſſidet; Ergo, quandiu non conſtat, eſſe factam propriam ipſius Filij, per lapſum ætatis, remanet aliena,

&

& in Patris poſſeſſione, & conſequenter, in dubio, an per lapſum ætatis, facta ſit propria Filij, melior eſt conditio Patris poſſidentis.

12 Tertiò; Quia, ſi dominus aliquis, ſeruum, eà conditione, poſſideat, vt, tranſacto vigeſimo ætatis anno, euadat liber; in dubio illius ætatis, eius ſerui dominio priuari non poteſt, ſed ſeruo libertatem petenti incumbit onus probandi, ſe illam ætatem expleuiſſe. Ergo eodem modo, cum Pater, Filij voluntatem, vſque ad certam ætatem, poſſideat, quoad vota irritanda; In dubio lapſæ ætatis, hoc dominio priuari non poteſt, ſed ipſi Filio propriam libertatem poſſidere volenti, incumbit onus probandi, quod ætas, ſit lapſa. Stante ergo Titij dubio, poteſt Pater eius vota irritare.

13 Quarto; Quia, quando duæ poſſeſſiones concurrunt, antiquior prçualet, iuxta *reg. qui prior eſt tempore, potior eſt iure, de reg. iuris, in 6.* eo quod obligatio ſuperueniens, priori detrimentum afferre, aut cũ eius præiudicio induci non poſſit; Vnde ſeruus, qui abſque Domini licentià matrimonium contrahit, tenetur potius Domino obſequium, quàm vxori debitum reddere, quando vtrique ſatisfacere nequit; quia poſſeſſio Domini in corpus ſerui, tanquam antiquior præferenda eſt poſſeſſioni vxoris in idem corpus. Sed poſſeſſio Patris in voluntatem Filij, eſt antiquior, poſſeſſione voti in eandem voluntatem; illa enim eſt acquiſita à Filij natiuitate, hæc verò ſolum, poſt votum emiſſum; Ergo, quamuis votum, Filij voluntatem poſſideat, præualet tamen poſſeſſio Patris antiquior.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 AD rationes dubitandi; Reſp. ad primam; Votum poſſidere quidem reſpectu voluntatis Vouentis; non tamen reſpectu Patris; Huius enim poſſeſſio tanquam antiquior præualet; imo, cum dubium ſit, an votũ emiſſum ſit, in ætate legitimà, ratione cuius non pendeat à Patris conſenſu, eſt etiam dubium, an firmiter obliget, & independenter à Patris voluntate; ideoque, neque reſpectu Vouentis, eſt certum quoad firmitatem obligandi, & conſequenter, neque quoad hoc, poſſidet reſpectu ipſius Vouentis; in caſu autem præcepti, nulla datur poſſeſſio pro libertate, ſed tota eſt pro præcepto; vnde eius inſtantia, non militat contra caſum præſentem.

15 Ad ſecundam Reſp. Valorem irritationis, eſſe moraliter certum, quia pro eo ſtat poſſeſſio, ideoque per irritationem, Filium acquirere poſſe poſſeſſionem ſuæ libertatis; valor enim irritationis non fundatur in poſſeſſione libertatis, quam habet Filius, ſed in poſſeſſione, quam Pater habet eiuſdem libertatis in ordine ad vota, quæ fortior eſt poſſeſſione voti, cum ſit antiquior.

16 Ad tertiam, & quartam Reſp. Rationem diſparitatis eſſe, quia per contractum, comparatum eſt ius alteri contrahenti, quòd, cum ſit certum, poſſidet, & in eà poſſeſſione eſt

eſt vnicum, nec cum eo datur alia poſſeſſio præualens. At ex voto, comparatum quidem eſt ius Deo, quod cum ſit certum reſpectu voluntatis Vouentis, reſpectu illius poſsidet; quia tamen in eà poſſeſſione non eſt ſolùm, ſed cum eo concurrit poſſeſsio Patris antiquior; hinc eſt, vt huic præualere non poſſit, nec illi detrimentum afferre, & conſequenter, quod hæc ſemper maneat in ſuà poſſeſſione irritandi, donec conſtet de Filij exemptione ab eius poteſtate per lapſum debitæ ætatis. Præterea, cum habilitas ad reſciſſionem contractus ſit fauor ſolius ætatis minoris, non eſt mirum, ſi volens eo priuilegio gaudere, & à communi contractuum lege eximi, minorem ætatem probare debeat; at habilitas ad votorum irritationem, non eſt fauor ſolius ætatis impuberis, vel ſubditi, ſed etiam Patris, ac Superioris, cum Superior, ſubditorum vota irritare poſſit, etiam ipſis inuitis, vt fusè probat *Suar. tom. 2. de relig. lib. 1. de voto c. 1.* imò aliquando non eſt in fauorem ſubditi, ſed vt vitetur damnum Superioris, vt patet in poteſtate irritandi vota ſeruorum; Ergo Filio, vt eius votum ſit capax irritationis, non incumbit onus ſuam impubertatem probandi; hæc enim oritur ex poſſeſſione poteſtatis irritandi, quam habet Pater antecedenter ad votum, quà, in dubio impubertatis, ſpoliari non poteſt.

17 Ad quintam Reſp; Ex dubio ætatis, non oriri dubium de poteſtate Superioris ad irritandum; hæc enim eſt certa, quia fundatur in certà poſſeſſione quam Superior habet, ne ſubditus independenter ab ipſius voluntate poſſit ſe voto adſtringere, quæ poſſeſſio antiquior eſt poſſeſſione voti; ſicut ex dubio, an res, quam quis poſſidet, ſit ſua, non oritur dubium, an poſſit illà vti; hoc enim, ratione certæ poſſeſſionis, eſt certum; Sicut ergo priuaretur poſſeſſor rei poſſeſſione certà, ſi ei, in dubio, denegaretur poteſtas, illà vtendi; ita priuaretur Pater poſſeſſione ſuæ poteſtatis ad irritandum, ſi ei hæc poteſtas denegaretur.

18 Ad ſextam Reſp. Habilitatem ad Sacerdotium, eſſe fauorem illi ætati conceſſum, ideoque non mirum, ſi eo gaudere volenti incumbat onus, ætatem illam probandi, & certa illa ætas requiratur; at habilitas ad votorum irritationem, non tam eſt fauor ætatis impuberis, vel ſubditi, quam ius exiſtens in Patre, vel Superiore ad irritandum; ideoque Filio, ad huius irritationis capacitatem, probandam non eſſe impubertatem, ſed ſemper in eo præſumi, quandiu non probatur fluxus ætatis, quia in eo præſumitur, quandiu præſumitur in Patre poteſtas irritandi, cum hæc duo ſint correlatiua; poteſtas autem ad irritandum, in Patre ſemper præſumitur, quandiu non probatur in Filio exemptio per fluxum ætatis.

COROLLARIA.

19 Colligitur ex dictis primò; Poſſe Patrem, vota Filij irritare, non ſolùm quandò dubitat, an ea tem-

tempore impubertatis, emiſerit, ſed etiam quando de hoc habet opinionem probabilem, dummodo non habeat moralem certitudinem; quia propter hanc opinionem probabilem; Pater non priuatur poteſtate, ac poſſeſſione, quam habet; ſequi enim adhuc poteſt opinionem probabilem oppoſitam; ſicut, quamuis coniux haberet opinionem probabilem de nullitate matrimonii, non propterea alteri teneretur negare debitum, nec ſpoliare illum probabili poſſeſſione, quam habet, ſed ſequi poſſet opinionem probabilem oppoſitam.

20 Secundò; Idem dicendum eſſe, quando dubium, eſt circa tempus non ſubſequens ſubiectionem, vt in caſu impuberis, ſed eam antecedens; vt ſi vxor dubitet, an ante matrimonium, votum emiſerit; aut ſeruus, qui aliquando fuit liber, an tempore libertatis; & pupillus, qui aliquando caruit tutore, & minor, qui aliquando caruit curatore; an tempore ſubiectionis, an verò tempore, quo ſui iuris erant, votum emiſerint; Quia poſſeſſio præſens, quam habet Superior de voluntate ſubditi, eſt certa, cum certum ſit, illum eſſe ſeruum, aut minorem, & illam vxorem &c. At exemptio quo ad illa vota, eſt dubia; vnde dubia eſt etiam, vel ſaltem ſub opinione, votorum poſſeſſio quoad eorum independentiam à conſenſu Superioris; Hæc autem non ſufficit ad ſpoliandum Superiorem certâ poſſeſſione, quam habet.

QVAESTIO XVIII.

An ignorantia excuſet à culpâ, & à pœnâ.

CASVS.

1 EPISCOPVS Smirnenſis, iuſtis de cauſis, blaſphemiã ſub excommunicatione prohibuerat. Cum autem, poſt annum, Ciuis quidam Cartaginenſis, illuc appuliſſet; & poſito ibi domicilio, Ciuem Smirnenſem in matrimonium duxiſſet, die quadam, (quia blaſphemandi habitum iam contraxerat) inter ludendum; Epiſcopi ſtatutum inuincibiliter ignorans; ſæpius blaſphemauit. Quæritur; Vtrum in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Ignorantiæ notitia, cur neceſſaria.*
8 *Ignorantia quid,*
9 *Quotuplex ſit, in ordine ad varios terminos conſiderata.*
10 *Ignorantia concomitans, quam diſpoſitionem includat ad actũ ignoratum.*
11 *Ignorantia inuincibilis, etiam concomitans, excuſat à culpâ.*
14 *In quo ſenſu, non excuſet.*
15 *Excuſat etiam à Pœnâ.*
18 *Reddit actum non voluntarium.*
20 *Quando cenſeatur reddere voluntarium.*
22 *Cur, in Foro externo, Ignorantia facti, ſed non iuris, excuſet.*
23 *Ignorantia inuincibilis excuſat etiam à ſuſpenſione.*
24 *Et ab Irregularitate.*
25 *Et à Reſeruatione.*
26 *Impedit actus nullitatem, quando hæc, eſt pœna.*
27 *Excuſat etiam ab alijs pœnis.*
29 *Non ſolum Ignorantia iuris, ſed etiam facti, excuſat.*
30 *Nec ſolum Antecedens, ſed etiam Concomitans.*
31 *Imo etiam venialiter vincibilis.*
32 *Vincibilis tamen mortaliter, non excuſat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm, Conſcientia dubia, eſſentialiter ſupponat ignorantiam rei, de quâ dubitatur; & ignorantia opponatur libertati, quæ ad honeſtatem operationis neceſſariò requiritur: Vt legis internæ limites cognoſcamus, ac veluti proprium Territorium, ſciamuſque, quouſque in noſtris operationibus dirigendis, conſcientiæ regula ſe extendat; etiam ignorantiæ notitia neceſſaria eſt; cum hæc, aliquando, excuſet & à culpâ, & à pœnâ, & actuum valorem impediat.

3 Videtur ergo Ciuis Cartaginenſis, in excommunicationem incidiſſe. Ita *Couar. c. Alma Mater. 1. par. §.10. num.9. Aluarez 1. 2. diſp.158. num.5. Comitolus lib. 5. Reſp. mor. quæſt. 3. Graff. 1. par. deciſ. lib.4. c.9. num. 42. Rodrig. tom.1. cap.80. n.11. concl.11.*

4 Primò, quia Ciuis ignorantia, ex circumſtantijs, videtur fuiſſe non antecedens, ſed concomitans; Cum enim blaſphemandi habitum haberet, videbatur ad blaſphemandum paratus, etiam ſi Epiſcopi legem cognouiſſet. Hæc autem ignorantia; cum actum non reddat inuoluntarium, nec excuſare videtur à culpâ, & conſequenter nec à pœnâ.

5 Secundò; Quia, rei illicitæ vacans, conſenſum præſtare cenſetur etiam ijs, quæ præter eius intentionem ſequuntur, *ex c. fin. de homic. in 6.* Vbi, Iubens, aliquem verberari, cauens, ne occidatur, irregularis aſſeritur, ſi Mandatarius, fines mandati excedens, illum occidat. Sed Ciuis, quamuis Epiſcopi ſtatutum ignorans, actionem illicitam poſuit, nempe blaſphemiam. Ergo

cen-

cenſetur etiam, in eius ſpecialem malitiam; contra Epiſcopi ſtatutũ, conſenſiſſe; Ideoque ſtatuti quamuis à ſe ignorati, pœnas incurrit.

6 Tertiò; Quia, *in c. cum illorum: de ſent. excom.* ſtatuitur, diſpenſari poſſe, in irregularitate, cum quibuſdam excommunicatis, qui iuris ignari, ad Ordines ſe promoueri curarunt. Ergo ignorantia iuris humani, ab irregularitatis pœnà nõ excuſat; Ideoque, nec ab excommunicatione, Ciuem excuſauit.

7 Quartò; Quia, *ex reg. Ignorantia. 13. de reg. iuris in 6.* Ignorantia facti, non verò iuris, excuſat. Ciuis autem ignorantia, non fuit facti, ſed iuris. Neque hoc, intelligi poteſt, de ignorantià vincibili; Nam hæc, etiam facti, non excuſat.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò; Nomine ignorantię, intelligi aliquando, carentiam ſcientiæ in ſubiecto, quod illam, nec habere debet, nec poteſt; in quo ſenſu, dicitur, eſſe in Infantibus, ac Amentibus. Aliquando, carentiam ſcientiæ in ſubiecto, quod illam, habere quidem poteſt, ſed non debet; In quo ſenſu, Muſicus ignorare dicitur Artem ædificatoriam, quia licet illam ſcire poſſit, non tamen debet. Aliquando, carentiam ſcientiæ in ſubiecto, quod illam habere poteſt, ac debet; in quo ſenſu, qui neſcit ea, quæ ad eius officium, ac munus ſpectant, ea dicitur ignorare. Aliquando denique, errorem, ſcientiæ oppoſitum; vt, ſi quis, non ſolùm neſciret, contractum vſurarium eſſe illicitum, ſed putaret, eſſe licitum. Primæ tres ignorantiæ, dicuntur negatiuæ; quia conſiſtunt in mera negatione, ſiue priuatione ſcientiæ. Quarta verò, dicitur poſitiua; quia, præter ſcientiæ negationem, continet etiam actum poſitiuum erroris.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Quamlibet ex his ignorantijs, conſiderari poſſe, vel in ordine ad rem ignoratam; vel in ordine ad Voluntatem; vel in ordine ad eius actum; Primò modo conſiderata; diuiditur in ignorantiam iuris, & facti. Ignorantia iuris; eſt ignorantia legis, ſiue præcepti, aut conſuetudinis, aliquid præcipientis, vel prohibentis; Vt, cum quis ignorat præceptum, de bonis Naufragantium non ſurripiendis. Ignorantia facti; eſt ignorantia ipſius rei prohibitæ, vel pręceptę; Vt, cum quis carnes comedit, ignorans, eſſe diem Veneris. Secundo modo conſiderata; diuiditur in inuincibilem, ac vincibilem. Inuincibilis, eſt, quę expelli à nobis, vel non poteſt; Vt, cum de iure, vel facto, nulla nobis occurrit cogitatio, aut principium dubitandi; tunc enim voluntas, cum ſit potentia cęca, moueri non poteſt ad inquirendum. Vel non debet; Vt ſi, dum aliqua nobis occurrit cogitatio; ad eam ignorantiã tollendã, adhibita ſit diligentia, quę pro qualitate Rei, Præcepti, ac Perſonæ iudicari poterat moraliter ſufficiẽs; Poſità enim hac diligentia, ſi adhuc non tollitur; iam eam tollere, nobis

bis

bis eſt moraliter impoſſibile. Vincibilis eſt; quæ tolli à nobis poteſt, & debet. Vt, cum de iure, vel facto occurrit nobis dubitatio, & inquirere poſſumus. Tertio modo conſiderata; diuiditur in antecedentem, concomitantē, & conſequentē. Ignorantia antecedens, dicitur illa, quæ eſt cauſa actus; qui fit; ita vt, ſi illa non eſſet, actus, non fieret; Vt, cum quis, carnes comedit die Veneris, quia ignorat, eſſe diem Veneris, aliàs non comeſturus, ſi ſciret. Concomitans verò, eſt; quæ ita eſt coniuncta cum actu, vt, quamuis ipſa non eſſet, adhuc fieret actus; Vnde per accidens ſolùm, eſt coniuncta cum actu; Vt, cum quis ita carnes comedit, ignorans eſſe diem Veneris, vt tamen eas adhuc, eodem modo comederet, ſi ſciret. Conſequens denique, eſt; quæ aliquo modo, vel directè, vel indirectè, nobis eſt voluntaria.

10 Aduertendum eſt tertiò; Eum, qui, ex ignorantià concomitante, operatur, tripliciter poſſe eſſe diſpoſitum ad actum ignoratum. Primò habitualiter tantum, ſiue in causà, & in radice; Vt, cum quis, ita carnes comedit die Veneris, vt, ſi ſciret, eſſe diem Veneris, ex vi diſpoſitionis, quam habet, eas adhuc vellet comedere, de facto tamen hanc voluntatem non habet. Atque hic, carnes ſic comedendo, nullatenus peccat, quia diſpoſitio, ſolùm per modum habitus, non eſt culpa. Secundò poteſt ad illum eſſe diſpoſitus actualiter, ſiue per actum conditionatum; Vt, ſi; dum carnes, cum eà ignorantià comedit, dicat; *Vellem eas comedere, etiam ſi eſſet dies Veneris*; vel, *Vtinam eſſet dies Veneris*. Et tunc, actus iſti, ſunt quidem peccatum mortale, ſed tamen merè internum; in eam enim comeſtionem, nihil influunt; Cum hæc, ex illo affectu, oriri non poſſit, eo quod, dies Veneris omnino ignoretur. Tertiò denique poteſt Operans, ad actum ignoratum, eſſe actu diſpoſitus, per actum abſolutum, quo dicat; *Volo carnes comedere, ſiue ſit, ſiue non ſit dies Veneris*. Et tunc, non ſolùm actus internus, ſed etiam externa comeſtio, eſt contra Eccleſiæ præceptum. Quamuis enim, Operans, inuincibiliter ignoret, eſſe diem Veneris; Actu tamen cogitat de carnium comeſtione die Veneris, eamque vult ſaltem indeterminatè. Hoc autem ſufficit, vt comeſtio, etiam ex illo affectu intelligatur procedere: Sicut enim, dum quis Filium Inimici inuincibiliter ignoratum baptizat, cum intentione baptizandi Infantem præſentem, quicumque ſit; Intentio illa, influit in baptiſmum, & ad eius valorem ſufficit; Ita, dum quis, inuincibiliter ignorans, eſſe diem Veneris, vult abſolutè carnes comedere, ſiue ſit, ſiue non ſit dies Veneris; voluntas iſta, influit in carnium comeſtionem, & ſufficit, vt illa comeſtio, ſit contra Eccleſiæ præceptum. His poſitis.

RESOLVTIO I.

11 AD Caſum reſpondetur primò; Ciuem Cartaginenſem, per blaſphemiam, peccaſſe quidem, con-

contra ſecundum Decalogi præceptum; ſed non contra Epiſcopi ſtatutum. Ita *Silueſter v. ignorantia. num.15. Sotus in 4. diſt. 22. quæſt.1. ar. 2. Nau. c. 27. ſum. num.16. & 274. Suar. tom.5. in 3. par. diſp.4. Sec.8. n. 20. Sanch. lib.9. matr. diſp 32. num.9. Et in ſum. lib.1. c.12. num. 13. Valentia par.3. diſp.7. quæſt. 17. pun.7. Molina tom. 4. de iuſt. tract. 5. diſp.71. num.9. Tolet. Sum. lib.1. c.8. Salas 1. 2. tract. 13. diſp. 8. ſect.10. Azor. tom.1. lib.1. c. 15. quæſt.3. Sayr. de Cenſ. lib.5. c.18. num. 24. Vgolin. de Cenſ. tab. 1. c.9. §.8. num. 10. Henriquez lib. 13. de excom. c.23. num.2. Graſſius tom.1. deciſ. lib.4. c.9. nu.16. Vaſq. 1. 2. diſp.125. c.2. & 3. Bonacina de cenſ. d.1. quæſt.2. punct. num.7. Filliuc. tr.11. c.8. qu. 10.* & alij communiter.

12 Probatur primò; Quia, Ciuis Cartaginenſis, Epiſcopi ſtatutum inuincibiliter ignorabat, ſaltem ignorantià concomitante; vt ex blaſphemandi habitu, & ex circunſtantijs, colligitur. Ergo contra Epiſcopi ſtatutum peccare non potuit; Ad peccatum enim neceſſariò requiritur, vt aliquo modo ſit voluntarium; Ignorantia verò concomitans inuincibilis, licet non reddat actum inuoluntarium, ſicut reddit ignorantia antecedens, reddit tamen non voluntarium.

13 Secundò; Quia, impoſſibile eſt, peccare, quando Conſcientia inuincibiliter dictat, actionem non eſſe illicitam; Conſcientia enim, eſt proxima regula bonitatis, & malitiæ noſtrorum actuum; Sed, poſità ignorantià inuincibili concomitante prohibitionis Epiſcopi, Conſcientia, Ciui Cartaginenſi inuincibiliter dictabat, blaſphemiam habere ſolùm malitiam contra ſecundum Decalogi præceptum, non verò contra Epiſcopi ſtatutum; De hoc enim, cum inuincibiliter ignoraretur, nihil dictare poterat. Ergo Ciuis Cartaginenſis, blaſphemando, peccauit ſolùm contra ſecundum Decalogi præceptum, & non contra Epiſcopi ſtatutum.

14 Neque obſtat *D. Thomas 1. 2. quæſt.76. ar.3.* vbi dicit; ignorantiam concomitantem, à peccato non excuſare. Nam, vel S. Doctor loquitur ibi de ignorantià concomitante ſecundum ſe, & pro vt abſtrahit à vincibili, & inuincibili; & ſic, quemadmodum neque eſt voluntaria, neque inuoluntaria, ita neque accuſat, neque excuſat; vel, ſi loquitur de ignorantià concomitante inuincibili, adhuc de hac verificatur, quod operantem omnino à peccato non excuſet circa obiectum ignoratum, cum ſit talis naturæ, vt ſimul cum eà, eſſe poſſit affectus peccaminoſus circa obiectum ignoratum, vt dictum eſt ſupra; Qui affectus, cum ignorantià inuincibili antecedente, eſſe non poteſt. Ita *Vaſquez & Sanchez locis citatis.*

RESOLVTIO II.

15 Reſpondetur ſecundò; Ciuem Cartaginenſem, in excommunicationem non incidiſſe. Ita

Doctores omnes ſupra citati, & alij communiter.

16 Probatur primò; Quia; pœna non incurritur abſque culpà; & quantitas pœnæ proportionari debet quantitati culpæ; *ex c. felicis; de pœn. in 6. & c. 2. in fine, de his quæ fiunt à mai. par. Capit.* Sed Ciuis Cartaginenſis, Epiſcopi Smirnenſis legem inuincibiliter ignorans, blaſphemando, offendit tantum, ius Diuinum, contra quod, ſe agere cognoſcebat; non verò ius poſitiuum Epiſcopi; Cum illud inuincibiliter ignoraret. Ergo ſolius prioris iuris pœnas incurrit, non verò excommunicationem, quæ eſt pœna, per legem Epiſcopalem, impoſità.

17 Secundò; Quia, *in c. Vt animarum; de Conſt. in 6.* expreſsè decernitur; ſententijs, per ſtatuta Ordinariorum prolatis, non ligari ignorantes, quamuis ſententiæ ſint latæ pro facto, etiam iure naturæ damnato; quale eſt furtum; Vt ex ipſo tex. patet. Cum ergo Ciuis Cartaginenſis, Epiſcopi legem inuincibiliter ignorauerit, eius ſententià ligari non potuit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

18 Neque obſtant rationes, ſuperius in contrarium adductæ. Nam ad primam Reſp. Ignorantiam concomitantem, licet non reddat actionem inuoluntariam, illam tamen reddere non voluntariam; Cũ enim omnino ignoretur, nullo modo, neque directè, neque indirectè, poteſt eſſe volita. Hoc autem ſufficit, vt excuſet à culpà, cum hæc, neceſſariò debeat eſſe libera, ac voluntaria, vt ſit imputabilis.

19 Ad ſecundam; Reſpondetur primò; *cum Suar. tom. 5. d. 45. ſec. 6. num.* 10. hoc eſſe peculiare, in eo caſu; quia in iure, eſt expreſſum. Ad alias tamen pœnas, imo neque ad alias irregularitates extendendum non eſſe, quia materia eſt odioſa.

20 Reſpondetur ſecundò; *cum Sanchez lib. 9. matr. d. 32. num.* 10. Dantem operam rei illicitæ, cenſeri conſenſum præſtare etiam ijs, quæ præter eius intentionem ſequuntur, quando hæc præuideri ab illo debebant, ideoque fuerunt culpabiliter ignorata; Vt contingit in caſu ipſius textus; Mandans enim ea præuidere debebat, & cogitare, quod poſſent euenire. Reſpectu autem Ciuis Cartaginenſis, non dabatur hæc obligatio; alioquin non fuiſſet ignorantia concomitans; ſed conſequens, & aliquo modo voluntaria.

21 Ad tertiam Reſpondetur; Pontificem, ibi loqui de ignorantià vincibili, ac culpabili; æquè enim loquitur de ignorantià iuris, ac facti. Certum eſt autem, ignorantiam facti, ſi ſit omnino inuincibilis, excuſare à culpà.

22 Ad quartam Reſpondetur; Eam regulam, non valere in Foro Conſcientiæ; Vtraque enim ignorantia, cum eſt inuincibilis, excuſat à culpà; & neutra, cum eſt vincibilis. Valet ergo ſolùm, pro Foro externo; quia in hoc, iuris ignorantia non præſumitur, ſicut præſu-

mi-

mitur ignorantia facti; Eo enim ipſo, quod leges, ſolemni ritu ſunt promulgatæ, earum diſpoſitionem, ſcire; omnes tenentur; Ideoque, eam ignorare, eſt culpa lata. *L. lata culpa ff. de verb. ſignif.* Cum ergo, delictum non præſumatur; *ex L merito. ff. pro Soc.* Hinc eſt, vt neque præſumatur ignorantia iuris. *L. Leges Sacratiſſ. & L. fin. Cod. de legibus.* Et conſequenter; quod regulariter, in Foro externo, non excuſet à culpà.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò; Ignorantiam inuincibilem cõcomitantem; & à fortiori, etiam antecedentem, excuſare, non ſolum à pœna Excommunicationis. ſed etiam à pœnà Suſpenſionis, & Interdicti, quamuis ſit impoſita pro facto, iure naturali damnato: Quia pœna, nunquam incurritur abſque culpà. Vbi autem datur ignorantia inuincibilis, ſiue antecedens, ſiue concomitans, impoſſibile eſt, dari culpam, cum impoſſibile ſit dari voluntarium, quod, ad culpam, neceſſariò requiritur. *Nauar. c.23. ſum. num.47.*

24 Secundò; Eandem ignorantiam, excuſare etiam ab Irregularitate, quæ, in puram delicti pœnam, imponitur: Eadem enim militat ratio; quod ſcilicet, pœna, abſque culpà, non incurratur. Hinc fit, vt celebrans in ſtatu excommunicationis, non fiat irregularis, ſi Ius, eam irregularitatem imponens, inuincibiliter ignoret. Quod autem dictum eſt de ignorantià inuincibili, intelligendum eſt etiam de inaduertentià, ac obliuione inuincibili. *Reginald. lib.30. c.2. num.15.*

25 Tertiò; Inuincibiliter ignorantem, Conſtitutionem aliquam nouam, in qua alicuius peccati reſeruatur abſolutio; Vt ſeruauit Sixtus V. malè promotorum ad ordines: eam reſeruationem non incurrere; Quamuis enim, ſe peccare cognoſcat, non tamen contra conſtitutionem, cum eã inuincibiliter ignoret. Ergo incurrere non poteſt reſeruationem, quæ eſt pœna, per illam conſtitutionem impoſita. *Sanchez lib. 9. matr. diſ. 32. num. 8.*

26 Quartò; Actus irritationem, quãdo eſt impoſita in pęnam delicti, non incurri ab ijs, qui legem, eam imponentem, inuincibiliter ignorant. Tum quia, cum actus irritatio, ſit pęna, eſt conſequenter effectus culpæ, ac delicti. Sed, ob ignorantiam inuincibilem, ceſſat culpa, ac delictum. Ergo ceſſare debet etiam actus irritatio, quæ pęna quædam eſt; vt ſupponitur. Tum quia, ceſſante, ob ignorantiam inuincibilem, culpà, ceſſant aliæ pęnæ. Ergo ceſſare debet etiam actus irritatio; cum non ſit maior ratio iſtius, quam aliarum. Tum denique, quia, qui, ex obliuione inuincibili, officium omittit, facit fructus ſuos, non obſtante lege pęnali, contra non recitantes, latà, fructuum acquiſitionem irritante; quia, ratione illius obliuionis, non peccat; Ergo, quoties dabitur ignorantia, vel obliuio inuincibi-

lis, ceſſabit actus irritatio, quando hæc, in pęnam, eſt impoſita, *Suar. lib.5. de legibus c.22. num.3.*

27 Quintò; Coniugem, qui alterius Coniugis Conſanguineã cognouit, vel Filium communem, in Baptiſmo tenuit, inuincibiliter ignorans, hæc, ſpecialiter, per legem Eccleſiaſticam, eſſe prohibita; non incurrere priuationem petitionis debiti, quę, per eam legem imponitur; Quia ignorantia inuincibilis iuris, ſicut excuſat à culpâ, ita excuſat à pęna, eo iure, impoſitâ; quamuis factum, alias ſit iure naturali, vel diuino, damnatum; vt probatum eſt ſupra. Sed priuatio debiti, eſt pœna, per legem Eccleſiaſticam, impoſita. Ergo non incurritur ab eo, qui legem illam inuincibiliter ignorat; Sicut enim non delinquit in legem, ita nec à lege puniri debet. *Nauar. c.16. ſum. num.34.*

28 Sexto; Eum, qui ſibi certam pęnam, per Votum, impoſuit, ſi delictum aliquod commiſerit; V. G. dare decem aureos in eleemoſynam, ſi fornicatus fuerit; Non teneri ad pęnam ſoluendam, ſi Voti inuincibiliter immemor, delictum illud committat: Quia pęna, iure nouo impoſita, etiam pro facto, alias, iure naturali, damnato, non incurritur ab eo, qui ius illud inuincibiliter ignorat. Sed Votum obligat, ad modum legis; Eſt enim quædam, veluti lex priuata, quam homo, circa materiam promiſſam, ſibi ſponte imponit. Ergo, quando inuincibiliter ignoratur, vel de eo datur obliuio inuincibilis, non incurritur pęna, ab eo ſtatuta; Tunc enim non violatur. *Sanch. lib. 4. ſum. cap.22. num.18.*

29 Septimò; Etiam ignorantiam inuincibilem facti, excuſare à pęnâ, illi facto, per legem, impoſitâ; Quia hæc etiam excuſat à culpâ; pęna autem non incurritur abſque culpâ. Idemque valet etiam de ignorantiâ inuincibili qualitatis culpæ, vel facti. Si quis enim Clericum percutiat, inuincibiliter ignorans, eſſe Clericum, excommunicationem non incurrit. *ex c. ſi verò: il 2. de ſent. excom.* Quia ignorantia illa ſtatus Clericalis, percuſſionem excuſat à culpâ Sacrilegij. Ergo etiã à pęnâ excommunicationis, propter illam culpam, impoſitâ, *Sayrus de Cenſ. lib.1. c.18. num.19.*

30 Octauò; Ignorantiam inuincibilem facti, excuſare à pęnâ iuris, non ſolùm, quando eſt antecedens, ſed etiam quando eſt concomitans; Quamuis enim, cum ignorantiâ concomitante, ſtare poſſit, circa obiectũ ignoratũ, prauus affectus, non ſolùm habitualis, ſed etiam actualis; vt ſi quis Clericum percutiat, inuincibiliter ignorans, eſſe Clericum, ita tamen diſpoſitus, vt illum percuteret, quamuis cognoſceret eſſe Clericum; Ille tamen prauus affectus, non influit in actum externum, nec illum imperat; cum hic, omnino ignoretur; ideoque, nec illi ſuam malitiam communicat; Dum enim quis, Clericum percutit, inuincibiliter putans, eſſe Laicum, illum percuſſurus, etiamſi cognoſceret eſſe Clericum; percuſſio illa, non imperatur à voluntate Clericum percutiendi, cum hic omnino ignoretur;

retur;

retur; ſed à voluntate percutiendi eum, qui putatur Laicus; ideoque nec aliam malitiam habet, præter illam, quæ illi communicatur à voluntate percutiendi Laicum. Hæc autem, illi communicare non poteſt malitiam Sacrilegij ignorati. Quemadmodum ergo, percuſſio illa, caret malitià Sacrilegij, ita carere etiam debet, pęnà impoſità Sacrilegio; pęna enim, abſque culpà, incurri non debet. Ita *Suarez de cenſ. d. 4. ſec. 8. num. 8. Vaſquez 1. 2. diſp. 125. c. 2. Molina tom. 4. de iuſt. tract. 3. diſp. 53. num. 2. Petrus Nauar. lib. 2. de reſt. c. 1. dub. 7. Henriquez lib. 11. de Matrim. c. 10. num. 1. Aluarez 1. 2. diſp. 158. num. 4. Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 32. num. 26.* & alij plurimi apud iſtos.

31 Nonò; Quæ dicta ſunt de ignorantià inuincibili, valere etiam de venialiter tantum vincibili; Quia hæc, licet omnino non excuſet à culpà; excuſat tamen à mortali. Pęna autem grauis, etiam ob culpæ leuitatem, non incurritur; cum debeat eſſe proportionata delicto; Vnde, qui etiam ſcienter, opus prohibitum, cum ſemiplenà ſolùm deliberatione, ac imperfectà aduertentià, faceret, adhuc legis pęnam grauẽ non incurreret; quia hęc eſſet ſupra meritum delicti. *Sanchez lib. 4. c. 22. num. 20.*

32 Decimò; Quæ dicta ſunt de ignorantià inuincibili; non valere de ignorantià mortaliter vincibili; hoc eſt; quæ vinci poteſt, ac debet. Hæc enim, cum, ſaltem indirectè ſit voluntaria, actum prohibitum non excuſat à culpà; & regulariter neque à pœna. Dixi, regulariter; quia, cũ ignorantià vincibilis, *ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 76. a. 4.* minuat voluntarium, & conſequenter culpam, eamque reddat leuiorem, quam, ſi ſcienter admitteretur; plerumque, in iure, non eàdem pęnà punitur, quà culpa ſcienter admiſſa; vt ſic, inter delictum, & pęnam, debita ſeruetur proportio. Qualis autem culpa, ſit, ignorantia vincibilis; melius, ex dicendis, conſtabit.

QVAESTIO XIX.

An Ignorantia Vincibilis ſit peccatum ſpeciale.

CASVS.

1 TRES Confeſſarij, ſcire ea, quæ ad eorum munus ſpectabant, notabiliter neglexerant; Accidit autem, vt, dum Confeſſiones audirent; Primus, ſuum Pœnitentem abſoluerit à Caſu Bullæ Cœnę. Secundus verò, quamuis dubitaret, ſuum ad reſtitutionem non obligauerit, cum teneretur. Tertius denique, ſuum rectè abſoluerit. Queritur; quot peccata ſinguli commiſerint.

SVMMARIVM.

2 *Datur aliqua ignorantia culpabilis.*

3 *Cur videatur culpa diuerſa, à præcepti tranſgreſſione, quam cauſat.*

10 *Ignorantia, ex ſe, non eſt peccatum.*

11 *Præceptum obligans ad ſui obſeruantiam, obligat etiam ad ſui cognitionem.*

12 *Ignorantia, non eſt peccatum diuerſum à peccato tranſgreſſionis.*

13 *Eſt violatio eiuſdem præcepti.*

14 *Actus internus, & externus non ſunt duo peccata.*

15 *Ignorantia, eodem præcepto prohibetur, quo tranſgreſſio.*

16 *Non prohibetur propter ſe, ſed ſolum tanquam occaſio tranſgreſſionis.*

17 *Non ſemper opponitur virtuti ſtudioſitatis.*

18 *Num peccatum, ex ignorantiâ, ſit grauius, quam ſcienter commiſſum.*

20 *Male abſoluens ex ignorantiâ; committit vnum peccatum conſumatum.*

21 *Scientia eorum, quæ ad proprium munus ſpectant, eſt debita ſolum propter opus.*

22 *Obligatio ſciendi præcepta Decalogi, oritur ex duplici Præcepto, credendi, & ſeruandi.*

23 *Virtus ſtudioſitatis, non ſemper ſpecialiter obligat.*

24 *Ex diuerſo modo manifeſtandi peccatum externum, & internum, non rectè infertur, eſſe peccata diuerſa.*

25 *Ebrietas, ex ſe, ſemper eſt contra Temperantiam.*

Igno-

26 *Ignorantia Præcepti, non habet malitiam ab eius tranſgreſſione diuerſam.*

27 *Imo, neque eſt peccatum, ab eâ, diuerſum numero.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Certum eſt, dari aliquam ignorantiam culpabilem. Prima enim *Corint.* 14. dicitur. *Si quis ignorat, ignorabitur, & Pſ.* 24. *ignorantias meas ne memineris.* Et ratio eſt; Quia vnuſquiſque, ea omnia ſcire tenetur, quæ tenetur operari. Ergo ea ignorare, eſt culpa. Quia tamen ignorantia, eſt in ſolo intellectu, ſicut eſt etiam ſcientia oppoſita; peccatum vero, cum neceſſariò eſſe debeat voluntarium, ac liberum, in ſolâ voluntate formaliter reperitur; Hinc eſt, vt peccatum ignorantiæ, præter ipſam ignorantiam, aliquam voluntatis libertatem includere debeat. Hæc autem, eſt, voluntaria negligentia veritatis indagandæ; in quâ propterea, tota culpæ ratio conſiſtit. Quæſtio igitur ſolum eſſe poteſt. An voluntaria hæc negligentia, ac ignorantia, habeat aliquam malitiam diſtinctam à malitia tranſgreſſionis præcepti, quæ ex illâ ignorantiâ procedit, an verò eandem.

3 Aliquibus enim videtur, habere ſpecialem, ac diſtinctam; Ideoque tam Primus, quam Secundus Confeſſarius, videntur plura peccata commiſiſſe. Tertius verò vnum ſolum. Ita *Rodrig. p.* 1. *ſum. c.* 23. *concl.* 7. *Almain. tract.* 1. *mor. c.* 5. *prop.* 2. *Cordub. in qu. quæſt.* 6. *&* 21. *Curiel.* 1. 2. *quæſt.* 76. *d.* 2. §. 4.

4 Probatur autem primò; Quia Primus, & ſecundus Confeſſarius, magis peccarunt, quam Tertius; Sacramentum enim Pœnitentiæ male adminiſtrarunt, quod Tertius non fecit; Sed Tertius peccauit peccato negligentiæ, ac ignorantiæ, ſicut illi; Ergo illi, præter peccatum ignorantiæ, aliud peccatum malæ adminiſtrationis cōmiſerunt, quod Tertius non commiſit.

5 Secundò; Quia negligentia, ſiue ignorantia eorum, quæ ad propriū munus pertinent, non ſolùm eſt mala, quia eſt occaſio munus illud male gerendi; ſed etiam, quia eſt oppoſita ſcientiæ, ratione muneris, ſpecialiter debitæ; Sicut enim ſciētia, ratione muneris, eſt debita, non ſolum in ordine ad operandum, & exequendum, ſed etiam propter ſe, ſiue in ordine ad ſciendum; Ita Ignorantia oppoſita, eſt mala, nō ſolū quatenus opponitur debito, proximū peccandi periculū vitandi, ſed etiam, quatenus opponitur præcisè debito ſciendi; Vnuſquiſque enim tenetur ſcire ea, quæ ad proprium munus pertinent, quamuis non ſemper ea exequi teneatur; Ergo negligentia, ſiue ignorantia eorum, quæ ad proprium munus ſpectant, non vnam tantùm, ſed duas malitias continet, alteram oppoſitam debito exequendi; alteram præcisè oppoſitam debito ſciendi.

6 Tertiò; Quia negligentia, ſiue ignorantia præceptorum Decalogi, non ſolum continet malitiam periculi proximi, Decalogi præceptis oppoſitam, ſed prætere etiā

malitiam ſpecialem contra Fidem; Ergo etiam negligentia, ſiue ignorantia eorum, quæ ad proprium munus pertinent, non ſolum continebit malitiam periculi proximi contra debitum exequendi, ſed etiam aliam malitiam ſpecialiter oppoſitam debito ſciendi; Non ſolum enim tenemur ſcire ea, quæ ad proprium munus pertinent, vt ea ſeruemus, ſed etiam, vt ſciamus; Sicut Decalogi præcepta, non ſolum tenemur credere, vt ſeruemus, ſed etiam ſpecialiter, vt credamus.

7 Quartò; Quia *ex S. Thoma ſecunda ſecundæ, qu.116. art.2. ad tertium*. Inter virtutes morales, datur etiam Virtus Studioſitatis, quæ ſtudium, ſiue appetitũ ſciendi moderatur, ita vt neque excedat, plura ſciendo, quàm oportet; neque deficiat, ſciendo pauciora. Huic autem Virtuti, opponitur negligentia ſciendi ea, quæ ſcire debemus, ſiue deinde ea ſint agenda, ſiue non; hoc enim vitium, contingere poteſt circa materiam omnium virtutum, *vt docet idem S. Thomas art.1. ad primum*; Ergo negligentia ſciendi ea, quæ ad proprium munus pertinent, erit ſpeciale peccatum oppoſitum Studioſitati, diuerſum à malà muneris adminiſtratione, quæ ex tali negligentià ſequitur; Sicut enim in medicinà dulci, præter bonitatem vtilem ad ſanitatem, datur etiam bonitas delectabilis; ità in negligentià ſciendi, quæ ad proprium munus pertinent, præter malitiam occaſionis, ſiue periculi proximi peccandi, eſt etiã malitia ſciendi pauciora, quàm oporteat, quæ malitia Virtuti Studioſitatis opponitur.

8 Quintò; Quia, ſi omnes tres Confeſſarij, vnum tantum peccatum commiſiſſent, illud eodem modo poſſent in Confeſſione aperire. Non poſſunt autem, quia Primus non ſatisfacit dicendo; *Neglexi ſcire ea, quæ ad meum munus ſpectant*; ſicut ſatisfacit Tertius; ſed præterea dicere debet, *Pænitentem malè abſolui*; Hoc enim eſt ſacrilegium, non illud; Signum ergo eſt; Primum, duo peccata diuerſa commiſiſſe, duabus Virtutibus diuerſis oppoſita.

9 Sextò; Quia, ſi quis, in Ebrietate, hominem occidat, cum præuiſione periculi; non ſolùm committit homicidium, ſed præterea etiam peccatum Ebrietatis omnino diuerſum. Ergo eodem modo, qui ex negligentià, ſiue ignorantià culpabili, non ieiunat; non ſolùm peccat contra præceptum ieiunij, ſed etiam peccato ignorantiæ, ſiue negligentiæ.

NOTABILIA.

10 ADuertendum eſt primò. Ignorantiam, ex ſe, non eſſe peccatum, cum, ſcire, non ſit actus Virtutis, ſed Virtutem antecedat. Hinc autem fit, vt nemo ſcire teneatur, præciſè, vt ignorantiam expellat; Cum enim hæc non ſit peccatum, nemo eam per ſe expellere tenetur, ſed ſolùm in ordine ad operandum, ſiue, vt rectè operetur; Sicut enim vnuſquiſque tenetur rectè operari, ita tenetur ſcire ea, quæ ad

ſe-

rectè operandum neceſſaria ſunt; Sic vnuſquiſque ſcire tenetur Ieiunij præceptum, & diem, in quo obligat; quia tenetur ieiunare; Quare, ſcientia præcepti ieiunij, non eſt debita propter ſe, ſed ſolùm propter Ieiunium, ad quod immediate ordinatur.

11 Aduertendum eſt ſecundò; Quæcumque præcepta, ſiue naturalia, ſiue Diuina, ſiue humana, eo ipſo, quod primario obligant ad ſui obſeruantiam, tanquam ad finem, obligare etiam ſecundario ad ſui cognitionem, tanquam ad medium ad ipſam executionem neceſſarium; Nemo enim ſeruare poteſt præceptum, quod ignorat. Hinc autem fit primò, vt, ex eodem motiuo, ſit debita cognitio alicuius præcepti, ex quo eſt debita eius executio; Ex eodem enim motiuo Temperantiæ, ex quo principaliter tenemur ieiunare, tenemur etiam minus principaliter ſcire ieiunij præceptum, & diem in quo obligat. Secundò, vt negligentia, ſiue ignorantia præcepti, non ſit peccatum diuerſum ab eius tranſgreſſione; Non enim habet malitiam diuerſam à malitià tranſgreſſionis, cum eidem præcepto, ac eiuſdem Virtutis motiuo opponatur. Vnde, cum quis, ex negligentià, ſiue ignorantià culpabili, Ieiunium violat, non committit duo peccata, alterum ignorantiæ, alterum violationis Ieiunij, ſed vnicum violationis Ieiunij; quia vtraque opponitur eidem præcepto, obliganti ad Ieiunium, & eidem motiuo Temperantiæ, quod, ſicut principaliter obligat ad Ieiunium, ita ſecundariò obligat ad ſciendum & ipſum præceptum, & diem in quo obligat. Tertiò, vt peccatum internum, non ſit diuerſum ab externo; Voluntas enim furandi, non eſt peccatum diuerſum à furto, ſed cum illo componit, ac conſtituit vnum peccatum conſummatum, ac completum; Quia, quamuis detur obligatio non volendi furtum, hæc tamen oritur ex eodem præcepto, ex quo oritur obligatio non furandi. His poſitis.

RESOLVTIO.

12 AD Caſum Reſpondetur; Omnes tres Confeſſarios, vnicum peccatum commiſiſſe; duos quidem Primos conſummatum, ac completum; Tertium verò non conſummatum, ſed incompletum. Ita *Vaſq.* 1. 2. *d.* 119. *c.* 2. *Sanch. lib.* 1. *ſum. c.* 17. *num.* 11. *Laym. lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. *num.* 10. *Filliuc. tract.* 21. *c.* 10. *num.* 365. *Azor. lib.* 1. *inſt. mor. c.* 12. *quaeſt.* 5.

13 Primò; Quia omnes peccauerunt contra idem præceptum, obligans ad rectam Sacramentorum adminiſtrationem; Tertius quidem, exponendo ſe periculo ea malè adminiſtrandi; Duo verò primi, etiam de facto malè adminiſtrando; Exponere autem ſe periculo alicuius peccati, non eſt peccatum diuerſum ab ipſo peccato, quando committitur. Vnde, in confeſſione, ſatis eſt, dicere; *Ieiunium violaui vel Sacrum omiſi*; quando peccatum de facto committitur; ſic enim ſufficienter manet explicatum pericu-

riculum ; Cum verò non committitur, neceſſe eſt dicere; *expoſui me periculo Ieiunium violandi, vel Sacrum omittendi*; quia tota malitia tunc conſiſtit in illo periculo, & hæc aliter tunc explicari non poteſt, quàm in ſe ipsâ.

14 Secundò ; Quia actus internus, & externus, non ſunt duo peccata, ſed vnum conſummatum, ac completum; Ergo etiam ignorantia, ſiue negligentia, & præcepti tranſgreſſio, quæ ex illa ſequitur, non erunt duo peccata, ſed vnum conſummatum, ac completum; Sicut enim, velle furari, non eſt peccatum diſtinctum ab ipſo furto, quando ſequitur; Ita, velle culpabiliter ignorare ea, quæ ad Confeſſarij munus pertinent, vel exponere ſe periculo, munus ſuum malè adminiſtrandi, non erit peccatum ab ipsâ malâ muneris adminiſtratione diuerſum, ſi ſequatur; Nam, eo ipſo, quod quis vult culpabiliter ignorare, quæ ad ſuum munus ſpectant, vel exponere ſe periculo, illud male adminiſtrandi, virtualiter habet voluntatem illud malè adminiſtrandi. Vult enim illam malam adminiſtrationem in causâ; Ergo, ſi de facto malè adminiſtret, non erunt duo peccata, ſed vnum completum; Ideoque, ſatis erit, in confeſſione, dicere; *Sacramenta malè adminiſtraui*; quia ſic manebit ſimul ſufficienter explicata voluntas illa, male Sacramenta adminiſtrandi.

15 Tertiò ; Quia negligentia, ſiue ignorantia culpabilis eorum, quæ ad Confeſſarij munus pertinent, eodem præcepto prohibetur, quo prohibetur mala Sacramentorum adminiſtratio ; Idem enim præceptum, quod primariò, ac directè malam Sacramentorum adminiſtrationem prohibet, ſecundariò, & conſequenter prohibet etiam ignorantiam eorum, quę neceſſaria ſunt; & periculum eam malè adminiſtrandi ; Sicut idem præceptum furti, quod furtum externum principaliter prohibet, minus principaliter prohibet etiam voluntatem furandi ; Ergo, ſicut voluntas furandi, & furtum externum, non ſunt duo peccata, ſed vnum ; ita Ignorantia culpabilis eorum, quæ ad rectam Sacramentorum adminiſtrationem neceſſaria ſunt, & mala eorundem Sacramentorum adminiſtratio, non erunt duo peccata, ſed vnum.

16 Quartò ; Quia negligentia, ſiue culpabilis Ignorantia eorum, quæ ad Confeſſarij munus pertinent, non prohibetur propter ſe, ſed ſolum tanquam occaſio malè Sacramenta adminiſtrandi ; ſicut eorum ſcientia, vel cognitio non præcipitur propter ſe, ſed ſolùm tanquam medium ad ipſa Sacramenta rectè adminiſtranda ; Ergo, ex ſe, non eſt peccatum, ſed ſolùm quatenus eſt occaſio malè Sacramenta miniſtrandi; Ideoque non erit peccatum ſpeciale, ab ipsâ malâ Sacramentorum adminiſtratione diuerſum.

17 Quintò; Quia, quamuis daretur ſpecialis virtus, ac præceptum, obligans ad ſcienda neceſſaria ; adhuc tamen Ignorantia, vel negligentia ſciendi, in noſtro caſu, non eſſet ſpeciale peccatum, à mala Sacra-

cra-

cramentorum adminiſtratione diuerſum; Obligatio enim ſciendi, in noſtro caſu, non oritur ex tali Virtute, ac præcepto, ſed à præcepto Sacramenta benè adminiſtrandi; Sicut, quamuis detur præceptum Diuinum naturale Contritionis, adhuc tamen; ſi quis, peccati mortalis conſcius, ſine contritione, Sacramenta adminiſtraret, non propterea duo peccata diuerſa committeret, alterum omiſſionis Contritionis, alterum Sacrilegæ Sacramentorum adminiſtrationis; quia obligatio Contritionis non oriretur tunc ex præcepto Contritionis, ſicut oritur in mortis articulo, ſed ſolum ex præcepto, ad dignam Sacramentorum adminiſtrationem, obligante; Ergo, ſicut, qui, ſine Contritione, Sacramenta miniſtraret, vnicum peccatum committeret indignæ Sacramentorum adminiſtrationis; ita qui eadem Sacramenta adminiſtrat, cum ignorantiâ culpabili, vnicum peccatum committit, malæ adminiſtrationis.

18 Sextò; Quia, ſi Primus, & Secundus, duo peccata commiſiſſent, ſequeretur, grauiùs peccare eum, qui ex Ignorantiâ culpabili peccat, quàm qui peccat ſcienter; Primus enim, duo peccata commiſiſſet, alterum Ignorantiæ, ac negligentiæ, alterum malæ Sacramentorum adminiſtrationis, Secundus verò; vnicum tantùm peccatum ſimplex malæ Sacramentorum adminiſtrationis; Conſequens autem eſt abſurdum, quia peccatum Primi, ſemper eſt minus voluntarium; quàm peccatum Secundi.

19 Hæc tamen ratio, *quæ eſt P.Vaſquez*, non videtur efficax; poteſt enim quis plura peccata committere, & tamen, per illa, minus grauiter peccare, quàm peccet alius vnico peccato ſimplici; Nam homicidium, in ebrietate commiſſum, eſt peccatum minus graue, quam ſi fiat ab homine ſobrio; & tamen, cum fit in ebrietate, eſt duplex peccatum, alterum ebrietatis, alterum homicidij.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

20 AD rationes in contrarium, reſpondetur, ad primam; non magis, cæteris paribus, peccaſſe Primum, & Secundum, quam Tertium, ſed illos peccatum conſummaſſe, quod Tertius non fecit; Sicut non magis peccat, qui vult furari, & de facto furatur, quàm qui ſolum vult furari, licet ille, per actum externum, compleat, ac conſummet peccatum, quod hic non facit.

21 Ad ſecundam, Negatur, ſcientiam eorum, quæ ad proprium munus ſpectant, eſſe debitam propter ſe; Eſt enim debita ſolùm propter operationem; quia, quamuis non ſemper teneamur exequi, quæ cognouimus, ſemper tamen ideo tenemur cognoſcere, quia tenemur exequi, ac operari.

22 Ad tertiam, patet diſparitas; Nã obligatio ſciendi præcepta Decalogi, oritur ex duplici obligatione, eâ ſcilicet credendi, & implendi; Obligatio verò ſciendi ea, quæ ad proprium munus ſpectant, oritur ſolùm ex obligatione muneris illud

recté

rectè exequendi; Ideo enim ſolùm ſcire tenemur ea, quæ ad proprium munus pertinent, quia rectè munus illud exequi tenemur, & ſi ad hoc non teneremur, neque teneremur ad illud. Vnde Confeſſarius, quia munus Aduocati exercere non tenetur, neque ea, quæ ad Aduocati munus ſpectant, ſcire tenetur.

23 Ad quartam, Reſpondetur; Quamuis admittamus, dari Virtutem Studioſitatis; hinc tamen non ſequi, eam ſemper, per ſe, ac ſpecialiter obligare ad debitam ſcientiam procurandam; Sicut, quamuis detur præceptum Contritionis, non tamen hinc ſequitur, illud ſemper, per ſe, ac ſpecialiter ad Contritionem obligare, ſed ſolùm in mortis articulo. Sicut ergo, in Sacramentorum adminiſtratione, Contritionis obligatio oritur, non ex ipſo præcepto Contritionis, ſed ex præcepto Sacramenta dignè adminiſtrandi; Ita, in eorundem adminiſtratione, obligatio ſciendi ea, quæ neceſſaria ſunt, oritur, non ex Virtute Studioſitatis, ſed ex præcepto rectè Sacramenta miniſtrandi; Ideoque Ignorantia, ſiue negligentia, & mala adminiſtratio, non ſunt duo peccata, ſed vnum.

24 Ad quintam; Negatur ſequela; Nam peccatum internum, & externum, non ſunt duo peccata, ſed vnum, & tamen non eodem modo manifeſtari debent in Confeſſione peccatum ſolum internum, ac peccatum internum ſimul & externum; hoc enim ſufficienter manifeſtatur, dicendo; *furatus ſum*; illud verò manifeſtari non poteſt, niſi dicendo; *habui voluntatem furandi*; Ex ſolo ergo modo diuerſo, peccata in Confeſſione manifeſtandi, colligi non poteſt, quod ſint peccata diuerſa.

25 Ad ſextam denique, patet diſparitas; nam ebrietas, ex ſe, & ex genere ſuo, ſemper eſt mala contra Temperantiam, & prohibita, quamuis non eſſet cauſa, vel occaſio homicidij; Cum autem eſt occaſio, habet etiam hanc malitiam iniuſtitiæ, quæ illi eſt addita. At Ignorantia, ex ſe, non eſt peccatum, ſicut ſciẽtia oppoſita, ex ſe, non eſt opus Virtutis, ſed ſolùm quatenus eſt occaſio, Confeſſarij munus malè adminiſtrandi; Vnde habebit ſolùm malitiam malè adminiſtrationis, & non aliam.

COROLLARIA.

26 Colligitur ex dictis primò; Ignorantiam, ſiue ſit præceptorum Naturalium, ſiue Diuinorum, ſiue Humanorum, non habere malitiam diuerſam ab eà, quàm habet eorundem præceptorum tranſgreſſio, cum, iiſdem præceptis opponatur, & ab iiſdem præceptis prohibeatur, non primario, & per ſe, ſed ſecundario ſolùm, & in ordine ad vitandam tranſgreſſionem. Vnde eodem prorsùs modo ſe habet, ſicut peccandi periculum, & ſcandalum; Sicut enim iſta peccata, non ſunt vnius ſpeciei, ſed plurium, iuxta pluralitatem peccatorum, quorum ſunt periculum, vel occaſio, & & iuxta pluralitatem præceptorum, qui-

quibus opponuntur; Ita Ignorantia, non eſt peccatum vnius ſpeciei, ſed plurium, iuxta diuerſitatem peccatorum, quorum eſt occaſio, Nam ipſa etiam eſt peccatum eiuſdem ſpeciei, cum peccato, cuius eſt occaſio, ſicut ſunt, proximum peccandi periculum, & ſcandalum.

27 Secundò; Ignorantiam, neque eſſe peccatum numero diuerſum ab ipsà tranſgreſſione præcepti, quandò hęc ſequitur; Sicut Furtum externum, non eſt peccatum numero diuerſum à voluntate furandi; nec homicidium, in ebrietate ſecutum, ab ipſa ebrietate, licet ebrietas, præter eſſe cauſam homicidij, habeat etiam ſuam propriam malitiam, contra Temperantiam; Nec omiſſio recitationis officij, à proiectione Breuiarij in mare; Actualis enim præcepti tranſgreſſio, non habet nouam malitiam, diuerſam à malitià ignorantiæ, cum non adſit noua cognitio; ſed cum illà conſtituit vnum peccatum completum, ac conſummatum; ſicut conſtituit actus externus, cum interna voluntate, & homicidium in ebrietate commiſſum, cum ipsà ebrietate, habens totam ſuam malitiam in causà; Idemque dicendum eſt, de Officij omiſſione, orta ex proiectione Breuiarij in mare; Vnde, in Confeſſione, ſatis erit, dicere; *Sacramenta malè adminiſtraui; Officium omiſi; &c.* Sic enim ſufficienter explicatur totum peccatum; cum ignorantia non prohibeatur, niſi propter peccatum. Si tamen daretur noua libertas, tunc, ſicut daretur nouum debitum inquirendi, ita daretur nouum peccatum ignorantiæ; ſicut, ſi poſt proiectum Breuiarium in mare, daretur aliud Breuiarium, tunc daretur nouum debitum recitandi Officium; ideoque illud omittere, eſſet nouum peccatum, ab ipsà Breuiarij proiectione, diuerſum.

QVÆ-

QVAESTIO XX.

An Ignorantia vincibilis plures malitias contineat.

CASVS.

1 DVM duo Ruſtici, qui noſtræ Fidei myſterijs inſtrui, notabiliter neglexerant, cum Hæretico quodam colloquerentur; Eorum alter, Heretici ſophiſmis deceptus, realem Chriſti præſentiam, in Euchariſtiâ, negauit; Alter verò, quamuis dubitans, negare noluit. Quæritur, quot peccata ſinguli commiſerint.

SVMMARIVM.

5 *Ignorantia vincibilis myſteriorum Fidei; plures ſpecie malitias continere videtur.*
6 *Verè tamen non continet.*
7 *Obligatio ſciendi Myſteria Fidei, oritur ex Præcepto obligante ad ea credenda.*
8 *Ante Euangelij promulgationem, nulla dabatur obligatio illud ſciendi.*
9 *Ignorantia myſteriorum Fidei, vnico tantum Præcepto, opponitur.*
10 *Ignorantia, eſt ſpeciale peccatum, ſolum, cum, ex intentione ignorandi, ignorantur res ſcitu neceſſaria.*
11 *Articulum aliquem, ex ignorantiâ vincibili, negans, peccat ſolùm contra Fidem.*
12 *Contra eandem peccat etiam, qui, ex eadem ignorantiâ, negandi periculo ſe exponit.*
13 *In quo differant ignorantia Articulorum Fidei, ac Præceptorum Decalogi.*
16 *Cur plures malitias numero diuerſas contineat.*
17 *Exponit periculo plures Articulos negandi.*
18 *Imo cenſetur eſſe, indirecta voluntas plures negandi.*
19 *Contra idem Præceptum, plura numero peccata committi poſſunt.*
20 *Vnum myſterium, moraliter cũ alio continuari non poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVæſtio hæc; duplicem continet difficultatem. Prima eſt; An ignorantia vincibilis, includat plures malitias ſpecie diuer-

uerſas, Secunda eſt; An ſaltem includat plures, diuerſas numero. Quamuis autem prima, eadem fere videatur cum Quæſtione præcedenti; Verè tamen ab eà differt, quia eſt in materià Fidei, de quà eſt peculiaris controuerſia inter Auctores.

3 Quod ergo facit ad primam; Ignorantia culpabilis myſteriorum noſtræ Fidei, præter malitiam contra Fidem, continere videtur etiam aliam ſpecialem malitiam contra Virtutem Studioſitatis. Ita *Vaſq.* 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 2. *d.* 119. *c.* 2. *Sanch. lib.* 1. *ſum. c.* 17. *num.* 11. *Filliuc. tract.* 21. *c.* 10. *num.* 365. *Rodrig. p.* 1. *ſum. c.* 23. *concl.* 7. *Almain. tract.* 1. *mor. c.* 5. *prop.* 2.

4 Primò; Quia hæc ignorantia, opponitur, non ſolùm præcepto negatiuo, infidelitatis peccatum, quod ex illà ſequitur, prohibenti, ſed etiam affirmatiuo, ad ſcientiam oppoſitam poſitiuè obliganti. Præceptum autem affirmatiuum, & negatiuum, cum habeant motiua diſtincta, refundunt malitiam ſpecie diuerſam in actum oppoſitum; Vnde, ex eorum diſtinctione, rectè colligitur, diſtinctio ſpecifica peccatorum, quæ illis opponuntur.

5 Secundò; Quia, ſi Myſteriorum Fidei Ignorantia, non contineret ſpecialem malitiam contra Virtutem Studioſitatis, nunquam ignorantia culpabilis, eſſet peccatum ſpeciale; Conſequens autem eſt abſurdum; quia, ſi Ignorantia, nunquam eſſet peccatum ſpeciale, neque Virtus Studioſitatis, illi oppoſita, eſſet Virtus ſpecialis; quod tamen fusè probatur, *à S. Thoma ſecunda ſecundæ, quæſt.* 166. *art.* 2.

RESOLVTIO I.

6 Reſpondetur tamen; Ignorantiam culpabilem myſteriorũ Fidei, non continere ſpecialem malitiam contra Virtutem Studioſitatis, ſed ſolam malitiam contra Fidem; quatenus Ruſtici, eorum ſcientiam negligentes, expoſuerunt ſe periculo ſentiendi aliquid contra Fidem, vel eam, quando tenebantur non confitendi. Ita *Azor. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *quæſt.* 5. *Clauis reg. lib.* 2. *c.* 9. *num.* 31. *Aluar.* 1. 2. *d.* 162. *num.* 3. *Layman. lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. *num.* 10. *Valent.* 2. 2. *d.* 1. *qu.* 11. *p.* 1. *diffic.* 4. *Salaſ.* 1. 2. *tract.* 13. *d.* 7. *ſ.* 7. *num.* 49.

7 Probatur primò; Quia obligatio Fidei myſteria ſciendi, oritur ex eodem præcepto Diuino, quod eorum Fidem præcipit; ſicut obligatio ſciendi præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, oritur ex eodem præcepto, quod obligat ad illa ſeruanda; Sicut enim, quia datur Præceptum ieiunij, ſcire tenemur; & Præceptum ipſum, & dies, in quibus eſt ieiunandum; vt illud ſeruare poſſimus; Ita, quia, poſt legem Euangelicam, datur præceptum Diuinũ de credendis Myſterijs reuelatis, ſcire tenemur, tam hoc præceptum, quam Myſteria credenda, quia aliàs ea credere non poſſemus. Ergo, ſicut, qui, ex ignorantià vincibili præcepti Ieiunij, vel dierum, in quibus ieiunandum eſt, non ieiunat,

nat, non committit duo peccata ſpecie diuerſa, ſed vnum ſolùm contrà ieiunij præceptum, obligans primario ad ieiunium, & ſecundario ad ſciendum ipſum præceptum, & dies, in quibus eſt ieiunandum; Ita qui, ex ignorantiâ vincibili myſteriorum Fidei, vel præcepti de illis credendis, ſentit aliquid contra Fidem, non committit duo peccata ſpecie diuerſa, ſed vnum tantùm contra Fidei præceptum; Nam hoc etiam, ſicut primario obligat ad credendum, ita obligat ſecundario ad ſciendum, tam ipſum præceptum, quàm myſteria credenda.

8 Secundò; Quia, ante Euangelij promulgationem, ſicut nulla dabatur obligatio illud credendi, ita nulla dabatur obligatio illud ſciendi. Ergo ſignum euidens eſt, totam obligationem illud ſciendi, oriri ex obligatione credendi, & conſequenter, eius ſcientiam non præcipi propter ſe, ſed ſolùm in ordine ad credendum. Hoc autem poſito; Ignorantia non habet aliam malitiam, quam contra Fidem.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

9 Ad rationes in contrarium facile Reſpondetur; Ad primam; Negando, quod ignorantia opponatur præcepto diuerſo à præcepto, vel Fidei confitendæ, vel illam non negandi; Idem enim præceptum, quod primario obligat ad credendum, obligat etiam ſecundario ad Fidei Myſteria ſcienda, vt ea, vel confiteri poſſimus, tempore debito, vel non negemus; neque alia datur obligatio ſciendi, ſiue hanc ignorantiam expellendi; Ignorantia enim, ex ſe, non eſt peccatum, ſicut ſcientia oppoſita non eſt opus Virtutis; Ceſſante ergo obligatione credendi, ſtatim ceſſat etiam obligatio ſciendi.

10 Ad ſecundam; Negatur ſequela; Tunc enim ignorantia vincibilis, eſt ſpeciale peccatum contra Virtutem Studioſitatis, cum quis, vult ignorare ea, quæ aliàs ſcire tenetur, hac ſpeciali intentione, vt ea neſciat; Sic enim etiam, peccatum quodlibet contra aliquod præceptum, ſiue Diuinum, ſiue Humanum, tunc ſolùm eſt ſpeciale peccatum Inobedientiæ; cum, per illud, violatur præceptum, ex intentione ſpeciali, præceptum contemnendi. Ergo, ſicut, præciſo hoc caſu, peccatum Inobedientiæ, reperitur in qualibet tranſgreſſione præcepti, nec vnquam habet malitiam oppoſitam ſpeciali Virtuti Obedientiæ; Ita, præciſo ſimili caſu, Ignorantia vincibilis, habebit ſolum malitiam tranſgreſſionis præcepti Fidei; nunquam tamen peculiarem malitiam, ſpeciali Virtuti Studioſitatis oppoſitam.

COROLLARIA.

11 Colligitur ex dictis primò; Reſponſio ad Caſum propoſitum; Ignorantia enim vincibilis Myſteriorum Fidei, non eſt peccatum diſtinctum ab eo, quod ex illâ ſequitur, tanquam ex causâ; Vnde, quamuis Ruſtici, vincibiliter ea igno-

ignorantes; peccauerint, non ſolùm aliquid contra illa ſentiendo, & realem Chriſti præſentiam, in Euchariſtia, negando; ſed etiam illa ignorando; Non tamen propterea duo peccata commiſerunt, neque vnum habens duas malitias; ſed vnum tantùm, habens vnam malitiam, quæ non eſt propriè hæreſis, vel infidelitas, ſed ad illam reducitur *Clauis reg. lib. 2. c.9. num.* 31.

12 Secundò; Secundum Ruſticum; Quamuis, de facto, nihil ſenſerit, aut aſſeruerit contra Fidem, peccaſſe tamen, vincibiliter ignorando, & teneri, hanc ignorantiam confiteri, quia Fidei myſteria addiſcere non curando, ſicut tenebatur, expoſuit ſe periculo aliquid ſentiendi, vel aſſerendi contra Fidem. Hoc autem peccatum, non eſt diuerſum ab illo, quod commiſit Primus, realem Chriſti præſentiam, in Euchariſtiâ, ignoranter negãdo, ſed cum illo comparatur, tanquam peccatum internum cum externo; Sicut enim Voluntas furandi, non eſt peccatum, ab actione externa furti diuerſum; ſed per hanc vltimò cõpletur in ratione peccati conſummati; ita ignorantia culpabilis myſteriorum Fidei, per negationem externam, vltimò completur in ratione peccati conſummati contra Fidem, ſaltem reductiuè *Azor. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *quæſt.* 5.

13 Tertiò; Ignorantiam vincibilem Myſteriorum Fidei, in hoc differre ab Ignorantiâ vincibili præceptorum Decalogi, ac Eccleſiæ, quod Ignorantia Myſteriorum Fidei non continet tot malitias ſpecie diuerſas, quot ſunt Myſteria Fidei ignorata; Ignorantia verò præceptorum Decalogi, continet tot malitias ſpecie diuerſas, quot ſunt præcepta ignorata; Ex diuerſitate enim præceptorum Decalogi, vel Eccleſiæ, conſurgunt diuerſæ ſpecies ignorantiæ, eo quod ea ignorans, exponat ſe periculo committendi peccata, ſpecie diuerſa, pro diuerſitate præceptorum. Ex diuerſitate autem Myſteriorum Fidei, non conſurgunt diuerſæ ſpecies Ignorantiæ, nec ea ignorans, exponit ſe periculo committendi peccata, iuxta Myſteriorum diuerſitatem ſpecie diuerſa. Cuiuſcumque enim Myſterij ſit Ignorantia, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, quia ſemper opponitur eidem præcepto, ac Virtuti Fidei; ſicut omnes hæreſes, ſunt eiuſdem ſpeciei, quia eidem præcepto, ac Fidei Virtuti opponuntur; Vnde, qui aliquem articulum negauit, illum, in confeſſione, explicare non tenetur.

14 Quod facit ad ſecundam difficultatem: An Ignorantia Myſteriorum Fidei tot ſaltem malitias numero diuerſas contineat, quot ſunt Myſteria ignorata.

15 *P. Suarez tract. de fide d.* 15. *ſec.* 1. *num.* 7. *& tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 22. *ſ.* 5. *num.* 33. *Layman. lib.* 1. *tract.* 3. *c.* 3. *num.* 2. *Bonac. d.* 2. *de pecc. quæſt.* 4. *p.* 2. & alij, putant, vnicam ſolùm malitiam continere; Primò, quia opponitur præcepto Fidei, quod eſt vnum, præcipiens omnium Myſteriorum aſſenſum per modum vnius. Secundò, quia

omiſſio omnium horarum canonicarum, eſt vnum tantum peccatum, eo quod opponatur præcepto horas canonicas recitandi, quod eſt vnum, eas omnes præcipiens per modum vnius; Sed etiam Ignorantia Myſteriorum Fidei, opponitur præcepto Fidei, quod eſt vnum, eorum omnium Fidem præcipiens per modum vnius. Ergo etiam, eorum omnium ignorantia, erit vnum tantùm peccatum.

RESOLVTIO II.

16 PRobabilius tamen videtur; Ignorantiam Myſteriorum Fidei, continere tot malitias numero diuerſas, quot ſunt Myſteria ignorata. Ita *Vaſq.* 1.2. *d.* 75. *cap.*2. *num.*10. *& tom.* 4. *in 3. p. qu.*91. *art.*1. *d.*4. *Azor. tom.* 1. *lib.*4. *c.*4. *quæſt.*5. *Clauis reg. lib.*2. *c.* 5. *nu.* 14. *Coninch. de Sacr. Pœn. d.*7. *d.*1. *Tannerus* 2.2.*dub.*4. *quæſt.*2. *d.*4. *num.*55. *Diana de circunſt. agrau. reſol.* 29. *& alij plurimi.*

17 Probatur primò; Quia Fidei Myſteria culpabiliter ignorans, ideo peccat, quia exponit ſe periculo illa negandi, vel illis non aſſentiendi, quando tenetur; Ergo ſi ignoret, plura Myſteria, plura numero peccata committet, ſicut plura numero peccata committeret, ſi plura Fidei Myſteria negaret; Idem enim præceptum, quod obligat ad illa non neganda, obligat etiam ad vitandum periculum ea negandi.

18 Secundò; Quia, non ſolùm committit plura numero peccata, qui plures homines occidit, ſed etiam qui illos occidendi periculo ſe exponit. Eo enim ipſo, cenſetur velle, in cauſà, plura numero homicidia; Ergo ſimiliter, non ſolùm committet plura peccata, qui plura Fidei Myſteria negat, ſed etiam, qui, per Ignorantiam vincibilem, exponit ſe periculo illa negandi.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

19 AD rationes in contrarium; Reſpondetur; Ad primam; Præceptum Fidei, eſſe quidem vnum; Ex hoc tamen inferri non poſſe, ignorantiam omnium Myſteriorum, eſſe vnum numero peccatum, ſed ſolùm, eſſe vnum ſpecie; Contra idem enim præceptum, plura numero peccata committi poſſunt; Nam, qui plures homines occidit, vel exponit ſe periculo illos occidendi, plura numero peccata committit contra idem præceptum; Neque præceptum Fidei, videtur, omnium Myſteriorum Fidem præcipere collectiuè ſolum, ſed etiam diſtributiue, ita vt præcipiat Fidem omnium, & ſingulorum Myſteriorum; Sicut præceptum Ieiunij Quadrageſimalis, ieiunium præcipit, non ſolùm omnibus, ſed etiã ſingulis diebus Quadrageſimæ.

20 Ad ſecundam Reſpondetur; Rationem diſparitatis eſſe; quia omnes Horæ canonicæ, ſunt partes vnius Officij, & vnius actionis moralis integræ, cuius recitatio præcipitur; Cum horæ canonicæ definiantur; Oratio publica, ſub certo numero Pſalmorum, Lectionum, & aliorum huiuſmodi, à Sanctis Patribus,

tribus,

tribus, ad Dei laudem, ordinata, & per ſeptem congruentes horas, diſtributa. Sicut ergo, omnes horæ Canonicæ, ſunt vna Oratio, ita earum omiſſio, erit vnum peccatum mortale; Quia erit vnius Orationis, ac Officij omiſſio. At omnia Fidei Myſteria; componere non poſsunt vnum Myſterium, nec vnũ cum altero moraliter continuari; ſed ſemper remanent plura Myſteria. Sicut plures dies Quadrageſimæ, componere non poſſunt vnum diem; vel vnum Ieiunium Quadrageſimale; Sed ſemper remanent plures dies, & plura Ieiunia. Sicut ergo, qui, integrà hebdomadà, Ieiunium omittit, ſex peccata mortalia committit; Ita ſex peccata committet, qui, ex Ignorantià, exponit ſe periculo, ſex Fidei Myſteria negandi. Sed, de his, plura infra, dum agemus de peccatis.

QVAESTIO XXI.

An Ignorantia vincibilis ſufficiens ad peccatum, ſufficiat etiam ad operationis valorem.

CASVS.

1 MERCATOR quidam, inter plures lapides, quos vendendos expoſuerat, vnum videns alijs lucidiorem, dubitauit; An eſſet Adamas, an Vitrum. Nullà tamen prius adhibità diligentià, vt certior fieret; illum, inter alios, vendendum expoſuit. Accidit autem, vt Titius, dum inde tranſiret, eundem lapidem videns, dubitauerit ſimiliter, an eſſet Adamas, an Vitrum; nullaque priùs adhibità diligentià, vt certior fieret, illum emerit, pretio Vitri. Poſtea verò, domum reuerſus, comperit eſſe Adamantem. Quęritur; vtrum Emptio illa fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Quæ voluntas, ac libertas ad actus valorem requiratur.*

3 *Operans cum Ignorantià vincibili, regulariter peccat.*

4 *Ipſa tamen operatio aliquibus vide-*

videtur valida, & cur.

8 *Aliquibus verò inualida, & cur.*

9 *Quæ Voluntas, ad actus valorem requiratur.*

12 *Ignorantia; Error; & Dolus, per quid, inter ſe differant.*

13 *Mera alicuius circunſtantiæ ignorantia, actus valorem non impedit, error impedit.*

14 *Ignorantia circunſtantiæ, quando actus valorem impediat.*

15 *Ignorantia Antecedens, & Concomitans; quæ.*

16 *Duplex, cum Ignorantiâ, dari poteſt diſpoſitio, erga obiectum ignoratum.*

17 *Emptio, quamuis cum ignorantiâ, circa qualitatem rei emptæ, eſt valida.*

18 *Eſt volita per voluntatem abſolutam, & hæc ſufficit ad valorem.*

19 *Voluntas abſoluta rei, virtualiter fertur etiam in circunſtantias occultas, cum re illâ connexas.*

20 *Similis voluntas, in Sacramentorum adminiſtratione, regulariter datur.*

21 *Si voluntas non eſſet abſoluta, actus non eſſet validus.*

23 *Ignorantia, tollit voluntatem directam, quam non tollit metus.*

24 *Ad peccatum ſufficit voluntas indirecta. Ad validè verò operandum requiritur directa.*

26 *Error etiam vincibilis circa materiam Voti, ſufficit ad illud reddendum inualidum.*

26 *Error concomitans alicuius circunſtantiæ, actus valorem non impedit.*

28 *Ignorantia affectata circa aliquam conditionem, aut circunſtantiam; actus valorem non impedit.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm libertas, ſicut requiritur ad peccandum, ita requiratur ad validè operandum; Quæri ſolet; An, ſicut ad peccandum ſufficit voluntas, ac libertas indirecta, in ipsâ ignorantiâ, tanquam in causâ; Ita eadem ſufficiat ad validè operandum. Si enim ſufficit, Actus, ex ignorantiâ vincibili factus, ſicut eſt voluntarius, liber, ac peccaminoſus, ita erit validus. Quoniam verò Ignorantia, aut Error, contingere poteſt, vel circa Perſonam, cum quâ agitur; vel circa Cauſam motiuam, aut impulſiuam, aut finalem actus; vel denique, circa eiuſdem actus materiam, aut circunſtantias. Ideo, de his omnibus, ſingillatim quæritur. An eorum ignorantia vincibilis, ad actus valorem ſufficiat.

3 Certum autem videtur; Titium, emendo lapidem cum illo dubio, mortaliter peccaſſe; Tum quia periculo ſe expoſuit emendi Adamantem pretio iniuſto; hoc eſt; infra pretium infimum, & conſequenter iniuſtitiam committendi. Tum quia eadem Iuſtitia, quæ in contractibus prohibet iniuſtitiam, præcipit, vt ad eam vitandam, rei emendę notitia procuretur. Tum denique,

que, quia emendo lapidem cum illo dubio, emere illum voluit abſolutè, ſiue eſſet Vitrum, ſiue Adamas, pretio Vitri. Hoc autem, ſine iniuſtitiâ, fieri non potuit; Vnde ſupplere ſaltem tenetur, quantum defuit ad pretium iuſtum. Si tamen, cum iſta voluntate, animum ſimul conditionatum habuiſſet, ſoluendi deinde pretij incrementum, vſque ad pretium iuſtum, ſi detegeret, eſse Adamantem; In iſto caſu, non peccaſſet. Verum, qui cum dubio operatur; hoc modo regulariter non operatur, ſed abſolutè vult obiectum dubium.

4 Poſito ergo, quod, tam Venditor habuerit voluntatem abſolutam vendendi, quam Emptor emendi lapidem illum; quidquid tandem eſſet, ſiue Adamas, ſiue Vitrum; Difficultas eſt, an Emptio illa fuerit valida, propter ignorantiam vincibilem, quà vterque Contrahens laborabat. Ratio autem dubitandi eſt; primò; Quia, ſi Emptio illa non fuit valida, neque fuiſſet valida benedictio, quā dedit Iſaac Iacob Filio ſuo; Nec matrimoniū, quod Iacob contraxit cum Lia; Eodem enim modo ignorauit Titius materiam emendam, eſſe Adamantem, ac ignorauit Iſaac, eum, quem benedicebat, eſſe Iacob; cum vterque dubitauerit. Sed benedictio fuit valida; Ergo, & Emptio.

5 Secundò; Quia Ignorantia, quam Titius habuit, quod res emenda eſſet Adamas, fuit vincibilis, & fatua, cum de facto dubitauerit. Ignorantia autem vincibilis, non tollit voluntarium, ſed illum ſolum minuit, ſicut metus; Quemadmodum ergo Emptio illa, ſi facta fuiſſet, ex metu leui, fuiſſet valida; Ita facta, ex ignorantiâ vincibili, fuit valida. Iura enim, ſicut nihili faciunt metum leuem, ita, & fatuam ignorantiam.

6 Tertiò; Quia Ignorantia, præſertim craſſa, æquiparatur ſcientiæ, in ordine ad culpam, & ad pœnam; Ita vt, in materiâ pęnali, quando Ius punit delictum ſcienter admiſſum, Ignorantia craſſa, non excuſet à pœnâ. Ergo etiam illi æquiparabitur, in ordine ad actus valorem; Non minus enim requiritur ratio voluntarij, ac liberi, vt actus ſit culpabilis, quam, vt ſit validus. Imo libertas, quæ ſufficit ad peccandum, ſufficit etiam ad validè operandum; Alioqui nunquam poſſemus eſſe certi, quænam libertas ad validè operandum requiratur, ac ſufficiat.

7 Quarto; Quia, cum Titij ignorantiâ, fuerit voluntaria, ac craſſa; ſequitur, quod Titius virtualiter emere voluerit rem expoſitam, ſiue eſſet Vitrum, ſiue Adamas; Si enim noluiſſet; aliquam adhibuiſſet diligentiam, vt certior fieret, num eſſet Vitrum, an Adamas. Poſitâ autem tali voluntate, non eſt, cur Emptio illa non fuerit ſufficienter voluntaria, ac valida.

8 Aliunde verò; Emptio illa videtur non fuiſſe valida; primò; quia Emptio Adamantis, cum ſupponatur fuiſſe ignorata, quamuis vincibiliter, eſſe non potuit in ſe poſitiuè, ac directè volita; Nihil enim volitum, quin præcognitum; Sed, ad

ſummum, indirectè, ac interpretatiuè, in ipsâ ignorantiâ, tanquam in causâ. Hoc autem, ad actus valorem, non ſufficit. Si enim ſufficeret, ſequeretur, eſſe validum Votum in ebrietate factum ab eo, qui præuidens, ſe, in ebrietate, ſimilia vota emittere ſolere; ſe inebriauit, & in ebrietate, verba promiſſoria protulit; Eſſet enim indirectè voluntarium, ac volitum, in ipsâ ebrietate, non minus, quam eſſet volitum homicidium, ſi, cum eius præuiſione ſe inebriaſſet, & illud deinde, in ebrietate, commiſiſſet Conſequens autem eſt falſum; Quia, quamuis ille, ante ebrietatem, præuiderit, ſe ſolere, in ebrietate, Vota proferre, nullam tamen habuit poſitiuam voluntatem ſe obligãdi, ſine quâ tamen, Votum non obligat; Sicut, ſine poſitiuâ intentione conſecrandi, non conficitur Sacramentum: Non minus enim Vouens, eſt cauſa efficiens obligationis, ac Voti, per voluntatem ſe obligandi, quam Miniſter ſit cauſa efficiens Sacramenti, per intentionem illud conficiendi. Sicut ergo, ad validè abſoluendum, non ſufficit intentio indirecta, & interpretatiua, quâ quis, auditâ confeſſione, inebriare ſe voluit, præuidens, ſe, in ebrietate, ſolere verba abſolutionis proferre; Sed requiritur intentio poſitiua, & directa, quâ velit, Pœnitentem abſoluere; Ita, ad Voti valorem, non ſufficiet voluntas indirecta, & interpretatiua, quâ Vouens, præuidens, ſe eſſe ſolitum, in ebrietate, ſimilia Vota proferre, inebriare ſe voluit; Sed requiretur poſitiua voluntas ſe obligandi.

9 Confirmatur. Quia, ſicut, ad valorem abſolutionis, non eſt ſatis intentio verba proferendi, ſed requiritur præterea etiam intentio conficiendi Sacramentum; Ita ad valorem Voti, Emptionis, ac reliquorum Contractuum, non ſufficit voluntas verba promiſſoria proferendi, ſed præterea requiritur voluntas ſe obligandi; Imo hæc voluntas, eſt menſura totius obligationis. Ergo, ſicut abſolutio, debet eſſe actus humanus, in ſe liber, & directè volitus; Ita eſſe debent, Votum, Emptio, ac alij Contractus.

10 Secundò; Quia, quod Ignorantia, ſit vincibilis, vel inuincibilis, conferre quidem poteſt, vt emptio, ſiue actus, ex illâ ignorantiâ factus, ſit prudenter, vel imprudenter factus, & conſequenter peccaminoſus, vel non peccaminoſus: Sed non, vt ſit validus, vel inualidus; Hoc enim non pendet ex eo, quod ignorantia, ſit vincibilis, vel inuincibilis, ſed ex eo, quod detur, vel non detur directa, ac poſitiua voluntas ſe obligandi. Hanc autem æque tollit Ignorantia vincibilis, ac inuincibilis, cum vtraque Ignorantia, æque occultet obiectum ſicque impediat voluntatem, ne directè in illud feratur. Sicut ergo Ignorantia inuincibilis, tolleret voluntarium, ad emptionis valorem, neceſſarium, ac ſufficiens, ita illud tollit Ignorantia vincibilis.

11 Tertiò; Quia non ſemper Ignorantia vincibilis, cenſetur propriè voluntaria, etiam indirectè, ſed tunc ſolùm, quando datur obligatio illam

illam expellendi, ad peccatum vitandum; Cum quis enim, ad peccatum vitandum, diligentiam adhibere tenetur, vt ignorantiam expellat; Si, in hoc, ſit negligens, tunc Ignorantia cenſetur indirectè voluntaria. At, in ordine ad contrahendum, vel ad Votum emittendum, non datur hæc obligatio diligenter inquirendi, & ignorantiam expellendi; Nullà enim lege, conſtat de tali obligatione. Ergo hæc Ignorantia, non tam eſt voluntaria, ſeu volita, quam permiſſa; Ideoque non ſufficiet, vt Emptio cenſeatur voluntaria, etiam indirectè, quoad rem ignoratam.

NOTABILIA.

12 ADuertendum eſt primò; Ignorantiam, Errorem, ac Dolū, inter ſe valde differre: Ignorantia enim, eſt mera carentia ſcientiæ, nullum importans iudicium, *ex S. Thom. in 4. diſt. 30. quæſt. 1. ar. 1. ad. 1.* Error verò, eſt actus poſitiuus, vnum pro alio putans; Ideoque importans iudicium Intellectus peruerſum, ac erroneum; Dolus denique, ſupra Ignorantiam, vel errorem, importat deceptionem iniurioſam in eo, qui petit celebrari contractum, quatenus, vel rei vitium occultat, vel virtutem aſſerit, quæ, in illà, vere non eſt.

13 Aduertendum eſt ſecundò; cum aliquid volumus, vel circa aliquid operamur, aliquam illius notitiam dari ſemper in nobis; Volūtas enim in penitus ignotum, nec conſenſum, nec affectum dirigere poteſt, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum, & voluntas ſit potentia cæca, quæ non fertur in incognitum. Per hanc autem notitiam; Aliquando, res nobis proponitur præciſiuè; hoc eſt, ita vt ab aliquà eius conditione, vel circunſtantia præſcindatur, de illà non cogitando; Aliquando verò negatiuè; hoc eſt; ita vt eadem conditio, vel circunſtantia poſitiuè negetur. Primo modo, ita cognoſcitur Res, vt eius conditio, aut circunſtantia propriè dicatur ignorari. Secundo verò modo, ita cognoſcitur res, vt alia dicantur peruerſe, ac erronee iudicari. Res primo modo propoſita, ſecundum id, quod per ignorantiam occultatur, propriè voluntatem non mouet, illam attrahendo, vel retrahendo, ideoque nec propriè cauſat inuoluntarium; Dici tamen poteſt, illud cauſare improprie, tanquam remouens prohibens; Quia, ſi talis rei conditio, vel circunſtantia fuiſſet propoſita, & non occultata, Voluntatem à præſtando conſenſu retardaſſet, At verò, ſecundo modo propoſita, ac cognita, Voluntatem mouet, non ſolum ſecundum id, quod verè proponitur, ſed etiam ſecundum conditionem, aut circunſtantiam, quæ falsò in re illà, repreſentatur; Mouet enim; vt affecta, ſiue veſtita tali conditione, quæ in illà vere non eſt, ſed eſſe iudicatur; & voluntas, in rem illam ſic veſtitam, poſitiuè fertur; Ideoque error iſte, propriè cauſat inuoluntarium; *Errantis* enim, *nulla eſt voluntas*; vt dicitur *in L. cum teſtam. ff. de iuris, & facti ign.*

14 Aduertendum eſt tertiò; Ignorantiam, Errorem, & Dolum, contingere poſſe; Vel circa ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam Actus, Contractus, aut voti; V.G. circa eius materiam, aut conditiones indiuiduales; Vt, ſi quis vendat lapidem, putans, non eſſe gemmam, quẽ alias non vendidiſſet; Vel circa circunſtantiam aliquam accidentalem, vt ſi quis, ſciens, lapidem, eſſe gemmam, illum vendat Homini, quem putat, eſſe fidelem, cum tamen ſit infidelis, & cui non vendidiſſet, ſi cognouiſſet eſſe infidelem. Si Ignorantia, Error, aut Dolus contingant ſolum, circa circunſtantiam aliquã accidentalem; Tunc, ſicut non tollunt notitiam, & conſenſum, circa ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam Contractus, Voti, vel Actus; Ita non tollunt eius valorem. At verò, ſi contingant, circa aliquam conditionem indiuidualem, & pertinentem ad ſubſtantiam actus; Tunc error circa illam conditionem, tollit actus valorem; quia conditionem illam excludendo, eam reddit inuoluntariam; ſicque tollit conſenſum abſolutum circa rem volitam, qui conſenſus, ad actus valorem, omnino requiritur. Qui enim vult vendere lapidem, quia putat, non eſſe Gemmam, non habet voluntatem abſolutam vendendi lapidem, ſed ſolum conditionatam, poſito quod non ſit Gemma. Ergo, eo ipſo, quod eſt Gemma, non habet voluntatem illum vendendi; Sicque non datur conſenſus abſolutus, ad venditionis valorem omnino neceſſarius. At verò, ſi conditio illa tantumodo ignoretur; Ignorantia valorem actus non tollit; cum enim conditionem illam non excludat, eam non reddit propriè inuoluntariam; Vnde cum tali Ignorantiâ, dari ſimul poteſt voluntas abſoluta circa rem, cuius conditio ignoratur. Qui enim vult vendere lapidem, quem ignorat, eſſe Gemmam, poteſt eum velle abſolutè vendere, ſiue ſit, ſiue non ſit Gemma; Qui autem hoc modo abſolutè vult aliquid; eo ipſo cenſetur ſimul virtualiter, ac implicitè velle, quidquid eſt neceſſariò connexum cum illo, & conſequenter etiam ipſam conditionem, eo ipſo, quod illam non excludit; ſicque conditio, non ſolùm, non eſt inuoluntaria, ſed eſt virtualiter, ac implicitè voluntaria; Quod, ad actus valorem ſufficit; Qui enim Sacros Ordines ſuſcipit; quamuis ignoret, illos Votum Caſtitatis annexum habere; illud tamen cenſetur emittere, quia Sacros Ordines volendo, illud etiã cenſetur implicitè velle; Si tamen, per errorem putaret, tale Votum Ordinibus non eſſe annexum; tunc, illud non cenſeretur emittere; quia per errorem excluderet; Neque obſtat, quod, ſi Titius Votum cognouiſſet, eſſe Ordinibus annexum, illos non ſuſcepiſſet. Nam, hæc conditionalis, eſt de futuro, non de præſenti; Ideoque præſentem voluntatem non mutat, ſed illam relinquit abſolutam. Nemo autem incipit, vel deſinit obligari, propter ea, quæ in his, vel in illis circunſtantijs facturus eſſet, ſed propter ea, quæ de facto facit. Cum ergo,

in

in hoc caſu, Titius velit Ordines abſolutè ſuſcipere, præſens hæc voluntas non mutatur per hoc, quod illos non eſſet ſuſcepturus, ſi hoc vel illud accideret; ideoque nec impeditur obligatio.

15 Aduertendum eſt quartò; Ignorantiam, Errorem, & Dolum, reſpectu actus, aliquando dici antecedentes ipſum actum, vt dictum eſt ſupra; quando ſcilicet illum cauſant, & ad illum faciendum inducunt; Vt, cum quis ignorans, eſſe diem Veneris, carnes ita comedit, vt illas non comederet, ſi ſciret, eſſe diem Veneris. & hic error, cum, alicuius dolo contingit, à Iuris petitis. *L. Et eleganter. ff. de dolo*. Appellatur, dolus, dans cauſam actui; quia, ſi non adeſſet, actus non fieret; Aliquando verò, dici concomitantem eundem actum; quando ſcilicet, illum non cauſat, nec ad illum faciendum inducit, ſed cum eo, per accidens coniungitur; Vt, cum quis ita comedit carnes, vt eas adhuc comederet, quamuis ſciret, eſſe diem Veneris; & hic, appellatur, error incidens in actum; quia, eo etiam non exiſtente, adhuc fieret actus. Ita *S. Thom*. 1.2. *quæſt* 6. *art*. 8.

16 Aduertendum eſt quintò; Dupliciter poſſe aliquem ita eſſe diſpoſitum, vt, ſi ſciret, eſſe diem Veneris vel non comederet, vel adhuc comederet; Primò habitualiter; cum, ſcilicet, de facto, nullum habet actum, quo velit, vel nolit carnes comedere, ſed illum probabiliter haberet, ſi aduerteret, eſſe diem Veneris; Et hæc diſpoſitio habitualis, nullum cauſat effectum moralem, quandiu non prodit in actum; Quia homo, non obligatur per id, quod facturus, vel non facturus eſſet, ſi hoc vel illud ei accideret, vel non accideret; ſed per id, quod actu facit, vel non facit. Secundò actualiter; cum ſcilicet, de facto habet voluntatem conditionatam comedendi, vel non comedendi, ſi ſciret; Et hæc, actus valorem impedit, quando Ignorantia eſt antecedens, quia excludit Voluntatem abſolutam talis obiecti; Non vult enim illud obiectum, vt affectum, ac veſtitum tali proprietate, vel conditione; Quæ, licet tunc abſolutè ignoretur, ſub conditione tamen apprehenditur, quantum ſufficit. At quando Ignorantia, eſt concomitans, actus valorem non impedit; quia neque cauſat, neque impedit, aut excludit voluntatem abſolutam talis obiecti; Cum enim tunc detur voluntas carnes comedendi, etiam ſi conſtaret, eſſe diem Veneris; Voluntas hæc non excludit voluntatem abſolutam carnes comedendi, ſiue ſit, ſiue non ſit dies Veneris; eſto; ex errore quis putet; non eſſe tunc diem Veneris. Hæc autem Voluntas abſoluta, ad actus valorem ſufficit. His poſitis.

RESOLVTIO.

17 AD Caſum, reſpondetur; Spectato modo connaturali operandi illius, qui cum dubio operatur; Emptionem factam à Titio, cum eo dubio, iure naturæ, fuiſſe validam, tam ex parte Ementis, quam

quam ex parte Vendentis. Ita *Suarez de cenſ. d.4. ſ.8. num.10. Sanchez in ſum. lib.1. c.16. num. 14. Filliuc. tr.11. c.8. quæſt. 9. num. 247. Auila p.2. c.5. d. 5. d. 6. Bonac. quæſt.3. de matr. p.2. num 4. in fine*.

18 Primò; Quia tam Venditor, quã Emptor, habuerunt voluntatem abſolutam vendendi, ac emendi; Modus enim operandi proprius eorũ, qui cum dubio operantur, eſt, velle rem dubiam abſolutè, quæcumque tandem illa ſit. Nam, ideo eſt peccatum, operari cum dubio; Quia qui vult Contractum, de quo dubitat, an ſit vſurarius, vel non; cenſetur illum velle abſolutè, ſiue Vſurarius ſit, ſiue non; Hæc autem voluntas abſoluta, ad actus valorem ſufficit, quia illum reddit plenè, ac perfectè voluntarium. Cum ergo Titius, lapidem emerit, dubitans, an eſſet Vitrum, an Adamas; illum conſequenter emere voluit, quidquid tandem eſſet, ſiue Vitrum, ſiue Adamas, ſimilemque voluntatem habuit Venditor. Hæc autem Voluntas, fuit ſufficiens, vt Emptio illa eſſet valida. Sicut ſimilis Voluntas, in Iſaac, fuit ſufficiens, vt eius benedictio data Iacob, eſſet valida: Cum enim Iſaac benedixit Iacob, dubitans, an eſſet Eſau; ex Communi Doctorum ſententiâ *cum Abulenſi in c.27. Gen. qu.7.* eius mens, ac intentio fuit, dirigere benedictionem ad Filium præſentem, vteruis ex illis eſſet, ideoque fuit valida.

19 Secundò; Quia modus operandi, proprius eorum, qui operantur cum ignorantiâ, & non cum errore poſitiuo, eſt; Velle rem cognitam abſolutè, & explicitè, ſimulque virtualiter, ac implicitè, eius conditionem indiuidualem ignoratam, ſiue occultam; Qui enim vouit Peregrinationem Ieroſolimitanam, non cogitando de nauigatione, ſed ignorando, eam fieri per mare, cenſetur etiam virtualiter vouiſſe nauigationem. Et qui Sacros Ordines ſuſcipit, non cogitando de Caſtitatis voto, illis annexo, adhuc tamen cenſetur Caſtitatem vouere; Quia, per voluntatem Ordinũm, cenſetur etiam virtualiter, ac implicite velle Caſtitatis Votum, quamuis ignoratum, eo quod, per Ignorantiam, non fuerit excluſum; ſicut excluſum fuiſſet, per errorem, ſi Ordines ſuſcipiens, putaſſet, Caſtitatis Votum, illis annexum non eſſe; Tunc enim volens Ordines, voluiſſet illos, ſine Voto Caſtitatis, illud excludendo, ſicque illud non emiſiſſet. Qui autem operantur cum dubio, operantur cum Ignorantiâ, cum dubium eam eſſentialiter ſupponat.

20 Tertiò; Quia, hic eſt, modus operandi, qui in Sacramentorum adminiſtratione communiter ſeruatur; Qui enim baptizat, ſemper habet intentionem baptizandi Infantem præſentem abſolutè, quicumque ille ſit; in quo non errat; licet aliquando ignoret, eum eſſe Filium ſui inimici. Imo, per errorem, putet, eſſe Filium Amici. Similiter, qui abſoluit; ſemper abſoluere intendit hominem præſentem, quicumque ille ſit; Et qui conſe-

crat,

erat; intendit conſecrare totam materiam præſentem, quæcumque ſit, licet ignoret, quot particulæ, materiam illam præſentem conſecrandam ingrediantur; Et ſi Miniſter, aliam intentionem haberet, mortaliter peccaret; quia Sacramentum, nullitatis periculo exponeret. Sicut ergo, Sacramentorum Miniſter, hanc intentionem ſic abſolutam regulariter habet; Ita operans cum dubio, vel Ignorantià negatiuà, regulariter ſimilem habet voluntatem, dum contrahit vel vouet; Ideoque eius Contractus ſunt validi, non minus, quam ſint valida Sacramenta; Non minus enim, in vno caſu, quam in alio, adeſt Voluntas & conſenſus ſubſtantialis directus, ad valorem ſufficiens.

21 Si tamen Titius, per errorem putaſſet, Lapidem, ſiue Adamantem illum, eſſe Vitrum, & habuiſſet voluntatem conditionalem, illum non emendi, niſi eſſet Vitrum; Tunc Emptio, non fuiſſet valida ex parte Ementis; ſicut neque eſſet validus baptiſmus, ſi Miniſter, illum conferens, per errorem putaret, Infantem præſentem, eſſe Filium Amici, & haberet intentionem cõditionalem, illum non baptizandi, niſi eſſet Filius Amici; quia tunc voluntas non eſſet abſoluta, ſed conditionalis, & conditio non ſubſiſteret; Ideoque Contractus, & baptiſmus, tunc eſſent inuoluntarij. Cæterum, ſicut hic operandi modus, regulariter in Sacramentorum adminiſtratione, non ſeruatur; Ita neque ſeruatur in Contractibus ab Operantibus cum ignorantià, vel dubio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

22 AD rationes autem dubitandi initio propoſitas, facilè reſpondetur; Ad primam; Benedictionem, fuiſſe validam, quia Iſaac abſolutè benedicere voluit Filium præſentem, quicumque tandem ille eſſet, quamuis dubitaret; num eſſet Eſau, an Iacob; Iacob verò, vel contrahere voluit cum Muliere præſente, quæcumque eſſet, & tunc Matrimonium fuit ſufficienter voluntarium, & validum, quamuis ille putaret, eſſe Rachelem; vel habuit determinatam voluntatem contrahendi cum Rachele, & tunc matrimonium, propter errorem perſonæ, fuit inuoluntarium, & conſequenter inualidum.

23 Ad ſecundam; Inter metum, & Ignorantiam, quamuis fatuam, hanc eſſe diſparitatem; quod metus, non tollit conſenſum directum, quamuis illum minuat; Ignorantia verò, quamuis fatua, illum tollit.

24 Ad tertiam; Diſparitatem eſſe; quia, ad peccandum, non eſt neceſſe, velle formaliter, ac directè malitiam, ſiue actum, vt malum; ſed ſatis eſt, velle actum, cui eſt coniuncta malitia. At verò, ad Voti, ac Contractuum valorem, neceſſaria eſt voluntas poſitiua ſe obligandi; Sine hac enim, nulla datur obligatio; ſicut, ſine poſitiuà intentione conficiendi Sacramentum, nullum eſt Sacramentum.

25 Ad quartam; Voluntatem illam fuiſſe quidem ſufficientem ad valorem Emptionis; Non tamen eſſe

Vo-

Voluntatem indirectam, & interpretatiuam cauſæ, ſiue ipſius Ignorantiæ, ſed directam, & abſolutam ipſius Emptionis.

COROLLARIA.

26 Colligitur ex dictis primò; Errorem antecedentem, circa materiam Contractus, aut Voti, quamuis ſit vincibilis, & voluntarius, ad eorum valorem non ſufficere; Quia facit Contractum, aut Votum, voluntarium, ac volitum ſolùm indirectè in ipsâ ignorantiâ, tanquam in Causâ; Hoc autem, ad Contractus valorem non ſufficit; Tum quia, vt Contractus ſit validus, debet eſſe voluntarius, ac volitus directè, & in ſe ipſo, & debet eſſe actus humanus, non minus, quam Sacramentorum adminiſtratio. Tum quia, alias, Votũ emiſſum ab Ebrio, validum eſſet, ſi ante ebrietatem, eſſet præuiſum. Sicut homicidium ante ebrietatem præuiſum, & poſtea, in ebrietate, commiſſum, eſt peccaminoſum. Conſequens autem eſt abſurdum, vt per ſe patet. In ordine verò ad culpam, & ad pœnam; Hoc voluntarium indirectum, ſiue in causâ, ſufficit; Quia voluntas cauſæ, quando datur obligatio vitandi effectum, cenſetur voluntas interpretatiua ipſius effectus; ſemperque datur obligatio vitandi culpam. At, non ſemper datur obligatio vouendi, vel contrahendi. Cum ergo obligatio, quæ ex Voto, vel Contractu, aut alio ſimili actu oritur, eſſe debeat omnino voluntaria. Sequitur, eam debere eſſe volitam, in ſe ipsâ, nec ſufficere, vt ſit volita in causâ; Ideoque, Errorem antecedentem, ſiue vincibilis ſit, ſiue inuincibilis, actuum valorem impedire; ſemper enim, eodem modo tollit cognitionem, & conſequenter voluntatem, quæ, ad actus valorem, eſt omnino neceſſaria.

27 Secundò; Ignorantiam, ſiue Errorem concomitantem conditionis rei, quando eſt vincibilis, valorem Voti, ac Contractus circa rem illam non impedire; Quia, cum tali Ignorantiâ dari poteſt; imo regulariter, de facto, datur voluntas abſolutâ, etiam ad conditionem ignoratam ſe extendens; Cum ignorantiâ enim vincibili concomitante, quod Peregrinatio Hieroſolimitana, nauigationem requirat, poteſt quis habere voluntatem abſolutam Peregrinationis Hieroſolimitanæ, ſiue nauigationẽ includat, ſiue non includat; quia, licet ignoret; nauigationem de facto requiri; de illâ tamen cogitat ſub conditione, ſi requireretur; Hoc autem ſufficit, vt voluntas, per actum abſolutum, in illam tendat.

28 Tertiò; Ignorantiam conditionis rei, affectatam, ſiue poſitiue volitam, Voti, ac Contractuum circa rem ignoratam valorem, regulariter non impedire; Quia, regulariter, cognitionem directam conditionis ignoratæ non excludit, & conſequenter neque eius voluntatem; Qui enim vult aliquid ignorare, iam neceſſariò de illo cogitat, ideoque velle etiam poteſt, ſe ad illud obligare ſaltem ſub conditione,

ne, quod decipiatur; Imo, eo ipſo, quod non vult tollere ignorantiam, habet voluntatem ſe obligandi ſub quacumque conditione; quæ voluntas ſufficit ad obligandum, & conſequenter ad Voti, vel Contractus valorem. Dixi regulariter; Quia, ſi voluntas ignorandi, non oriatur ex voluntate faciendi, ſed ex aliquo timore humano, vel alio ſimil reſpectu; tunc, qui vouet, vel contrahit, poteſt non habere intentionem ſe obligandi abſolutè, & omnibus modis, ſed ſolum iuxta exigentiam materię; ſub tali conditione propoſitæ; in quo caſu, Voluntas, non eſſet ad valorem ſufficiens.

QVAESTIO XXII.

An Ignorantia Vincibilis, aliquando ſaltem, ad actus valorem ſufficiat.

CASVS.

1 TITIVS, audiens ab Amico, ſe ſolere ſubinde, in Ebrietate, plura promittere; dixit, ſe velle impoſterum obligari, ſi eas promiſſiones, in Ebrietate proferret; Accidit autem, poſt hoc, vt, die quadam, dum eſſet ebrius, centum aureos Sempronio promiſerit; ſed, in ſe deinde, ex Ebrietate, reuerſus; eidem Sempronio illos petenti, dare noluerit; Quæritur. Vtrum eos ſoluere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Ignorantia vincibilis, actuum valorem impedit, ſicut ebrietas.*

4 *Ad valorem Voti requiritur, vt ſit, in ſe, formaliter volitum, ac liberum.*

9 *Cur ad valorem Sacramenti, requiratur intentio aliqua tunc, cum conficitur Sacramentum.*

10 *Promiſſio, facta in ebrietate, aliquando obligat.*

11 *Promiſſio conditionalis, poſitâ conditione obligat.*

12 *Voluntas, etiam præterita, ſufficit, ad Sacrificium applicandum.*

13 *Promiſſio, per poſitionē conditionis*

nis, ex conditionali ſit abſoluta.

14 *Contrahit quis valide per Procuratorem, quamuis tempore contractus dormiat.*

15 *Promiſſio, includens conditionem, in ebrietate ponendam, eſt valida.*

16 *Votum, in ebrietate, emiſſum, non eſt volitum in ſe ipſo.*

17 *Iuramentum ex conſuetudine, in ipsâ ſolùm eſt volitum.*

18 *Ad validam promiſſionem quid ſufficiat.*

19 *Obligatio promiſſionis conditionatæ, incipit, cum ponitur conditio.*

20 *Promiſſio conditionata, in quo adæquatè conſiſtat.*

21 *Quid requiratur, vt obliget.*

22 *Cur ad Sacramenta conficienda requiratur voluntas, aliquo modo, præſens.*

23 *Intentio præterita ad baptizandum non ſufficit.*

24 *Ad Baptiſmum recipiendum, ſufficit.*

RATIONES DVBITANDI.

2 VT melius conſtet, quæ voluntas, ad actuum valorem requiratur; Et an, & quomodo Ignorantia, eundem valorem impediat, proponitur caſus de ebrietate; Quia, in eà, res clarius apparet, & quæcumque de eà dicentur, applicari poterunt Ignorantiæ. Sicut enim promiſſio, facta in ebrietate, aliam libertatem non habet, quam ipſius ebrietatis; ita ſimilis promiſſio, facta, ex Ignorantia vincibili, aliam libertatem non habet, quam ipſius ignorantiæ vincibilis; ſi ergo ebrietas ſufficit ad actus valorem impediendum, ſufficiet etiam ignorantia; & ſi ebrietas aliquando illum non impedit, neque, in ſimili caſu, impediet ignorantia vincibilis.

3 In Caſu itaque propoſito, Titius, teneri non videtur ad ſoluendam pecuniam, in ebrietate promiſſam. Ita *Ledeſma. quæſt.* 58. *ar.* 5. *d.*1. *Sylueſter v. Votum.* 2. *quæſt.* 2. *Aragon.* 2.2. *quæſt.* 88. *ar.* 1. *& alij quos refert Sanch. lib.* 1. *de matr. d.*8. *num.*20.

4 Primò; Quia promiſſio 1 non videtur fuiſſe valida; Alioquin validum etiam eſſet Votum, in ebrietate, emiſſum; Non minorem enim libertatem habet promiſſio facta in ebrietate, quam haberet Votum. Votum autem ab Ebrio emiſſum, non eſt validum, quia non eſt formaliter, & in ſe ipſo voluntarium, ſed ſolum denominatiuè, & in causà; hoc eſt, in voluntate ebrietatis. Cum tamen, ad Voti valorem, neceſſario requiratur, vt ſit volitum, ac liberum formaliter in ſe ipſo, Tum quia voti obligatio, per hoc diſtinguitur ab obligatione ſatisfaciendi, quæ oritur ex iniuriâ, & ab obligatione ad pœnam, quæ oritur ex culpà; quod illa, eſt formaliter, & ſimpliciter voluntaria, ac in ſe libera; Iſtæ verò, ſunt in ſe ſimpliciter, ac formaliter inuoluntariæ, & voluntariæ ſolum denominatiuè, & in causà. Tum quia, ſola voluntas verba promiſſoria proferendi, non ſufficit ad obligandum

dum; niſi adſit etiam formalis voluntas, ſe obligandi; Sicut ſola voluntas proferendi verba conſecrationis, non ſufficit ad conſecrandum, niſi ſimul adſit voluntas actualis, vel virtualis conſecrandi. Cum ergo, Votum in ebrietate emiſſum, non teneat, neque tenebit promiſſio, in eàdem ebrietate, à Titio facta.

5 Secundò; Quia, qui, ex conſuetudine iurat, quamuis cum iuramento promitrat, ſe peregrinaturum Lauretum, ſi amplius luſerit, Voto tamen, vel iuramento non tenetur. Ergo, à fortiori, qui in ebrietate promittit, non tenetur ſeruare promiſſum; Ideo enim conſuetudinarius, non tenetur; quia, cum ex conſuetudine, & ſine aduertentià promittat, non habet animum promittendi, qui tamen, ad Votum eſſentialiter requiritur. Sed etiam, qui in ebrietate promittit, non habet animum promittendi; Aliam enim voluntatem non habet, quam ebrietatis. Ergo etiam, in ebrietate promittens, non tenetur ſeruare promiſſum. Titius autem ſupponitur, in ebrietate, promiſiſſe.

6 Tertiò; Quia, ſi quis, ante ebrietatem, voluntatem haberet conſecrandi, & in ebrietate deinde, ſupra materiam debitè præſentem, verba conſecrationis proferret, nõ propterea conſecraret. Ergo etiam, ſi Titius, ante ebrietatem, voluntatem habuerit ſe obligandi, &, in ebrietate deinde, verba promiſſoria protulerit, non propterea ſe obligauit, & conſequenter neque tenetur ſoluere, quod ſic promiſit. Conſequentia probatur; Ideo enim ille non conſecraret, quia conſecrandi voluntas, quam ante ebrietatem habuit, tunc non concurreret, neque influeret in prolationem verborum conſecrationis, neque illam vllo modo cauſaret, quod tamen, ad veram, ac validã conſecrationem, neceſſariò requiritur; Eius enim concurſus, ab ebrietate impediretur Sed, propter eãdem rationẽ voluntas ſe obligandi, quam ante ebrietatem Titius habuit, non influit in verba promiſſoria, tempore ebrietatis prolata. Ergo neque Titius, per talem promiſſionem, obligabitur.

7 Quartò; Quia, aſſignari non poteſt, quando nam promiſſio à Titio in ebrietate ſic facta, incipiat eſſe valida, eumque obligare; Ergo nõ eſt valida. Antecedens probatur; Quia non incipit eſſe valida ante ebrietatem; tunc enim non dabatur voluntas abſoluta ſe obligandi, ſed ſolum velut conditionata; *ſi verba promiſſoria protulerit*; quæ tamen voluntas, ad promiſſionis valorem eſſentialiter requiritur; Neque incępit eſſe valida, cum Titius, verba promiſſoria protulit; quia tunc, cum careret libertate, erat incapax obligationem contrahendi. Cum ergo aſſignari non poſſit, quandonam incęperit obligare, nunquam obligauit, & conſequenter non fuit valida.

8 Quintò, Quia, Ideo abſolutio data ſub conditione de futuro; *vt ſi quis dicat; abſoluo te, ſi reſtitueris*; non eſt valida, quia neque eſt valida tunc, cum impenditur, neque

que tempore, quo conditio adimpletur; ſed etiam promiſſio, ſic conditionaliter facta, neque eſt valida tempore, quo datur voluntas conditionata ſe obligandi; neque tempore, quo ponitur conditio. Ergo neque promiſſio, ſic facta, eſt valida: Minor probatur; quia ideo abſolutio neutro tempore, eſt valida, quia, tempore adimpletæ conditionis, non exiſtit materia, & forma, quæ tamen ſunt partes, ad Sacramenti valorem, eſſentialiter requiſitæ; tempore verò, quo verba abſolutionis proferuntur, non datur intentio conficiendi Sacramentum, ad illud eſſentialiter requiſita; Cum voluntas conditionata, quandiu talis eſt, maneat ſuſpenſa, & nihil operetur, ſed intendat Sacramentum conficere, ſolùm, quando erit adimpleta conditio. Hæc autem omnia, militant etiam in promiſſione, quæ ſupponitur facta à Titio, vt dictum eſt. Ergo hæc etiam, erit inualida; ideoque illum nullo modo obligabit.

NOTABILE.

9 ADuertendum eſt; ad Sacramentum valide conficiendũ, neceſſariò requiri voluntatem, ſiue intentionem Sacramentum conficiendi, vel actualem, vel virtualem, tunc, cum à Miniſtro proferuntur verba formæ; V.G. Verba Conſecrationis, vel abſolutionis; Quia Voluntas illa, ſiue intentio, ad illam verborum prolationem concurrere debet, eamque cauſare; Externa enim verborum prolatio, intantum eſt conſecratio, in quantum pendet, & oritur ab intentione conſecrandi. Id autem, quod ad aliud per modum cauſæ efficientis concurrere debet, tunc, cum ad illud concurrit, exiſtere neceſſariò debet, vel in ſe, vel in ſuà virtute; quia cauſa efficiens, cauſat, vt exiſtens; nec ſol illuminare poſſet, ſi actu non exiſteret. Quod ſi intentio conſecrandi, ad prolationem verborum Conſecrationis cõcurrere non deberet, neque neceſſe eſſet, vt tunc exiſteret, vel in ſe ipsà, vel in ſuà virtute; ſed ſatis eſſet, quod aliquo modo præceſſiſſet, nec fuiſſet retractata; Sic enim, qui heri habuit intentionem, ac voluntatem offerẽdi hodie Sacrificiũ pro Caio; etiamſi hodie nullam habeat voluntatem applicandi Sacrificium Caio, ſatisfacit obligationi, quà illi hodie Sacrificium applicare tenetur; quia voluntas iſta, influere non debet in Sacrificium. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

10 AD Caſum, Reſpondetur; Titium, teneri ad ſoluendos Sempronio centum aureos, quos illi, in ebrietate, promiſit. Ita *Suar. tom.3. de Relig. lib. 6. c. 5. num.9. & tr.2. lib.4. de Voto cap. 17. num.9.* vbi probat, non eſſe, promiſſionem factam in ebrietate, ſed ante ebrietatem; conditionaliter tamen; *Nau. c.12. ſum. n. 46. Clauis reg. lib.6. c. 8. num.3. Bonac. d.1. de Sacr. qu.3. p.2. ſ.3. n.17. Azor. lib. 11. c.20. Arag. 2.2.q. 88. ar.1.* & alij communiter.

Pri-

11 Primò; Quia promiſſio conditionalis obligat, poſitâ conditione; ſi quis enim voueret, ſe nunquam amplius vinum bibiturum, ſi quempiam, in ebrietate, occiderit; Et deinde aliquem, ebrius, occideret; à vino abſtinere teneretur; & Votum ſeruare. Sed etiam Titius promiſit, ſe ſoluturum, ſi quid, in ebrietate, promitteret; & in ebrietate promiſit 100. Sempronio. Ergo etiam Titius, illos ſoluere tenetur. Maior probatur; Quia Vouens, verè habuiſſet animum ſe obligandi, & animus ille fuiſſet omnino liber, nec quidquam illi deeſſet ad obligandum.

12 Secundò; Quia, ſi quis Sacrificium teneretur cras applicare pro aliquo, & hodie voluntatem haberet offerendi cras Sacrificium pro illo; etiam ſi poſtea cras nullam aliam voluntatem haberet Sacrificium offerendi pro illo; Ex vi voluntatis hodiernæ, verè ſatisfaceret obligationi; & Sacrificium illi validè eſſet applicatum. Ergo etiā Titius, ex vi illius voluntatis ſe obligandi, quam ante ebrietatem habuit, manere poſtea potuit ſufficienter obligatus, cum in ebrietate verba promiſſoria protulit; quamuis tunc nullam aliam voluntatem habuerit ſe obligandi; Si enim voluntas illa, ſine aliâ noua voluntate, validè Sacrificium applicare potuit; cur non potuit etiam voluntas ſe obligandi, quam Titius ante ebrietatem habuit validè illum, ſine aliâ nouâ voluntate obligare? Antecedens autem probatur; Quia voluntas Sacrificij applicatiua, cum ad Sacrificium concurrere non debuerit, nec in illud influere, conſequenter neque ad illud validè applicandum, exiſtere debuit tunc, cum Sacrificium celebrabatur, ſed ſatis fuit, quod præceſſerit, nec fuerit reuocata.

13 Tertiò; Quia, ſi Titius Sempronio centum aureos promiſiſſet, ſi Pater conſentiret; vel, ſi à Deo, ex tali infirmitate, liberaretur; certè, poſitâ conditione, illos ſoluere teneretur; Per poſitionem enim conditionis, voluntas, ex ſtatu conditionali, tranſiret ad abſolutum; Sicque inciperet obligare; Sed etiam per prolationem promiſſionis verbalis, in ebrietate factam, promiſſio conditionalis tranſijt in abſolutam. Ergo illa etiam, Titium obligauit ad ſoluendos centum Sempronio; Neque obſtat, quod prolatio illa promiſſionis verbalis, facta fuerit ſine libertate; Nam, non eſt conditio, quatenus liberè ponenda, ſed quatenus ponenda in ebrietate. Adde, quod, neque in Titij poteſtate eſſet, conſenſus Patris, vel liberatio ex infirmitate; Et tamen nihilominus, iſtorum poſitio ſufficeret, ad obligationem contrahendam. Ergo, eodem modo, ſufficiet poſitio promiſſionis verbalis, quamuis ſine vllâ nouâ libertate.

14 Quartò; Quia Titius, per Procuratorem, contrahere, & obligari, poteſt vinculo matrimonij, quod eſt vinculum omnium maximum quamuis ipſe dormiat, vel ſit ebrius, dum Procurator, actu, eius nomine, contrahit. Ergo à fortiori, obligari potuit, dum protulit verba

promiſſoria; quamuis tunc fuerit ebrius. Sicut enim, dum matrimonij contractus, ab eius Procuratore poneretur, ipſe principàliter obligaretur à voluntate, quà Procuratori mandauit, vt eius nomine contraheret, quæ voluntas fuit omnino liberà, ac plene voluntaria; Ita, in caſu præſenti, obligatur principaliter à voluntate, quà ante ebrietatem, libere obligari voluit, quoties, in ebrietate, verba promiſſoria proferret; Et, ſicut, tunc, minus ſolùm principaliter obligaretur ab Procuratoris actione, ipſo tunc inſcio, poſità, tanquam à conditione; Ita, in caſu præſenti, à verbali promiſſione, minus ſolùm principaliter obligatur, & tanquam à conditione.

15 Quintò; Denique, quia tota promiſſio, quoad ſubſtantiam, ante ebrietatem, omnino libere fuit poſita; fuit enim poſita voluntas ſe obligandi, in quà eſſentialiter conſiſtit promiſſio, quoad ſubſtantiam; quamuis, quia voluntas, eſt conditionalis, requiratur deinde promiſſio verbalis, tanquam conditio, vt actu obliget; ſicut, cum accenditur lucerna, ponitur tota cauſa illuminatiua cubiculi, licet, vt illud, de facto, illuminet, requiratur approximatio, ſiue eius poſitio in cubiculo. Non eſt tamen neceſsè, vt conditio, ponatur libere, quia neque eſt neceſſe, vt ſit in noſtrà poteſtate; Vnde, ſicut poteſt non eſſe in noſtrà poteſtate, ita poteſt non eſſe in noſtrà libertate. Satis ergo eſt, vt quomodocumque ponatur, ad hoc vt voluntas conditionalis, tranſeat in abſolutam, & obligare incipiat.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

16 Atque hinc facilè ad rationes oppoſitas patet reſponſio. Ad primam enim; Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia Votum, ante ebrietatem, nullo modo, fuit volitum in ſe ipſo, & directè, ſed ſolùm indirectè, interpretatiue, ac præſũptiue, quatenus fuit volita ebrietas, cum præuiſione conſuetudinis vota emittendi in illà. At, in caſu propoſito; promiſſio, ſiue voluntas directa ſe obligandi, ante ebrietatem fuit poſita; In hac autem, conſiſtit proprie eſſentia promiſſionis. Quod ſi, ſupponeremus, etiam Vouentem in ebrietate, ante illam, habuiſſe voluntatem ſe obligandi, ſi Vota emitteret in ebrietate; In eo caſu, etiam Votum, ab eo, in ebrietate emiſſum, eſſet validum, ex vi voluntatis ſe obligandi, quam ante ebrietatem habuiſſet.

17 Ad ſecundam; Reſpondetur eodem modo; Iurantem ex conſuetudine, ad nihil teneri; quia iuramentum illud, ac promiſſio, non eſt volita in ſe ipsà, ſed ſolùm indirectè in prauà conſuetudine, in cuius victorià negligens fuit. At verò, promiſſio, in caſu propoſito, ante ebrietatem, fuit à Titio volita, directè, & in ſe ipsà; ideoque illum obligare potuit.

18 Ad tertiam; Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia ad valide conſecrandum, requiritur, vt ipſa prolatio verborum conſecrationis,

actu

actu procedat, ex intentione conſecrandi, vel actuali, vel virtuali, & ab ipsà dependeat, tanquam à causà efficiente, cum ipsà verborum prolatio, ſolùm vt procedens ex tali intentione, ſit forma Sacramenti. At, ad valide promittendum; non eſt neceſſe, vt promiſſio verbalis procedat ex actuali, vel virtuali voluntate ſe obligandi, ſed ſatis eſt, quod quomodocunque ponatur; cum non obliget tanquam eius effectus, ſed ſolùm, tanquam conditio, ad obligandum requiſità.

19 Ad quartam; Reſpondetur; Obligationem cæpiſſe, cum Titius verba promiſſoria protulit in ebrietate. Tunc enim, poſita fuit conditio, ad obligandum requiſita. Neque obſtat, quod tunc Titius non eſſet liber; Nam hoc ad obligationem non requiritur; Sicut enim, conditio potuit non eſſe in poteſtate Titij; vt, ſi promiſiſſet dependenter à conſenſu Patris; Ita potuit non eſſe in eius libertate; Neque conditio obligat, ex eo, quod ſit libera, ſed ſolùm ex eo, quod ſit poſita.

20 Ad quintam; Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, primò; quia abſolutio, requirit voluntatem abſolutam Sacramentum conficiendi tunc, cum verba abſolutionis proferuntur; cum Sacramenta ſuſpendi non poſſint, excepto matrimonio; Votum verò, vel Promiſſio, non requirit neceſſariò voluntatem abſolutã, ſed fieri etiam poteſt per conditionatam. Secundò; Quia Sacramentum Pœnitentiæ, cum ſit ſignum ſenſibile, conſiſtit, non ſolùm in voluntate Sacramentum conficiendi, ſed etiam principaliter in verbis abſolutionis. At Votum, vel Promiſſio, adæquatè conſiſtit, in voluntate ſe obligandi, licet deinde, quando hæc, eſt conditionata, requiratur conditionis poſitio, vt actu obliget. Tertiò denique, Quia, in Sacramentis, verborum prolatio, oriri debet ex voluntate Sacramentum conficiendi, vel actuali, vel virtuali, quæ propterea tunc debet adeſſe. At, prolatio promiſſionis verbalis, cauſari neceſſariò non debet àb ipsà voluntate ſe obligandi; ſed quando eſt conditio, ſatis eſt, quod quomodocumque ponatur.

COROLLARIA.

21 Colligitur ex dictis primò; Ad obligandum, ſufficere voluntatem quomodocunque præteritam, non retractatam, & poſitionem illius conditionis, ſub quà, quis vult obligari; Sicut, ad applicandum Sacrificium pro aliquo, ſufficit voluntas præterita non retractata, & poſitio Sacrificij; Si quis enim, hodie promittat, dare, poſt menſem, centum aureos Sempronio; Statim, poſt menſem, ſine novà voluntate, incipit obligari. Cuius rei ratio eſt; Tum quia, voluntas ipſa, cum ſit cauſa obligationis, eſt etiam eiuſdem obligationis menſura, ita vt eo ſolùm modo obligetur, quo ipſa vult obligari, & non aliter; Tũ quia, eſt cauſa obligationis, non phyſica, ſed moralis, ſicut ipſa

obligatio, eſt effectus moralis, non phyſicus. *Suar. de Sacr. diſp.* 13. *ſect.* 3. *concl.* 2.

22 Secundò; Ad Sacramenta, non ſufficere voluntatem præteritam, non retractatam, ſed requiri aliquo modo præſentem, vel actualiter, vel virtualiter; quia voluntas Sacramentum conficiendi, debet eſſe cauſa phyſica conſecrationis, ac prolationis verborum formæ, eo quod verba illa, determinare debeat adeſſe Sacramentale. Ad hoc autem requiritur, vt ſit aliquo modo præſens, *Sayrus lib.* 2. *c.* 5. *quæſt.* 5. *art.* 2. *ad finem*.

23 Tertiò; Illum inualidè baptizare, qui, ante ebrietatem, intendit aliquos, tempore ebrietatis, baptizare; Tum quia, tempore ebrietatis, non adeſt intentio actualis, vel virtualis; Cum, per ebrietatem, interrumpatur. Tum quia, actio baptizandi, debet eſſe humana, ac libera. *Coninch. de Sacramentis qu.* 64. *art.* 8. *d.* 2. *num.* 74.

24 Quartò, Eum, qui in ebrietate, recipit baptiſmum, quem, ante ebrietatem petierat, validè illum recipere; Quia voluntas baptiſmum recipiendi, non debet eſſe cauſa, ad illum concurrens, ſed ſolùm mera diſpoſitio, ex parte ſubiecti, ad illum recipiendum; nec receptio neceſſariò requirit in recipiente libertatem, cum eſſe non debeat actio humana ipſius Recipientis; Sicut, cum conficitur Sacramentum, actio, per quam conficitur, debet eſſe actio humana ipſius Conficientis. *Suar. ſec.* 3. *concl.* 1.

QVAESTIO XXIII.

An error circa Perſonam, cum quà agitur, reddat actum inualidum.

CASVS.

1 TITIVS, equum emit à Cæſare, quem putabat, eſſe Pompeium; & eundem deinde donauit Seio, putans eſſe Sempronium. Quæritur; an emptio illa, & donatio, fuerint validæ.

SVM-

SVMMARIVM.

6 *De cuiuſcumque actus eſſentiâ, ſunt, eius materia, & cauſa finalis.*

7 *Quæ ſit cauſa materialis, & finalis Emptionis.*

8 *Quæ ſit cauſa materialis, & finalis Donationis.*

9 *Emptio ex errore circa Perſonam Venditoris, eſt valida:*

10 *Perſona Venditoris eſt circunſtantia Emptioni accidentalis.*

11 *Sicut qualitas Perſonæ, cum quà contrahitur, in Matrimonio.*

12 *Emptio eſſentialiter reſpicit ſolum æqualitatem, inter pretium, & rem.*

13 *Metus inducens ad emendum, emptionis valorem non tollit.*

14 *Emens, regulariter, voluntatem habet abſolutam, non conditionatam.*

15 *Donatio ex errore circa perſonam Donatarij, eſt inualida.*

16 *Perſona Donatarij, pertinet ad cauſam finalem Donationis.*

17 *Voluntas, in Donatione; ſemper eſt virtualiter conditionata.*

18 *Donatio, Perſonam eſſentialiter reſpicit.*

19 *In quo differant contractus oneroſi, & gratuiti.*

20 *Error circa cauſam inductiuam, Oneroſos non vitiat.*

21 *Aliquando etiam non vitiat Gratuitos.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm ex dictis conſtet, ad actus valorem, requiri neceſſariò voluntatem directam ſe obligandi, nec ſufficere indirectam; ideoque Ignorantiam, præſertim antecedentem, eorum valorem, vt plurimum, impedire. Quęri ſolet, an hæc voluntas, ita requiratur circa Perſonam, cum quà agitur, vt error, vel ignorantia, circa illam, ſufficiat ad reddendum actum inualidum.

3 Et quidem, in Caſu propoſito, emptio videtur fuiſſe inualida ex defectu conſenſus neceſſarij, ac ſufficientis. Ita *Reginaldus lib. 31. num. 92. Coninch. d. 31. de matr. d. 1. num. 9. Henriq. lib. 11. c. 10. num. 1. Rebell. lib. 3. quæſt. 2. nu. 2. Sanch. lib. 7. matr. d. 18.* qui hoc probant de ſimili contractu Matrimonij.

4 Primò; Quia Titius, dum equum emit à Ceſare, putans, eſſe Pompeium, videtur voluntatem conditionatam habuiſſe, emendi equum, ſi Venditor eſſet Pompeius, illum aliàs non empturus ab alio. Cum ergo, hæc conditio defecerit, defecit etiam conſequenter conſenſus, ad emptionis valorem, omnino neceſſarius; Emptio enim, ſicut & quilibet alius contractus, in hoc cõſenſu conſiſtit.

5 Secundò; Quia, ſi emptio equi, facta cum errore, circa Perſonam Venditoris, valida fuiſſet, etiã valida fuiſſet donatio eiuſdem equi facta Seio, cum ſimili errore circa Perſonam Donatarij; Si enim Perſona

Venditoris, ad emptionis ſubſtantiam non pertinet, neque Perſona Donatarij pertinebit ad ſubſtantiam Donationis; Et, ſi ſola emptionis materia, ad emptionis ſubſtantiã pertinet, cur non etiã ſola materia donationis pertinebit ad ſubſtantiam donationis; Conſequens autem eſt falſum; Quia Donatio, facta cum errore Perſonæ, eſt inualida; Non ſolum enim res, quæ donatur, ſed etiam Perſona, cui fit donatio, pertinet ad ſubſtantiam donationis, vt docent communiter Doctores; *cum Vaſq. opuſc. de reſtitut. c. 7. d. 10. num. 91.*

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; In quocumque Voto, ac Contractu, duo eſſe neceſſariò de eorum eſſentiâ, ac ſubſtantiâ; materiam, ſcilicet, & cauſam finalem, ſiue finem, propter quem, circa talem materiam, ponitur operatio; Sic enim, cum quis vouet, talem domum non ingredi, ad vitandam occaſionem peccandi; non ſolùm ingreſſus in talem domum, quæ eſt materia; ſed etiam vitatio occaſionis peccandi, qui eſt finis; ita ſunt de eſſentiâ iſtius Voti, vt altero eorum deficiente, Votum ſtatim deficiat; Siue enim domus deſtruatur, ſiue abeat inde meretrix, Voti obligatio ſtatim ceſſat. Similiter, cum quis equum pretio emit; non ſolùm pretium, quod eſt emptionis materia, & id, quod traditur ab Emptore; ſed etiam equus, qui eſt cauſa finalis, ſiue id, ad quod obtinendum, traditur pretium, ad emptionis ſubſtantiam pertinet; altero enim eorum deficiente, iam non eſt amplius emptio. Ratio autem huius rei eſt; quia, cum voluntas operetur ſemper circa aliquid, & propter aliquem finem; ſequitur, quod ad omnem ſuam operationem, hæc duo eſſentialiter requirat; & conſequenter, quod hæc duo, ad eſſentiam cuiuſcumque operationis noſtræ voluntatis pertinere dicantur; inter quas etiam, ſunt, Votum, & contractus.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Cauſam materialem, ſiue materiam emptionis; eſſe pretium; hoc enim eſt id, quod traditur; Cauſam verò finalem, ſiue finem, eſſe, equi acquiſitionem; hæc enim eſt id, quod intenditur, & ad quod obtinendum ordinatur pretij traditio: Quod autem equus habeatur à Petro, vel à Paulo, eſt circunſtantia, emptioni mere accidẽtalis; ſine illâ enim, tota venditionis eſſentia haberi poteſt. Quoniam verò pretium non eſt emptionis materia, niſi, vt æquiualens equo, neque equus eſt finis, niſi vt æquiualens pretio; (cum enim emptio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, eſſentialiter reſpicit æqualitatem inter pretium, & rem;) hinc fit, vt ad emptionis valorem, omnes qualitates, & conditiones communiter cognitæ, tam pretij, quam Rei, notę eſſe debeant Emptori; Error enim circa illas, tolleret conſenſum circa ipſam materiam, vel finem, & conſequenter circa eſſentialia contractus; cum ipſæ, eſſentialiter conſtituant æquiualentiam pretij, cum

re,

re, & è contra : Aliæ vero qualitates, & circunſtantiæ accidentales, ignorari poſſint, ſine præiudicio valoris, quia non tollunt conſenſum ſubſtantialem, qui ad contractus valorem eſſentialiter requiritur.

8 Aduertendum eſt tertiò; in donatione, materiam eſſe, rem, quæ traditur à Donatore, finem verò, eſſe, Donatarij beneuolentiam erga ſe, & amicitiam, acquirere, aut fouere, aut augere; vel, ſi donatio fiat titulo gratitudinis, beneficia à Donatario accepta aliquo modo compenſare. Beneuolentia autem, eſt eſſentialiter connexa cum tali Perſonà; huius enim beneuolentiã determinate intendit acquirere Donator, per donationem, & non alterius, & beneficia ab hoc accepta compenſare; beneficia enim, non accepit ab alio, ſed ab hoc. Hinc ergo fit, vt donatio, Perſonam Donatarij eſſentialiter reſpiciat, tanquam, aliquid pertinens ad eius cauſam finalem, & non ſolùm tanquam circunſtantiam, mere accidentalem; ſicut emptio, reſpicit Perſonam Venditoris. His poſitis.

RESOLVTIO I.

9 Reſpondetur primò; Emptionem fuiſſe validam. Ita *Vaſq.* 1. 2. *d.* 30. *cap.* 4. *num.* 28. *Sanch. lib.* 4. *ſum. c.* 2. *nu.* 3. *Azor. tom.* 1. *c.* 18. *quæſt.* 4. *Reginald. to.* 2. *lib.* 31. *c.* 14. *n.* 97. & alij communiter.

10 Primò; Quia, in emptione, error circa Perſonam Venditoris, eſt error ſolùm circa circunſtantiam accidentalem. Cum hoc autem errore, dari poteſt conſenſus circa ſubſtantiam contractus, ad eius valorem ſufficiens; cum enim, nihil ſit volitum, quin præcognitum, quando error eſt ſolùm circa circunſtantiam accidentalem, non tollit, quin contractus ſit, quoad eſſentiam, voluntarius, & conſequenter voluntarius ſimpliciter; eſto, ſit inuoluntarius ſecundum quid, ſiue reſpectu illius accidentis, circa quod, eſt error. Contractus autem, eo ipſo, quod eſt voluntarius ſimpliciter, eſt voluntarius quantum, ad eius valorem, & requiritur, & ſufficit.

11 Secundò; Quia, in matrimonio, error etiam antecedens circa qualitatem Perſonæ; Vt, ſi quis cum Bertà contrahat, quia putat eſſe diuitem, cum tamen ſit pauper; Iure naturæ, matrimonium non irritat, quia cauſa, ſiue diuitiæ, in quibus erratur, ſunt extra eſſentiam Matrimonij; ideoque conſenſum ſubſtantialem ad Matrimonium ſufficientem non tollunt. Sed etiam, in emptione, Perſona Venditoris, eſt extra emptionis eſſentiam, vt patet ex dictis. Ergo error circa illam, emptionem non irritabit.

12 Tertiò; Quia contractus emptionis, pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Hæc autem eſſentialiter reſpicit ſolùm æqualitatem inter pretium, & rem, nec curat de Venditoris Perſonà, quæ propterea, ad emptionis valorem, omnino per accidens ſe habet.

13 Quartò; Quia, metus, quamuis

 in-

inducat ad emendũ, non propterea reddit emptionem, iure naturæ, irritam, cum relinquat libertatem ſufficientem ad eius valorem. Sed etiam error circa Perſonam Venditoris, relinquit libertatem ſufficientem circa emptionem, cum Venditoris Perſona ad eius eſſentiam non pertineat, vt dictum eſt. Ergo neque error Perſonæ Venditoris, reddet emptionem, iure naturæ, irritam; ideoque emptio equi, facta à Titio, fuit valida.

14 Neque obſtat, quod Titius, ſub hac implicitâ conditione, in emptionem conſenſerit; *ſi Venditor ſit Pompeius*; Nam, quamuis habere potuerit hanc voluntatem conditionatam, (in quo caſu, emptio non fuiſſet valida, quia, non ſubſiſtente conditione, non fuiſſet ſimpliciter conſenſus in illam;) de facto tamen, illam non habuit, ſed abſolutam; Quia, hæc eſt, quæ regulariter haberi ſolet; Neque vllus præſumitur vnquam habere cõditionatam, niſi hoc exprimat: Sic enim, etiam in Matrimonio, cum quis contrahit cum Bertâ, putans, eſſe diuitem, cum tamen ſit pauper; Quamuis ille, qui contrahit, vtramque hanc voluntatem habere poſſit; C*ontraho tecum*, *quia diues es*; *& contraho tecum, ſi diues es*. Niſi tamen, de hac ſecundâ, ſe explicet; ſemper præſumitur habere primam; quia hæc regulariter haberi ſolet ab omnibus; Error enim circa cauſam, quæ inducit ad contrahendum, non reddit regulariter conſenſum conditionatum, & conſequenter neque contractum ſimpliciter inuoluntarium.

RESOLVTIO II.

15 Reſpondeo ſecundò; Donationem fuiſſe inualidam: Fuit enim facta, cum errore circa Perſonam Donatarij; Error autem perſonæ; donationem reddit inualidam. Ita *Vaſq. opuſc. de reſt. c.* 7. *d.* 10. *num.* 91. *Layman. lib* 3 *tr.* 4. *ſ.* 5. *c.* 5. *nu.* 1. *Sanchez l. b.* 7. *matr. d.* 19. *num.* 20. *Suar. tom* 2. *de relig. lib.* 2. *de iuram. c.* 11. *num.* 5. *Leſſius lib.* 2. *c.* 42. *d.* 7. *num.* 33. & alij communiter.

16 Primò; Quia, Perſona Donatarij, pertinet ad cauſam finalem donationis, vt dictum eſt; & conſequenter ad eius eſſentiam; Sicut Perſona pauperis in genere, pertinet ad cauſam finalem eleemoſynæ, cum hæc eſſentialiter ordinetur ad eius indigentiam ſubleuandam. Error autem circa cauſam finalem, tollit conſenſum neceſſarium ad valorem donationis.

17 Secundò; Quia, Donatio, Promiſſio, Votum, & omnes contractus non oneroſi, ſed gratuiti; totam ſuam vim habent ex voluntate, ac intentione Donantis; hæc autem ſemper cenſetur eſſe conditionalis, ſi videlicet cauſa, à quâ quis inducitur ad donandum, ſubſiſtat; hic enim cenſetur eſſe animus ſaltem implicitus Donantis; non donare, niſi cauſa ſubſiſtat. Cum ergo, cauſa inducens ad donandum, non ſubſiſtat, quando circa Donatarij Perſonam contingit error; ſequitur, donationem tunc eſſe inualidam.

18 Tertiò; Quia, Donatio non pertinet

tinet ad Virtutem Iuſtitiæ, ſicut emptio, alijque contractus Onerôſi; ſed ad virtutem liberalitatis, vel gratitudinis. Hæ autem Virtutes, eſſentialiter reſpiciunt Perſonam determinatam, in quam liberalitas, vel gratitudo exercetur; ſicut Virtus eleemoſynæ, ſiue miſericordiæ, eſſentialiter reſpicit, in genere, Perſonam pauperis, cuius indigentiam ſubleuat.

COROLLARIA.

19 COlligitur ex dictis primò; Cōtractus oneroſos, in hoc differre à gratuitis, quod in oneroſis, Perſona non pertinet ad eſſentiam contractus; excepto tamen matrimonio, in quo Perſonæ ipſæ Contrahentium ſunt materia contractus: In Gratuitis verò, Perſona pertinet ad eſſentiam, ac ſubſtantiam contractus.

20 Secundò; In contractibus oneroſis, errorem antecedentem, ſiue circa cauſam, quæ inducit ad contrahendum, illos, iure naturæ, non irritare; Cum quis enim, ex errore, dicit; *Contraho cum Bertà, quia diues eſt*; Matrimonium eſt validum, licet contingat error circa cauſam, quæ inducit ad contrahendum; quia ſcilicet, cauſa illa, eſt extra ſubſtantiam, & eſſentiam matrimonij, ſed ſolum circunſtantia aliqua accidentalis. In Gratuitis verò, errorem circa cauſam inductiuam ad contrahendum, illos, iure naturæ, irritare; quia in his, voluntas contrahendi, eſt ſemper conditionata, *Si cauſa, quæ inducit ad contrahendum, ſubſiſtat*; Quod, in contractibus oneroſis, non contingit.

21 Tertiò; Donationem, quamuis Donatarij Perſonā eſſentialiter reſpiciat, illam tamen non reſpicere ſemper determinatè, & in indiuiduo, ſed aliquando ſolùm indeterminate, & ſub aliquà ratione communi; Cum quis enim dat eleemoſynam Petro, ad eius inopiam ſubleuandam, non dat illi eleemoſynam, quatenus Petrus eſt, ſed ſolùm quatenus pauper eſt. Hinc autem fit, vt etiamſi ille, ſe fingat Paulum, adhuc eleemoſyna valida ſit, quia adhuc eſt pauper; Quod autem ſit Petrus, vel Paulus, eſt ſolùm conditio aliqua, & circunſtantia accidentalis, quæ eleemoſynæ eſſentiam non mutat; Vnde error circa illam, non eſt error circa ſubſtantialia eleemoſynæ, qui ſolus eam reddere poteſt inualidam, ſed ſolum circa aliquod accidens.

QVÆ-

QVAESTIO XXIV.

An error circa motiuum operandi, reddat operationem inualidam.

CASVS.

1 BERTA, putans, Maritum à Purgatorij pœnis non liberandum, niſi illius debitis ſolutis. Ei morti proximo cum iuramento promiſit, ſe eius debita ſoluturam. Quęritur; an, iure naturæ, ex vi talis promiſſionis, ea ſoluere teneatur.

SVMMARIVM.

7 *Contractus Oneroſi, habent motiuum diſtinctum à motiuo Operantis; ſecus gratuiti.*

8 *In gratuitis, idem ſemper eſt motiuum Operis, & Operantis.*

9 *Ideo error circa motiuum operandi, hos ſemper irritat.*

10 *Motiuum operandi, in iſtis, eſt cauſa finalis intrinſeca operationis.*

11 *Promiſſio ex errore circa motiuum promittendi, non obligat.*

12 *Error circa motiuum, tollit animum ſe obligandi.*

13 *Eſt error antecedens.*

14 *Eſt error circa cauſam finalem intrinſecam.*

15 *Debitorum ſolutio, Animæ Defuncti non prodeſt.*

18 *Promiſſio obligat, cum includit animum ſe obligandi.*

19 *Promiſſio conditionata, hunc animum non includit, cum datur error circa conditionem.*

20 *Iuramentum, non magis obligat, quam Promiſſio.*

21 *Debitorum ſolutio, prodeſt defuncto, cum rationem habet Eleemoſynæ.*

22 *In contractibus lucratiuis, idem eſt finis operis, & Operantis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm Homo, ex eo, quod rationalis ſit, nunquam ſine aliquo motiuo operetur; Quæritur, an, ſicut; dum errat circa perſonam, cum quà agit, error ille, ſufficit aliquando ad reddendam ipſam actionem inuoluntariam, & conſequenter inualidam; Ita, ad hoc, ſufficiat error circa motiuum, à quo ad operandum inducitur; Si enim non ſufficit; Berta, Mariti debita ſol-

uere

uere tenebitur, ſi verò ſufficit, non tenebitur.

3 Aliquibus ergo videtur; Bertam ex vi promiſſionis, teneri ad debita Mariti ſoluenda. Ita *Medina c. de reſtit. qu.4. §. ſequitur. Salaſ. 1.2. tract. 3. d.4. num.45. Coninch. de Sacr. d.31. d.1. num.7.*

4 Primò; Quia promiſſio de re licità, imo, honeſtà, obligat, cum ſit datio fidei, & hæc obliget ad fidem ſeruandam. Sed Berta, Mariti debitorum ſolutionem promittendo, promiſit aliquid honeſtum; aliena enim debita ſoluere ad alium ſubleuandum, eſt actus charitatis. Ergo promiſſionem implere tenetur, & Mariti debita ſoluere.

5 Secundò; Quia Berta, non ficté, ſed verè, Marito promiſit, ſe eius debita ſoluturam. Ergo animum habuit ſe obligandi ad ea ſoluenda, ideoque verè ſe obligauit, & ea ſoluere tenetur.

6 Tertiò; Quia Berta, promiſſioni addidit iuramentum; hoc autem obligat ad rem promiſſam ponendā, ne Deus, per iuramentum, dicatur adductus in teſtem falſitatis.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; Contractus Gratuitos; quales sūt, Promiſſio, Donatio, &c. In hoc differre ab Oneroſis; quales ſunt; Emptio, Locatio, Conductio, & ſimiles. Quod Gratuiti, nullum aliud habent motiuum, aut finem, quam motiuum, vel finem ipſius Operantis; Cum quis enim, dat Pauperi pecuniam, ad eius inopiam ſubleuandam; donatio illa, nullum alium habet finem, quam pauperis ſubleuationem, qui eſt etiam finis ipſius Donantis. At verò, Oneroſi, proprium habent motiuum, ac finem, à fine Operantis, plerumque, diuerſum; Si quis enim, Pauperem conducat ad laborandum in Vineà, vt deinde det illi mercedem, ad eius inopiam ſubleuandam; Conductio illa, proprium habet finem, ab eà inſeparabilem, qui eſt Vineæ cultura; Ad hanc enim, Conductio illa eſſentialiter ordinatur; Hic autem finis, eſt diuerſus, ab inopiæ ſubleuatione; quæ eſt finis, ac motiuum Conducentis, ad conducendum.

8 Aduertendum eſt ſecundò; Hinc neceſſariò ſequi, vt in Contractibus gratuitis, idem ſemper ſit motiuum, ſiue finis operationis, ac Operantis; & conſequenter, quod motiuum Operantis, ſit intrinſecum operationi, & ad eius eſſentiam pertineat. Inopiæ enim ſubleuatio, ita eſt finis intrinſecus illius donationis, vt hæc, ab illà eſſentialiter pendeat, & per illam conſtituatur in eſſe talis donationis. At verò in Oneroſis, licet idem poſſit eſſe aliquando finis operationis, ac Operantis; (vt, ſi quis pauperem conduceret ad laborandum in Vineà, ad Vineæ culturam obtinendam;) poteſt tamen etiam eſſe diuerſus; (Vt, ſi eum conducat, ad eius inopiam, mercede, ſubleuandam;) Tunc enim, eſt ipſi operationi extrinſecus, & ad eius eſſentiam non pertinens.

9 Aduertendum eſt tertiò; Ex his omnibus colligi; Errorem circa

moti-

motiuum operandi, in Contractibus Gratuitis, illos reddere omnino inuoluntarios, ac inualidos; Eo enim ipſo, quod erratur circa motiuum, erratur circa aliquid, pertinens ad eſſentiam, ac ſubſtantiam ipſius operationis, ſiue contractus; Error autem circa aliquid, pertinens ad eſſentiam operationis, illam reddit inuoluntariam; & conſequenter inualidam. At in contractibus oneroſis; Error circa motiuum operandi, non eſt error circa aliquid, pertinens ad eſſentiam ipſius operationis, ſiue contractus; ſed circa aliquid, illi mere accidentale, ac extrinſecum; Error autem circa aliquid accidentale operationi, ſicut non impedit conſenſum in ipſam operationem, ita nec impedit eius valorem.

10 Aduertendum eſt quartò; Ex his, vlterius colligi. In contractibus Gratuitis, motiuum, ſiue id, quod inducit, V. G. Ad donandum, eſſe cauſam finalem intrinſecam ipſius donationis, ſicut eſt cauſa finalis intrinſeca Intentionis, ac voluntatis donandi. Hinc autem fit, vt, ſicut, per errorem circa cauſam finalem intentionis, tollitur intentio donandi; Hæc enim ſemper eſt conditionata; (ſi cauſa inducens ad donandum, ſubſiſtat, cum nemo ſupponatur habere animum donandi, etiamſi cauſa donandi non ſubſiſtat) ita per eundem errorem, tollatur donatio, eiuſque valor; Donatio enim, in tantum eſt valida, in quantum procedit ab intentione, ac voluntate donandi; ideoque, eà ſublatà, eſt omnino nulla. At, in contractibus oneroſis, motiuum, quod inducit, V. G. Ad Operarium conducendum, non eſt cauſa finalis intrinſeca conductionis; hæc enim, eſt Vineæ cultura, vt dictum eſt; ſed solùm extrinſeca, & impulſiua, ſiue finis operantis, non verò ipſius operis. Hinc autem fit, vt, quamuis contingat error circa tale motiuum adhuc conductio ſit valida, quia etiam, poſito tali errore, dari poteſt Intentio, ac Voluntas, ſiue Conſenſus, ad conductionis valorem ſufficiens; adhuc enim dari poteſt voluntas, dandi mercedem, ad Vineæ culturam obtinendam, in quo conſiſtit eſſentia conductionis; quamuis deinde, hoc totum, per aliam voluntatem imperantem, ad Operarij inopiam ſubleuandam, ordinetur; quare inopiæ ſubleuatio, reſpectu Conductionis, non eſt cauſa finalis, ſed ſolum impellens. His poſitis.

RESOLVTIO.

11 AD Caſum, Reſpondetur; Bertam, ex vi promiſſionis, ad debita Mariti ſoluenda non teneri. Ita *Sanch. lib.* 4. *matr. d.* 9. *num.* 15. *Suar. tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de voto c.* 18. *num.* 6. *Nau. c.* 17. *n.* 68. *&* 107. *Valentia* 2. 2. *d.* 5. *quæ.* 6. *p.* 2. *Clauis reg. lib.* 10. *tr.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. *Petr. Nauarr. lib.* 1. *de reſtitut. c.* 2. *num.* 23. *Sylueſter v. Teſtam.* 1. *quæſt.* 9. *Bellarm. lib.* 2. *de purg. c.* 16. *in fine*, & alij apud iſtos.

12 Primò; Quia Berta, non magis tenetur, quàm ſi ficte promiſiſſet; Nō magis enim habuit animum promit-

ten-

tendi, ac ſe obligandi, quam habuiſſet, ſi ficté promiſiſſet. Nam, in promiſſione, eius intentio fuit, Mariti debita ſoluere, ſi hoc eſſet vtile ad eum à Purgatorij pœnis liberandum. Hoc autem non erat vtile; Defunctorum enim Animæ, à Purgatorij pœnis ſubleuantur ſolùm, Eccleſiæ ſuffragijs, Miſſæ Sacrificio, Indulgentijs, Orationibus, alijſque pœnalibus fidelium operibus, non verò debitorum ſolutione. Cum ergo Mariti debita ſoluere ad eius liberationem, non eſſet vtile, ſicut Berta, ex errore putabat, conſequenter, nec ipſa habuit intentionem, ac animum promittendi; qui tamen animus, ad promiſſionis valorem, eſt omnino neceſſarius.

13 Secundò; Quia promiſſio, eſt contractus gratuitus. In his autem, error antecedens, ſiue dans cauſam contractui, illum reddit omnino nullum, ex defectu conſenſus neceſſarij; nihil enim magis eſt contrarium conſenſui, quam error. *L. ſi per errorem: ff. de iuriſdict. omn. Iud.*

14 Tertiò; Quia, Error circa cauſam finalem intrinſecam promiſſionis, cum tollat conſenſum, reddit irritam promiſſionem. Berta autem, errauit circa cauſam finalem intrinſecam ſuæ promiſſionis; Cauſa enim finalis promiſſionis, fuit, Maritum à Purgatorij pœnis liberare. In hoc autem decepta eſt; Quia falſum eſt, Animam, à Purgatorij pœnis non liberari, donec eius debita ſoluantur; Nam Deus Animas, in Purgatorio, non punit, niſi pro culpis proprijs, in hac vità, contractis; Vel ergo Defunctus, non ſoluendo peccauit, vel non peccauit; Si non peccauit, vel quia ſoluere non poterat, vel alià ex causà; puniri non debet; Pœna enim, eſſentialiter ſupponit culpam; Si peccauit, punitur quidem pro culpà negligentiæ in ſoluendo, iuxta menſuram ipſius negligentiæ, & quantum ad eius expiationem ſatis eſt; Verùm, poſtquam hanc pœnam ſuſtinuerit, ſtatim coronam gloriæ conſequetur, ſiue debitum ſit ſolutum, ſiue non. Ipſe enim iam eſt impotens ad ſoluendum, neque eius Salus, ab alterius voluntate pendere debet; Alioquin aliquis in æternum in Purgatorio manere poſſet; Si nimirum, eius Hæres, nunquam debita ſolueret.

15 Neque dici poteſt; quod debiti ſolutio, proſit Animæ defuncti, dum fit ab aliquo, qui aliàs, ſoluere non tenebatur; ſicut tenebatur Hæres, bona Defuncti poſſidens, Quia tunc, talis ſolutio habet rationem eleemoſynæ, ſicque eſt ſatisfactoria pro Animà ipſius Defuncti. Sicut, ſi quis ſolueret debita alicuius, ea ſoluere non potentis, talis ſolutio, haberet rationem eleemoſynæ.

16 Hoc inquam dici non poteſt; Quia gratis dicitur, debiti ſolutionem, factam ab eo, qui ſoluere non tenetur, habere rationem eleemoſynæ; Non enim illam habet reſpectu Creditorum, cum hi non ſint ita pauperes, vt eleemoſynà indigeant, eiuſque ſint capaces; Neque reſpectu Animæ Defuncti; Quia, in tantum reſpectu Defuncti eſſet eleemoſy-

moſyna, in quantum eſſet actus Virtutis; V. G. Iuſtitiæ commutatiuæ erga Creditores, & liberalitatis erga debitorem; Et quilibet actus Virtutis, eſt ſatisfactorius; ideoque Animæ à Purgatorij pœnis ſubleuatiuus; Falſum eſt autem, quemlibet actum Virtutis, eſſe pro peccatis ſatisfactorium; Neque enim, qui ludit, vel iocosè, intra Eutrapeliæ terminos, confabulatur, vel lautè comedit intra terminos Temperantiæ; ludendo, vel comedendo, ſatisfacit pro peccatis; vt conſtat ex communi ſenſu Fidelium; Alioquin etiam Hæres, ſoluendo, ſatisfaceret; Talis enim ſolutio, eſſet actus Iuſtitiæ cōmutatiuæ; Quod tamen communiter non admittitur,

17 Neque eſt eadem ratio de ſolutione Debiti alicuius Viuentis, ad ſoluendum impotentis; Nam, hæc ſolutio, habet veram rationem eleemoſynæ; Debitorem enim ſubleuat à miſeriâ, in quâ reperitur; cum, vel à Creditoribus in carcerem conijci poſſet, vel ſpoliari bonis, quibus indiget, ad vitæ ſuſtentationem; Quod in Animâ Defuncti non militat; ſiue enim eius debita ſoluantur, ſiue non, nihil ei prodeſt, vel obeſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

18 AD rationes autem in contrarium, patet ſolutio. Ad primam enim, Reſpondetur; Promiſſionem de re honeſtâ, obligare, quando eſt vera promiſſio, & includit animum ſe obligandi. Bertæ autem promiſſio, propter errorem circa motiuum promittendi, non fuit vera promiſſio, nec Berta animum habuit ſe obligandi.

19 Ad ſecundam; Reſpondetur, Bertam verè Marito promiſiſſe, & non fictè; Quia tamen, eius promiſſio fuit conditionata, ſi debitorum ſolutio ad Maritum à Purgatorij pœnis liberandum eſſet, vtilis; & hæc conditio, fuit erronea, ac non ſubſiſtens; ideo etiam promiſſionem fuiſſe nullam, & ſubſiſtentem.

20 Ad tertiam; Iuramentum, non magis obligaſſe Bertam, quam obligauerit promiſſio; Iuramentum enim, fuit acceſſorium promiſſioni. Cum ergo, eam promiſſio non obligauerit, vt conſtat; conſequenter; neque illam obligauit Iuramentum.

COROLLARIA.

21 COlligitur ex dictis primo; cum *in Spec. Exemp. diſt. 5. exem. 123. & diſt. 9. exemp. 101.* Legitur. Animas aliquando apparuiſſe, & petijſſe, vt earum debitâ ſoluerentur, vt ſic à Purgatorij pœnis liberari poſſent, *& cum lib. 6. reuel. 1. S. Brigittæ*, affirmari videtur. Animas tandiu cruciari, donec iniuſtè ablatum reſtituatur; Hæc omnia, ita intelligenda eſſe; vt Animæ, ſolutionem illam peterent, tanquam eleemoſynam, creditoribus faciendam, eo quod eſſent pauperes, & ab ijs, qui alias ſoluere non tenebantur; ſicque tanquam opus ſatisfactorium, quod ipſis Animabus prodeſſe poterat, ſicut Ieiunia, orationes, & alia ſuffragia;

Bel-

Bellarm. lib.2. de purg. c.16. in fine.

22 Secundò; Hanc ſtatui poſſe regulam generalem. In contractibus lucratiuis, ſiue gratuitis; eundem eſſe finem Operis, ac Operantis; Idem enim ſemper, eſt finis promiſſionis, vel donationis, ac Promittentis, vel Donantis. In contractibus verò onerofis; non ſemper eundem eſſe finem Operis, ac Operantis; Dum enim quis emit aliquid, vt Amico complaceat, complacere Amico, licet ſit finis Emptoris, non eſt tamen finis Emptionis; nam hic, eſt rei emptæ acquiſitio, vel poſſeſſio, aut dominium: Hinc autem fit, vt donatio, cauſà non ſubſiſtente, ſemper ſit inualida, emptio verò non ſemper, vt melius conſtabit ex dicendis. *Mol. tom. 1. de inſt. tr. 2. d. 209.*

QVAESTIO XXV.

An error circa cauſam impulſiuam, operationem reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS, videns Mercatorem quendam laceris veſtibus indutum; putans, eum eſſe pauperem; miſericordia motus, omnes eius merces, pretio rigoroſo emit, quamuis illis non indigeret, ſolùm vt ſic eius inopiam ſubleuaret. Poſt emptas verò merces, comperit, Mercatorem illum, non eſſe pauperem, ſed Auarum: Quæritur; Vtrum emptio iſta, iure naturæ, fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Error circa cauſam impulſiuã, Operationem non vitiat.*

7 *Quid ſit cauſa finalis intrinſeca; quid extrinſeca.*

8 *Quis finis Operis, & quis Operantis.*

9 *Quid, cauſa finalis, quid Impulſiua.*

10 *Emptio, quamuis ex errore circa motiuum emendi, eſt valida.*

11 *Error tunc, eſt ſolum circa Circunſtantiam accidentalem.*

Sicut

11 *Sicut in Eleemoſynâ, error circa Pauperis mores.*
12 *Et ſicut in matrimonio, error circa Sponſæ diuitias.*
14 *Eſt error circa finem Operantis, non operis.*
15 *Quæ ſit Voluntas emptionis conſtitutiua.*
16 *Voluntas imperans emptionem, ad eius eſſentiam non pertinet.*
17 *Deceptio circa illam, eſt deceptio circa cauſam impulſiuam.*
18 *Regula ad diſtinguendam cauſam finalem ab impulſiuâ.*
19 *Cauſa finalis, quæ.*
20 *Reſpectu voluntatis conditionatæ, quælibet cauſa eſt finalis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CAuſa motiua, ſiue inducens ad operandum; aliquando eſt finalis, aliquando impulſiua; aliquando finalis ſimul, ac impulſiua. Error circa cauſam impulſiuam, Operationis valorem non impedit; Quia, cum hæc, ad eius eſſentiam non pertineat, non tollit conſenſum, qui ad eius valorem, & requiritur, & ſufficit. Error verò circa reliquas duas cauſas, operationis valorem impedit; quia tollit conſenſum, ad illum neceſſarium.

3 Quia tamen, cauſas iſtas ab inuicem diſtinguere, difficile eſt: Indeque oritur, vt aliqui actus reputentur inualidi, qui tamen verè ſunt validi; & è contrà aliqui habeantur, vt validi, qui verè ſunt inualidi; Ideo, vt facilius diſcerni poſſint, præſens caſus proponitur. In quo, emptio facta à Titio, videtur non fuiſſe valida. Ita *Rebell. p.2. de iuſt. & lib.1. de contract. in gen. quæſt.6.ſ.2 Salaſ.1.2. tr.3. d 4. ſ.vlt. num.42.*

4 Primò, Quia non videtur adfuiſſe conſenſus, ad eius valorem neceſſariò requiſitus; Titius enim, in tantum intentionem habuit Mercatoris merces emendi, in quantum putauit, Mercatorem illum, eſſe pauperem. Cum ergo Mercator verè non eſſet pauper, conſequenter neque Titius voluntatem habuit eius merces emendi. Sine hac autem voluntate, emptio non fuit voluntaria, & conſequenter nec valida.

5 Secundò; Quia Titius, videtur intentionem habuiſſe merces emendi ſolùm ſub conditione, quod Mercator eſſet pauper; Ab eius enim paupertate motus eſt, ad eius merces emendas. Sed conditio non fuit poſita, quia Mercator verè non erat pauper. Ergo Titius abſolutè, & ſimpliciter intentionem non habuit eius merces emendi. Sine hac autem intentione, emptio, valida eſſe non potuit.

6 Tertiò; Quia Titius deceptus eſt circa cauſam finalem emptionis; deceptus enim eſt circa Mercatoris paupertatem, ad quam ſubleuandam, merciũ emptionem ordinauit. Error autem circa cauſam finalem diſpoſitionis, irritat diſpoſitionem; Cum enim cauſa finalis, ſit illa, à quà mouetur voluntas ad diſponendum, tanquam à ratione, ſiue motiuo formali, quamque diſponens prin-

principaliter intendit; hinc fit, vt, quando datur error circa illam, deficiat omnino voluntatis conſenſus, ſicque, ex defectu neceſſarij conſenſus, vitietur diſpoſitio.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; Voluntatem, non ſolùm alijs potentijs, ſed ſibi etiam aliquando aliquos actus imperare; Experientià enim conſtat, ex motiuo charitatis, moueri nos aliquando, ad actus Pœnitentię, vel Temperantiæ exercendos; vt, ad ieiunandum, ad dandam eleemoſynam, &c. Tunc autem, obiectum formale actus imperati, appellatur cauſa finalis intrinſeca eiuſdem actus; obiectum verò formale actus imperantis, dicitur eiuſdem cauſa impulſiua, quatenus eſt id, ſine quo, actus ille non fuiſſet à Voluntate imperatus. Et cauſa quidem impulſiua, reſpectu actus imperati, eſt Circunſtantia omnino accidentalis, ac, extrinſeca, & appellari ſolet finis Operantis, quia eſt finis intentus ab Operante, & à quo Operans mouetur ad actum imperandum; Cauſa verò finalis, pertinet ad ſubſtãtiam ipſius actus imperati, cum ſit eius motiuum formale; & appellari ſolet finis Operis, quia eſt finis non tam ab Operante, quam ab ipſo opere intentus; cum Opus, ad illam eſſentialiter ordinetur, tanquam medium ad finem. Sic, cum quis à Pauperis Sanctitate mouetur ad ei dandam eleemoſynam; Sanctitas, quia eſt motiuum Voluntatis ad imperandum actum Eleemoſynæ, dicitur cauſa impulſiua reſpectu Eleemoſynæ; Ipſa verò Paupertas, cauſa finalis; quia hæc, eſt motiuum formale ipſius actus Eleemoſynæ, cum hæc ad alterius miſeriam, ac paupertatem ſubleuandam eſſentialiter ordinetur. Similiter, paupertas dicitur finis Operis; hoc eſt, Eleemoſynæ; Sanctitas verò finis Operantis; quia, prima, immediatè, & directè mouet ad dandam alteri pecuniam, vel aliud ſimile; ſecunda verò, mouet ad ipſum actum Eleemoſynæ imperandum. Error ergo circa cauſam impulſiuam, actum non vitiat; quia, cum, reſpectu actus, ſit circunſtantia merè accidentalis, cum errore circa illam, adhuc dari poteſt conſenſus ſufficiens, circa ſubſtantiam ipſius actus; At verò, error circa cauſam finalem, illum vitiat, quia tollit conſenſum, ac voluntatem, quæ ad eius valorem, eſt neceſſaria; Ceſſante enim fine, ceſſant omnia, quæ ſunt ad finem, & conſequenter etiam ipſa mediorum voluntas.

8 Aduertendũ eſt ſecundò; Quamlibet noſtram Operationem, eſſentialiter ordinari ad aliquid, tanquam medium ad finem; Sic enim Eleemoſyna ordinatur ad alienam miſeriam ſubleuandam; quia ipſa, nihil eſt aliud, quam alienæ miſeriæ ſubleuatio; Et emptio, ad rei alicuius dominium obtinendum; quia emptio, nihil eſt aliud, quam ſolutio pretij ad rem illam obtinendam. Hic ergo finis, neceſſario ſemper intenditur ab Operante, dum operatur; Ideoque dicitur finis operis;

quia opus illud ab Operante poni non poteſt, quin finem illum intendat; dicitur etiam finis intrinſecus, quia eſſentialiter ab operatione reſpicitur, tanquam aliquid ab eà principaliter intentum. Dixi ab eà, & non ab Operante; Quia ab Operante, dum eam ponit, alius finis principaliùs intendi poteſt; imo regulariter intenditur, cum ipsâ Operatio aſſumatur, vt medium ad illum conſequendum; Qui enim, ad alterius miſeriam ſubleuandam, eius merces emit; eius miſeriæ ſubleuationem principalius intendit, quam mercium acquiſitionem, cum hanc, ad illam ordinet, tanquam medium ad finem. Error ergo circa hunc finem, qui non poteſt ab Operante non intendi, dum eam operationem ponit, vitiat operationem, quia illam reddit inuoluntariam, eo quod operatio ſine illo fine poni non poſſit; Error verò circa omnia alia motiua, non vitiat; Quia operatio, ſine alijs omnibus, poni poteſt; ideoque eſt error ſolùm circa aliquid accidentale, quod propterea non impedit conſenſum ad eius valorem, & neceſſarium, & ſufficientem.

9 Aduertendum eſt tertiò; Hinc colligi poſſe, quid ſit, cauſa finalis; quid impulſiua. Cauſa enim finalis alicuius operationis, eſt illa, ſine quâ, operatio illà ab Operante poni non poteſt. Impulſiua verò, ſine quâ, licet de facto non ponatur, abſolutè tamen poni poteſt. Sic, dum quis, ad Mercatoris inopiam ſubleuandam, eius merces emit; mercium acquiſitio, eſt cauſa finalis, quia emptio, ac pretij ſolutio, ſine illâ poni non poteſt. Impoſſibile enim eſt, ſoluere pretiũ pro re, & eius acquiſitionem non intendere. Eius verò inopiæ ſubleuatio, eſt cauſa impellens, quia etiam ſine illâ, poni potuit emptio, Emptor enim ab alio fine, quam, Mercatoris inopiæ ſubleuandæ, moueri potuit ad merces illas emendas. His poſitis.

RESOLVTIO.

10 AD Caſum reſpondetur; Emptionem, fuiſſe validam. *Leſſius lib.* 2. *c.* 17. *d.* 5. *Sanch. lib.* 7. *matr. d.* 18. *num.* 18. *Laym. lib.* 3. *tract.* 4. *ſ.* 5. *c.* 5. *num.* 6. *Coninch. d.* 31. *de Sacr. d.* 1. *nu.* 3. *Reginald. tom.* 2. *lib.* 25. *c.* 8. *ſ.* 2. *num.* 121. *Bonac. de contract. d.* 3. *qu.* 1. *p.* 2. *§.* 2. *num.* 3. & alii communiter.

11 Primò; Quia, quamuis Titius circa Mercatoris paupertatem deceptus fuerit, adhuc tamen emptio fuit ſufficienter, ac ſimpliciter voluntaria; Error enim circa Mercatoris paupertatem, non fuit error circa aliquid neceſſarium, & ad emptionis eſſentiam pertinens, ſed ſolum circa aliquid illi accidentale. Error autem circa circumſtantiam emptioni accidentalem, facit ſolùm, vt emptio ſit inuoluntaria ſecundum quid; hoc eſt, quoad illam circunſtantiam; non verò, quod ſit inuoluntaria ſimpliciter, & quoad emptionis eſſentiam. Cum ergo, non obſtante errore circa Mercatoris paupertatem, emptio adhuc fuerit ſimpliciter voluntaria; conſequen-

ſequenter fuit etiam valida.

12 Secundò; Quia, Cum quis, videns Sacerdotem aliquem pauperem, ſed peſſimum, qui tamen ſe fingit eximiæ Sanctitatis, ac perfectionis; ex hoc mouetur ad eleemoſynam illi largiendam, quam nunquam contuliſſet, ſi cognouiſſet, eſſe peccatorem; largitio illa eleemoſynæ, valida eſt. Similiter, cum Medicus, ad preces alicuius, qui eius Conſanguineum ſe fingit, ſumit curam Infirmi, quem aliàs non curaſſet, cura illa eſt voluntaria. Ergo voluntaria etiam, ac valida fuit, mercium emptio facta à Titio; Non minus enim fictà Mercatoris paupertas, fuit ſolùm cauſa impulſiua Titij ad eius merces emendas, quam ficta Sanctitas Sacerdotis pauperis, ad eleemoſynam illi largiendam; vel preces ficti Cõſanguinei, ad curam Infirmi ſuſcipiendam; Quia non magis ad emptionis eſſentiam pertinet Mercatoris inopia; quam ad eſſentiam eleemoſynæ, Sanctitas pauperis; vel ad curam Infirmi, preces ficti Conſanguinei: Cum Emptio, intrinſecè & eſſentialiter, ordinetur ſolùm, ad rei emptæ dominium acquirendum; Sicut eleemoſyna eſſentialiter ordinatur ſolùm ad paupertatem ſubleuandam; Et curatio, ad infirmitatem ſanandam. Sicut ergo, in eleemoſynà, ſola alienæ paupertatis ſubleuatio, eſt cauſa finalis, ſiue motiuum intrinſecum, ac obiectum formale. Sanctitas verò, vel infirmitas, aut quodlibet aliud motiuum eſt motiuum extrinſecum, & cauſa ſolùm impulſiua. Ita, in emptione, ſola dominij in rem emptam acquiſitio, eſt motiuum intrinſecum, & cauſa finalis; Venditoris verò paupertas, vel amicitia, aut quodlibet aliud motiuum, eſt motiuum ſolùm extrinſecum, & cauſa ſolùm impulſiua; Ideoque error circa iſta, emptionis valorem non impedit, ſicut error circa Sanctitatem, non impedit valorem eleemoſynæ.

13 Tertiò; Quia, cum quis mouetur ad Matrimonium contrahendum cum aliquà propter eius diuitias; Quamuis decipiatur, putans, illam eſſe diuitem, cum ſit pauper; adhuc tamen matrimonium; iure naturæ, validum eſt. Ergo valida etiam fuit emptio, facta à Titio, ad Mercatoris inopiam ſubleuandam, quamuis Titius, circa eius inopiam deceptus fuerit; Non minus enim Mercatoris inopia, in quà fuit error, eſt extra eſſentiam emptionis, quam Mulieris diuitiæ, ſunt extra eſſentiam Matrimonij.

14 Tertiò; Quia Mercatoris inopia, licet fuerit finis Operantis, & motiuum ad emptionem imperandam, non tamen fuit finis Operis, ſiue ipſius emptionis. Error autem circa finem Operantis, operationis imperatæ naturam non mutat, cum ſit extra eius eſſentiam; Vnde nec tollit conſenſum, ad eius valorem neceſſariò requiſitum.

✠

M 2 OBIE-

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 AD rationes autem in contrarium, reſpondetur; Ad primam. Titium, in tantum habuiſſe intentionem, ſiue voluntatem mercium emptionem imperantem, inquantum putauit, Mercatorem eſſe pauperem; per hunc enim actum imperantem, ordinauit mercium emptionem, tanquam medium, ad eius inopiam ſubleuandam. Hæc tamen intentio, non eſt illa, quæ ad emptionis valorem neceſſariò requiritur, eamque conſtituit; nam hæc, eſt voluntas dandi pretium ad mercium dominium obtinendum; Hæc autem voluntas, etiam cum errore circa paupertatem Mercatoris, dari potuit.

16 Ad ſecundam; Reſpondetur ſimiliter; Titium, habuiſſe voluntatem ſibi mercium emptionem imperandi ſolùm ſub conditione, quod Mercator eſſet pauper; ideoque, errorem circa eius paupertatem, hanc intentionem abſtuliſſe, & conſequenter etiam emptionis ordinationem ad illam ſubleuandam; At, non per hoc, voluntatem abſtuliſse dandi pretiũ ad merces obtinendas. Hæc autem ſola ad emptionis valorem, & requiritur, & ſufficit, quia hæc ſola, eſt de eius eſſentia.

17 Ad tertiam; Negatur antecedens Titius enim, non deceptus eſt circa cauſam finalem intrinſecam emptionis, quæ erat mercium acquiſitio, ſed ſolùm circa cauſam impulſiuam, ſiue circa cauſam finalem extrinſecam. Error autem circa cauſam finalem extrinſecam, ſiue impulſiuam, ſicut non tollit conſenſum circa emptionis ſubſtantiam, ita nec impedit eius valorem.

COROLLARIA.

18 COlligitur ex dictis primò; Hanc ſtatui poſſe tanquam regulam vniuerſalem, ad cognoſcendum, quæ ſit cauſa finalis, quæ verò ſolùm impulſiua. Illa enim, quæ voluntatem mouet ad aliquid directè volendum, dicetur cauſa finalis illius actus, & obiecti; illa verò, quæ voluntatem mouet ad illum actum reflexè imperandum, ſicut dicitur cauſa finalis intrinſeca, reſpectu ipſius actus imperantis, ita dicetur cauſa ſolum impulſiua, reſpectu actus imperati, quatenus talis actus, ſine illà non fuiſſet à voluntate per alium actum imperatus. Sic pauperis miſeria, quæ voluntatem immediate mouet ad pecuniam illi dandam, dicitur cauſa finalis intrinſeca illius largitionis, ſiue eleemoſynæ; Sanctitas verò, vel Infirmitas eiuſdem pauperis, quæ voluntatem mouet ad talem largitionem reflexè imperandam, ſicut reſpectu ipſius voluntatis imperantis, eſt cauſa finalis, & motiuum formale; ita reſpectu largitionis, dicitur ſolùm cauſa impulſiua; quatenus talis eſt, vt ſine illà, huiuſmodi largitio non fuiſſet imperata, & conſequenter, nec poſita. Quare largitio eleemoſynæ, ſicut ab actu imperante pendet tanquam

à cau-

à cauſa efficiente, ita ab eius motiuo pendet, tanquam à causà impulſiuà, ſiue tanquam à causà finali extrinſecà.

19 Secundò; Cauſam finalem, dici etiam poſſe illam, quam Operans, per illum actum, principaliter intendit; Cauſam verò impulſiuam, dici omne aliud motiuum extrinſecum, quod voluntatem ad operandum impellit, etiam ſi tale ſit, vt ſine eo, voluntas operationem illam non feciſſet. Et in hoc ſenſu, paupertatis ſubleuatio, eſt cauſa finalis intrinſeca eleemoſynæ, quia eleemoſyna, cum ſit actus miſericordiæ, circa pauperem, vt pauperem, eſſentialiter verſatur; Pauperis verò Infirmitas, vel Sanctitas, aut Religio, eſt cauſa ſolùm impulſiua, quia eſt motiuum extrinſecum, & circunſtantia, eleemoſynæ omnino accidentalis, quamuis eleemoſynam largiens, ſupponatur ita affectus, vt eleemoſynam non daret, ſi ſciret, illum non eſſe infirmum, vel Sanctum, aut Catholicum.

20 Tertiò; Si eleemoſynam largiens propter pauperis infirmitatem; dum eã largitur, haberet actũ voluntatis efficacem, quo diceret; *nolo dare eleemoſynam pauperi, ſi non eſt Infirmus:* In iſto caſu, non fore validam donationem, ſi cauſa impulſiua non ſubſiſteret; hoc eſt; ſi pauper, verè non eſſet infirmus; quia tunc voluntas donandi, non eſſet formaliter abſoluta, ſed conditionata; ideoque, conditione non ſubſiſtente, redderetur nulla. Si tamen largiens, hanc voluntatem, non haberet actu, & de præſenti, ſed ſolùm eſſet habiturus, ſi ſciret, cauſam impulſiuam non eſſe veram, ſed ſimulatam, tunc non vitiaretur donatio, quamuis ille de præſenti velleitatem quandam haberet; quà diceret; ***Nollem dare, ſi ſcirem, non eſſe Infirmum;*** Quia, in hoc caſu, donandi voluntas, quam de facto haberet, eſſet formaliter abſoluta, nec ex conſortio huiuſmodi velleitatis, deſineret eſſe talis.

QVAESTIO XXVI.

An aliquando ſaltem, error circa cauſam impulſiuam, reddat operationem inualidam.

CASVS.

1 QVAMVIS Titius, & Caius, æqualiter, quoad ſufficientiam, ad beneficium quoddam Parochiale approbati fuiſſent: Cœteris tamen paribus, beneficium conferendum erat Titio, quia erat Ciuis. Verum, quia Caius, morum Sanctitatem, & Canonum doctrinam ſimulauit; ei de facto collatum eſt, aliàs non conferendum. Queritur; an talis collatio, iure naturę, fuerit valida.

SVMMARIVM.

7 *Cauſa impulſiua, eſt etiam aliquando circunſtantia cauſæ finalis.*

8 *Hoc contingit, cum Cauſa finalis, eſt terminus comparatiuus.*

9 *Beneficij Parochialis collatio, ex errore circa mores, ac doctrinam, eſt inualida.*

10 *Mores, ac doctrina, concurrunt ad conſtituendum digniorem.*

11 *Ideoque ſunt ſimul cauſa impulſiua, ac finalis.*

12 *Sicut infirmitas, conſtituit Pauperem magis indigentem.*

13 *Et ſicut, in Matrimonio, qualitas, pertinet ad Perſonam.*

14 *In beneficij ſimplicis collatione, mores, & doctrina, ſunt cauſa ſolùm impulſiua.*

15 *In collatione verò beneficij Parochialis, ſunt etiam cauſa finalis.*

16 *In eleemoſynæ diſtributione, Pauperis infirmitas, regulariter, eſt cauſa ſolùm impulſiua.*

17 *In quibus caſibus, error circa cauſam impulſiuam, vitiet actum.*

18 *Circunſtantiæ, quæ reſpectu vnius actus, ſunt accidentales, reſpectu alterius ſunt ſubſtantiales.*

RA-

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis error circa cauſam impulſiuam ad operandum, regulariter, operationem nõ vitiet, eo quod cauſa impulſiua, ad eius eſſentiam non pertineat, ſed ſit aliquid illi merè accidentale, vt dictum eſt. Quia tamen, aliquando, ita eſt impulſiua, vt ſimul etiam pertineat ad finalem; in quo caſu. error circa illam, vitiat operationem. Ideo explicandum adhuc ſupereſt: quando hoc contingat, vt ſic, cauſa impulſiua, melius, ac facilius diſtingui poſſit à finali.

3 Beneficij ergo Parochialis collatio, ob morum Sanctitatem, ac Canonum doctrinam ſimulatam, facta Caio; videtur fuiſſe valida; *Vaſquez opuſc. de eleem. c.* 3. *d. vlt. num* 18. *Azor. tom.*1. *lib.*1. *c.*18. *prope finem Aragon.* 2.2.*quæſt.*77. *ar.*3. *Aluarez* 1. 2. *quaſt.* 6. *art.*8. *num.*7.

4 Primò; Quia collatio illa, non fuit facta, ex errore circa cauſam finalem, ſiue circunſtantiam ſubſtantialem collationis; ſed ſolùm circa cauſam impulſiuam; Quamuis enim, Epiſcopus, Caio, propter ſimulatam eius Sanctitatem, ac doctriuam, beneficium contulerit potius, quam Titio; illa tamen cauſa, non fuit, nec eſſe debuit, cauſa finalis, ſiue principalis, ſed ſolùm impulſiua; Nam cauſa finalis, fuit idoneitas ad tale beneficium. Cum ergo error circa cauſam impulſiuam, non vitiet diſpoſitionem, dicendum eſt, beneficij collationem factam Caio, quamuis, propter ſimulatam Sanctitatem, ac doctrinam, fuiſſe validam.

5 Secundò; Quia, ſi quis, paupertate preſſus, fingeret ſe, inter Chriſtianos infirmum, vel inter infideles infidelem, & eleemoſynam conſequeretur, & ob hanc cauſam ſimulatam, qui eum viderent, mouerentur ad eleemoſynam illi largiendam, talis largitio eſſet valida; Eſſet enim ſufficienter voluntaria, vt potè facta verò pauperi, titulo eleemoſynæ, & error eſſet ſolùm circa circunſtantiam aliquam accidentalem, quæ donationis eſſentiam variare non poteſt. Sed etiam Epiſcopus, ad beneficium Caio conferendum, motus eſt ab eius Sanctitate, ac doctrinà ſimulatà, tanquam à causà impulſiuà, & non finali. Ergo etiam eius collatio, fuit valida.

6 Tertiò; Quia, ſi alicui certa pecuniæ ſumma eſſet commiſſa, vt eã pauperibus diſtribueret, & vnus ex pauperibus, ipſius Diſtributoris conſanguineum ſe ſimulans, ob hoc principaliter, ab eo eleemoſynam acciperet; talis largitio eſſet valida; quia pauper ratione veræ paupertatis, haberet ius ad illam pecuniam, quamuis non ipſe magis, quam alij pauperes; ſed etiam Caius, ratione veræ idoneitatis, habebat ius ad beneficium, quamuis non magis, quam Titius. Ergo, etiamſi ab Epiſcopo, illi, ob Sanctitatem ſimulatam, fuerit collatum, talis collatio fuit valida; Non enim fuit error in causà finali, neque in alià circunſtantia ſubſtantiali collationis, vt ſuppono;

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; Cauſam impulſiuam, aliquando non eſſe purè impulſiuam, ſed ſimul etiam conſtitutiuam Cauſæ finalis; Si quis enim, ex legato, certam pecuniæ ſummam, magis Indigenti diſtribuere teneatur; Et duo in paupertate ſint æquales, ſed vnus eorum, Infirmus ſit; In hoc caſu; Si Diſpenſator, ob Infirmitatem, moueretur ad pecuniam Infirmo potius quàm Sano diſtribuendam; Infirmitas, non ſolùm eſſet cauſa impellens ad pecuniam Infirmo largiendam; Sed præterea conſtitueret etiam cauſam finalem illius diſtributionis, quatenus Infirmum redderet magis indigentem. Cum autem cauſa impulſiua pertinet ſimul ad cauſam finalem, tunc error circa illam, vitiat diſpoſitionem; quia, cum ſit error circa eſſentiam diſpoſitionis, eam reddit ſimpliciter inuoluntariam.

8 Aduertendum eſt ſecundò; Cauſam impulſiuam, regulariter, eſſe etiam Cauſæ finalis conſtitutiuam; quando Cauſa finalis, eſt terminus aliquis comparatiuus, ſiue conſiſtit in aliquà comparatione; Tunc enim, cum neceſſariò, ſit aggregatum aliquod ex pluribus circunſtantijs, vna ex illis mouere poteſt ad operandum, ſicque eſſe cauſa impulſiua. In hoc autem Caſu, eſſet impulſiua ſimul, & conſtitutiua Cauſæ finalis. Sic in propoſito Caſu; maior idoneitas, cum conſtitui prudenter nō poſſit, niſi penſatis omnibus circunſtantijs; Deſumi neceſſariò debet etiam ex morum Sanctitate, ac Canonum Doctrinà. Hæ enim Virtutes, cæteris paribus, reddunt magis idoneum; ideoque ſunt integratiuæ Cauſæ finalis, ad rectam Beneficij Parochialis collationem requiſitæ. Si ergo ſimul moueant ad vnū alteri præferendum, iam habebunt ſimul rationem cauſæ impulſiuæ, ac finalis. Vnde error circa illas, erit error circa cauſam finalem collationis beneficii, eamque propterea reddet inuoluntariam, & conſequenter inualidam. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum reſpondetur; Beneficij Parochialis collationem, factam Caio, non fuiſſe validam. Ita *Sanch. lib.7. matr. d.19. num.20. & lib.4. ſum. c.2. num 6. & 41. Vaſquez loco cit. num.19. Layman. lib.3. tract.4. ſ.5. cap.5. num.1. Reginald. lib.25. num.66. Molina tract.4. d.272. Sylueſter v. Votum. 2. quæſt.8.* & alij apud iſtos.

10 Probatur primò; Quia in beneficijs Parochialibus; quæ conferuntur per concurſum, tenetur Epiſcopus, iuxta decretum Tridentini, *Seſſ.24. c.18. reform.* ex approbatis per examinatores Synodales, magis idoneum eligere. Sed, non exiſtente in Caio Sanctitate, ac doctrinà, quam ſimulabat, Caius non erat magis idoneus, quam Titius. Ergo Epiſcopus, voluntatem non habuit, ei beneficium Parochiale conferendi, potius quàm Titio; ideo-

ideoq; collatio fuit inualida ex defectu conſenſus.

11 Secundò; Quia Caij Sanctitas, ac Canonum doctrina ſimulata, non fuerunt ſolùm, reſpectu Epiſcopi, cauſa impulſiua, ad Parochiale beneficium ei conferendum, ſed partialiter etiam cauſa finalis, quatenus, ratione illarum, fuit ab Epiſcopo iudicatus magis idoneus, quam Titius, ideoque ſimpliciter dignus, vt ei beneficium conferretur, potius quàm Titio. Error autem circa cauſam finalem, reddit irritam diſpoſitionem, quia tollit conſenſum ſubſtantialem circa illã, eamque reddit inuoluntariam.

12 Tertiò; Quia, ſi ex duobus pauperibus æque indigentibus, vnus ſe fingeret infirmum, ob idque, Diſpenſator, aliàs ex legato ad certam pecuniam, magis indigenti, largiendam obligatus, moueretur ad dandam ei potius, quam alteri pauperi talem pecuniam, largitio illa eſſet inualida, quia intentio Diſpenſatoris eſſet, dare pecuniam magis indigenti. Simulans autem infirmitatem, verè non eſſet magis indigens. Sed etiam intentio Epiſcopi fuit, beneficium conferre magis idoneo, ac digniori; Et Caius, Sanctitatem, ac Canonum doctrinam ſimulans, non erat magis idoneus, nec dignior. Ergo etiam beneficij collatio facta Caio, fuit inualida.

13 Quartò; Quia, in Matrimonio, quamuis error circa qualitatem perſonæ, regulariter, Matrimonium non irritet, quia qualitas perſonæ regulariter ad Matrimonij ſubſtantiam non pertinet; vt, cum quis vult contrahere cum Lià, putans eſſe nobilem, vel diuitem, cum ſit ignobilis, vel pauper; quando tamen qualitas pertinet etiam ad deſignandam indiuiduationem perſonæ; vt, cum quis vult contrahere cum primogenita Titij; quia tunc error circa qualitatem perſonę, trahit ſecum errorem etiam circa ipſam perſonam, Matrimonium eſt nullum. Ergo ſimiliter, quamuis error circa cauſam impulſiuam, regulariter, diſpoſitionem non vitiet, quia cauſa impulſiua ad ſubſtantiã diſpoſitionis regulariter non pertinet; Quando tamen cauſa impulſiua pertinet etiàm ad cauſam finalem, quia error circa illam, trahit ſecum errorem etiam circa ipſam cauſã finalem, diſpoſitio erit inuoluntaria, ac nulla.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 AD rationes autem in contrarium facilè reſpondetur; ad primam; Rationem illam, in beneficij ſimplicis collatione, optimè probare; Cum enim, in eà, ſpectetur ſolùm idoneitas ad beneficium; non verò maior idoneitas, ſicut ſpectari debet in beneficij Parochialis collatione, ex Tridentino; hinc fit, vt, in beneficij ſimplicis collatione, Sanctitas, & Canonum doctrina, ſint cauſæ merè impulſiuæ, & extrinſecæ; Non enim requiruntur ad hoc, vt perſona, ſit ad beneficium ſimpliciter idonea; In collatione verò beneficij Parochialis, pertineant etiam ad cauſam finalem, quia, illis poſitis, perſona eſt

ſim-

ſimpliciter magis idonea, ac dignior. Quamuis ergo beneficij collatio, facta Caio, fuiſſet valida, ſi beneficium fuiſſet ſimplex, & ſolùm conferendum digno; quia tamen beneficium fuit Parochiale, & conferendum digniori, collatio, fuit inualida.

15 Ad ſecundam; Negatur minor; Epiſcopus enim, ad conferendum beneficium Caio potius, quàm Titio, motus eſt, ab eius Sanctitate, ac canonum doctrinà ſimulatà, non ſolùm tanquam à cauſà impulſiuà, ſed etiam tanquam à cauſà partialiter finali, quatenus Sanctiias illa, ac doctrina ſimulata, concurrebant, ad illum conſtituendum, ac iudicandum magis idoneum, & digniorem, quæ maior idoneitas, in huiuſmodi collatione, eſt cauſa finalis.

16 Ad tertiam reſpondetur; Rationem diſparitatis eſſe, quia cauſa finalis, quam ſpectare debebat pecuniæ Diſpenſator, erat ſola paupertas ſimpliciter. Ad hanc autem, erat aliquid omnino extrinſecum, & accidentale, conſanguinitas, ideoque ſolùm cauſa impulſiua ad talem diſtributionem. At cauſa finalis, quam in beneficij Parochialis collatione ſpectare debebat Epiſcopus, non erat idoneitas ſimpliciter, ſed maior idoneitas. Hæc autem, conſtituitur etiam per Sanctitatem, ac doctrinam, quia conſtituitur, penſatis omnibus.

* *
*

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; Errorem circa cauſam impulſiuam, licet, quantum eſt ex ſe, nunquam vitiet diſpoſitionem; in duobus tamen caſibus illam, quaſi per accidens, vitiare. Primus eſt; quando cauſa impulſiua, in quà erratur, apponitur per modum conditionis; vt, ſi dans eleemoſynam pauperi, fingenti ſe infirmum; diceret; *do tibi eleemoſynam, ſi es infirmus*; tunc enim, non ſubſiſtente conditione, largitio eſſet nulla. Secundus eſt, quando error circa cauſam impulſiuam, trahit ſecum errorem circa cauſam finalem; vt in caſu præſenti: tunc enim, cauſa finali non ſubſiſtente, neque ſubſiſtit diſpoſitio. Idemque dicendum eſt etiam de errore circa qualitatem perſonæ, in contractu Matrimonij; Nam hic etiam illum vitiat ſolùm, quando qualitas, in quà erratur, apponitur per modum conditionis, vel quando error circa qualitatem, redundat in errorem perſonæ, propter eaſdem rationes.

18 Secundò; Aliqua, quæ reſpectu vnius diſpoſitionis, ſunt circunſtantiæ ſolùm accidentales, poſſe reſpectu alterius, eſſe ſubſtantiales; Sanctitas enim, & doctrina, quæ reſpectu collationis beneficij ſimplicis, ſunt circunſtantiæ merè extrinſecę; & accidentales; reſpectu collationis beneficij Parochialis, ſunt circunſtantiæ ſubſtantiales, vt patet ex dictis.

QVÆ-

QVAESTIO XXVII.

An error circa Conditionem, reddat operationem inualidam?

CASVS.

1 TITIVS, audiens ab Amico, hæreditatem opulentam ſibi eſſe relictam, vouit, Eccleſiam quandam, in honorem Beatæ Virginis, ędificare. Poſt aliquot verò dies, comperit, hęreditatem, non ſibi, ſed alteri eiuſdem nominis, ſed patrię diuerſæ, fuiſſe relictam. Ipſe tamen, etiam independenter ab illà hęreditate, erat valde diues; Quæritur, Vtrum Eccleſiam ædificare teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Etiam Conditio participat rationem cauſæ motiuæ.*

3 *Videtur participare rationem Cauſæ impulſiuæ.*

5 *In quo differat voluntas conditionata ab abſoluta.*

6 *Conditio, eſt ſimilis cauſæ finali.*

7 *Votum, ex ſuppoſitione erroneà factum, non obligat.*

8 *Non eſt abſolutum, ſed conditionatum.*

9 *Ceſſante ſuppoſitione, ceſſat, ſicut ceſſante causà finali.*

10 *Et ſicut, ceſſante eadem causà, ceſſat lex.*

11 *Cauſa, quæ, reſpectu Voti ſimplicis, eſt finalis, reſpectu ſolemnis, eſt impulſiua.*

12 *In Voto ſimplici, conditio, eſt cauſa finalis.*

13 *Votum reſtituendi, ſi res antea non erat debita, non obligat.*

14 *Cur Cauſa, in dubio, præſumenda ſit impulſiua.*

15 *Error circa vnam cauſam, non tollit valorem voti, ſi alia ſubſiſtat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm Conditio, ſit ratio volendi obiectum, ſicut eſt cauſa motiua; Ipſa quoque participare videtur rationem Cauſæ motiuæ. Difficultas ergo ſolùm eſt, quam rationem Cauſæ participet; finalis ne, an impulſiuæ. Videtur enim participare rationem impulſiuæ, cuius error actum non irritat; Ideoque Titius, teneri videtur ad votum ſoluendum, ac Eccleſiam ædificandam. Ita *Ancharan. c. magnæ de*

voto

voto num.13.notab.15. ibique Anton. num.15. Hoſtien. num.16. & gloſa. Et ex parte Molina tom.1. tract.2. d 209.

3 Primò; Quia *in c. ex parte; de conuerſ. Coniug.* Pontifex reſpondit, validum fuiſſe votum caſtitatis, emiſſum à quadam Muliere, quæ Sponſum habebat, cum quo Matrimonium ratum contraxerat; quamuis, ad vouendum, mota fuerit ex errore; putans, Maritum eſſe leproſum; in quo tamen decipiebatur. Ergo etiam, validum fuit Titij Votum; quamuis ad vouendum motus fuerit ex errore, putans, ſibi Hæreditatem fuiſſe relictam; quod tamen erat falſum. Non minus enim Titij error, fuit ſolùm circa cauſam impulſiuam, quam error Mulieris.

4 Secundò; Quia Titij error, non fuit circa cauſam finalem Voti; Nõ enim fuit circa rem pertinentem ad ſubſtantiam Voti, ſed ſolùm circa motiuum quoddam, vel occaſionem valde extrinſecam; quæ Titij voluntatem excitare quidem potuit, & applicare ad vouendũ; ſed ita tamen, vt neque ad Voti materiam, neque ad eius finem intrinſecum; vllo modo pertineret. In omni enim Voto, cauſa finalis intrinſeca, videtur eſſe, Dei cultus, per eum Virtutis actum exercendus, qui à Vouente promittitur. Si ergo Titij error, non fuit circa cauſam finalem Voti, fuit ſolùm circa cauſam impulſiuam; Hic autem error, Voti valorem non impedit, quia non aufert conſenſum, neque circa promiſſionem, neque circa rem promiſſam; non ſolùm materialiter; hoc eſt; quo ad ſuum eſſe materiale; Sed etiam formaliter; hoc eſt; quo ad finem, ad quem, per ſe, ac principaliter ordinatur, in quantum res illa eſt promiſſa.

NOTABILIA.

5 ADuertendum eſt primò; Voluntatem conditionatam, in hoc differre ab abſolutà, quod conditionata, eſſentialiter fertur, non ſolùm in obiectum, ſed etiam in conditionem; imo in obiectum, non fertur, niſi vt veſtitum tali conditione; abſoluta verò, fertur ſolùm in obiectum ſecundum ſe. Cum quis enim, vult ducere Bertam, ſi diues eſt; per eam voluntatem, ita tendit in Bertam, vt ſimul tendat in eius diuitias. Imo, in Bertam non tendit, niſi quatenus eſt affecta diuitijs. Qui verò vult ducere Bertam diuitem; per eam voluntatem, ita tendit in Bertam; vt in eius diuitias non tendat. Hinc autem fit, vt deficiente conditione, ſtatim deficiat etiam voluntas conditionata; eademque conditione non ſubſiſtente, nec voluntas conditionata ſubſiſtat; Deficientibus enim diuitijs, ſtatim ceſſat voluntas conditionata ducendi Bertam; iiſdemque non ſubſiſtentibus, non ſubſiſtit. At, ſi voluntas, ſit abſoluta, quamuis diuitiarum circumſtantia deficiat, voluntas tamen ducendi Bertam, non deficit, eàdemque circunſtantiâ non ſubſiſtente, adhuc voluntas illa ſubſiſtit.

6 Aduertendum eſt ſecundò; Hinc colligi primò; Conditionem, eſſe ſimi-

ſimilem cauſæ finali, non verò impulſiuæ. Sicut enim Intentio tollitur, ſublatà causà finali; Ita, ſublatà Conditiône, tollitur voluntas conditionata. Secundò; errorem circa conditionem, reddere operationem inualidam, ſicut reddit error circa cauſam finalem; Eodem enim modo eam reddit ſimpliciter inuoluntariam; cum voluntas conditionata, non minus eſſentialiter feratur in conditionem, quam quælibet voluntas, in ſuam cauſam finalem. His poſitis.

RESOLVTIO.

7 RESpondetur; Titium non teneri, Eccleſiam ædificare, eiuſque Votum non fuiſſe validum. Ita *Sanch. lib.*10. *matr. d.*9. *num.*16. *& lib.*4. *ſum. c.*2. *num.*42. *Azor. lib.*11. *c.*15. *quæſt.* 3. *Syluester v. Votum.* 2. *quæſt.*8. *Suar. tom.* 2. *de relig. lib.*4. *de voto c.* 18. & alij plurimi apud iſtos.

8 Primò; Quia Titius, non abſolute vouit, aut voluit Eccleſiam ædificare, ſed ſolũ ex ſuppoſitione hæreditatis adeptæ. Cum ergo hæreditatem adeptus non ſit, conſequenter neque voluit Eccleſiam ædificare, ideoque ex vi Voti, illam ædificare non tenetur; Votum enim cum fuerit conditionatum, & conditio poſita non fuerit, non fuit validum ex defectu conſenſus.

9 Secundò; Quia, ceſſante causà finali Voti, ceſſat Votum, eo quod deficiat intentio Vouentis; deficit enim eius proprium, formale, ac principalè motiuum; Nam cauſa finalis, eſt quaſi obiectum formale, & motiuum intrinſecum actus per Votum promiſſi, ſicut cauſa finalis eleemoſynæ, eſt paupertas, quia eleemoſyna, cum ſit eſſentialiter paupertatis ſubleuatio, eſſentialiter verſatur circa pauperem, vt pauperem, tanquam circa proprium motiuum intrinſecum, ac formale. Cum ergo non fuerit poſita hæreditas, quæ fuit, & conditio, & cauſa finalis vouendi; neque fuit poſita intentio, per Votum ſe obligandi. Sicque Votum, non fuit voluntarium, & conſequenter neque obligatorium, ac validum.

10 Tertiò; Quia, ceſſante causà finali legis, ceſſat lex; Votum autem, eſt lex quædam priuata, quam homo ſibi imponit. Similiter, donatio ceſſat, quando ceſſat cauſa finalis donationis; Votum autem, eſt ſpecies quędam donationis, vel promiſſionis; Quod verò hæreditatis adeptio, fuerit Conditio, ſiue Cauſa finalis vouendi, & non tantùm impulſiua, ex eo euidenter colligitur, quia Votum fuit factum, quaſi in gratiarum actionem, propter beneficium illud à Deo acceptum. Gratiarum autem actio, eſſentialiter præſupponit beneficium, tanquam conditionem, & ad eiuſdem beneficij compenſationem ordinatur, tanquam ad finem.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes in contrarium; reſpondetur. Ad primam; *In dicto c. ex parte*: non eſſe ſermonem de Voto ſimplici, ſed de Pro-

Profeſſione religioſà, quæ non irritatur ex errore circa cauſam finalem, vt infra patebit. Atque hanc interpretationem amplectitur *Sanch. lib.* 10. *matr. d* 9. *num.* 20. Dici etiam poſſet; *ex illo cap.* non colligi, eam Mulierem, Votum Caſtitatis emiſiſſe poſt matrimonium ratum, ſed tantum, habitum Religionis aſſumpſiſſe, eo errore ductâ, quia falsò putabat, Sponſum ſuum eſſe leproſum; Vnde Pontifex eam non obligat ad Caſtitatem ſeruandam, ſed ei tantùm conſulit perſeuerantiam in religione, quamuis falſa ſit cauſa, quæ ad habitum religionis ſuſcipiendum, illam induxit; *Quia*, inquit, *etiam ſine tali causà, idem facere potuiſſet.* Verùm hoc ipſum melius infra patebit, *Quæſt.* 30.

12 Ad ſecundam; Negatur, Errorem Titij, non fuiſſe circa conditionem, vel cauſam finalem; Votum enim, fuit à Titio emiſſum in recognitionem, ac quaſi compenſationem hæreditatis adeptæ, tanquam propter finem; Recognitio autem, eſſentialiter præſupponit hæreditatem adeptam. Dei verò cultus per actum promiſſum exercendus, licet ſit cauſa finalis, quaſi vniuerſalis, Votis omnibus communis; Non tollit tamen, quin dentur etiam alij fines particulares principaliter intenti, quibus ceſſantibus, Votum ceſſat. Sic enim, qui peregrinationem vouet ad Filij Sanctitatem obtinendã, illà non obtentà, ad nihil tenetur. Cuius rei ratio à priori eſt, quia Votum, cenſetur factum ſolùm ſub illà conditione. Conditione autem non poſità. Votum non obligat, quia abſolutè non datur.

COROLLARIA.

13 Colligitur ex dictis primò; Eũ qui certæ Eccleſiæ vouit, reſtituere agrum, quem illi putabat eſſe debitum: Si poſtea conſtet, agrũ illum ad talem Eccleſiam non pertinere, nec illi eſſe debitum; ad nihil, ex vi Voti, teneri; Quia verbum reſtituendi, Votum limitauit ad rationem Iuſtitiæ, tanquam primario intentam, quamuis ad Votum illud emittendum, impellere potuerit etiam Religio.

14 Secundò; In dubio, an cauſa, circa quam contigit error, fuerit finalis, vel impulſiua; præſumendum eſſe, quod fuerit impulſiua, & conſequenter, quod Votum obliget. Tum quia, poſſeſſio ſtat pro Voto, quod conſtat, fuiſſe emiſſum; In dubio autem, melior eſt conditio poſſidentis. Tum quia, in omni Voto, cauſa finalis certa, eſt Dei cultus per actum promiſſum exercendus; Ergo in dubio, cæteræ cauſæ, cenſendæ ſunt impulſiuæ. *Sanchez lib.* 10. *matr. d.* 9. *nu.* 17.

15 Tertiò; Si Votum fiat propter duplicem cauſam finalem; Quamuis in vnà erretur, adhuc Votum obligare; Quia vna ſufficit ad obligandum, & vt Votum teneat. Si quis tamen, intenderet, ſe obligare ſolùm, vtràque illà causà exiſtente; tunc, vnà ceſſante, Votum non obligaret, quia Votum non obligat, niſi iuxta intentionem Vouentis.

QVÆ-

QVAESTIO XXVIII.

An ceſſante vnà Cauſà operationis, ceſſet etiam eius valor, ac efficacià.

CASVS.

TITIVS, à quodam Sacerdote paupere, enixè rogatus, ei vigintiquinque aureos, cum iuramento, promiſit; Antequam tamen daret; Sacerdos ille, in quodam concurſu, beneficium Parochiale, ſatis pinguè obtinuit. Titius, hoc audito, ei promiſſos aureos, dare amplius nolebat; dummodo licitè poſſet; Ideoque quæſiuit, an teneretur. Quæritur, an, ex vi promiſſionis, eos dare teneatur.

SVMMARIVM.

3 *Promiſſio, mutatis circunſtantijs, an obligat.*

6 *Ex ſe, nullum habet finem intrinſecum, quem reſpiciat.*

7 *Iuxta varios promittendi modos obligat, vel non obligat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVoniam non ſolùm in cauſas motiuas, ſed etiam in conditiones, pluribus modis ferri poteſt voluntas conditionata; Ideo quæritur; An, quando fertur in plures, ita in eas feratur, vt qualibet earum deficiente, ceſſet ſtatim ipſa intentio, ac voluntas, & conſequenter etiam valor operationis ab eà dependens; An verò adhuc intentio perſeueret. Idemque dicendum eſt, quando circa eas, vel earum aliquam, contingit error; An, ſcilicet, illà non ſubſiſtente, nec ſubſiſtat intentio; & conſequenter nec libertas, nec valor operationis; An verò adhuc detur intentio, ſicque operatio ſit valida.

3 Titius igitur, ex vi promiſſionis teneri non videtur, ad aureos promiſſos Sacerdoti ſoluendos, *Coninch. de Sacr. d. 31. d. 1. num. 7. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 15. quæſt. 12. Syluester v. Votum. 2. quæſt. 8.*

4 Primò; Quia, ceſſante cauſa finali promiſſionis, ceſſat promiſſio; ſed cauſa finalis promiſſionis, fuit Sacerdotis paupertas; ad hanc enim ſubleuandam, videtur Titius, eos aureos promiſiſſe; quod colligi etiam poteſt ex mutatione voluntatis, auditâ mutatione ſtatus Sacerdotis

Ergo

Ergo, ceſſante Sacerdotis paupertate, ceſſauit etiam in Titio obligatio promiſſionis. Hæc autem, per beneficij Parochialis acquiſitionē, ceſſauit.

5 Secundò; Quia Titius; quando, cum iuramento, Sacerdoti pecuniam promiſit, intentionem habuit, ſe obligandi ſolùm conditionatè, ſi eſſet pauper. Voluntas autem conditionata, ad nihil obligat, niſi ponatur conditio. Sicut ergo Titius, ex vi promiſſionis, ad nihil fuiſſet obligatus, Si Sacerdos, tempore promiſſionis, non fuiſſet verè, ſed fictè pauper; ita neque obligatur, ſi deſinat eſſe pauper.

NOTABILE.

6 ADuertendum eſt; Promiſſionem, ex ſe, nullum habere finem ſpecialem intrinſecum, ſicut habet eleemoſyna, vel miſericordia, quæ ad alienam miſeriam ſublenandam eſſentialiter ordinatur, tanquam ad ſuum finem intrinſecum, ac motiuum formale; Sed fieri poſſe, propter hunc, vel illum finem, ad libitum Promittentis. Hinc autem fit primò, vt, in promiſſione, intentio promittendi, ac ſe obligandi, ſit ſemper virtualiter conditionata; *ſi cauſa mouens ad promittendum, ſubſiſtat*; Quia illa cauſa, eſt motiuum formale ſpecificatiuum talis promiſſionis. Secundò, vt eadem intentio, habere ſimul poſſit plura motiua formalia promittendi; quorum, vel omnia moueant per modum cauſæ finalis, vel aliqua per modum cauſæ finalis, aliqua verò per modum cauſæ impulſiuæ. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 AD Caſum reſpondetur; Titium, ad pecuniam Sacerdoti pauperi promittendam, moueri potuiſſe, Vel à ſolà paupertate, tanquam à causà finali, & à Religione, ſiue Sacerdotio, tanquam à causà impulſiuà; Vel ab vtroque tanquam à causà finali; Et hoc rurſus dupliciter; ſcilicet; Vel ab vtroque, ſolùm tanquam à causà adæquatà, ac totali, ita vt, ſingula motiua; eſſent cauſæ partiales; vel à ſingulis tanquam à pluribus cauſis totalibus.

8 Si Titius motus fuit à ſolà Paupertate principaliter, ſiue tanquam à causà finali, & à Sacerdotio ſolum minus principaliter, & tanquã à causà impulſiuà. Reſpondetur; ceſſaſſe in Titio promiſſionis obligationem, propter rationes ſuperius aſſignatas; ideoque Titium ad nihil amplius teneri.

9 Si verò è contra, Titius principaliter motus eſt à Religione, vel Beneficentià, ratione Sacerdotij; minus verò principaliter à paupertate; tunc Reſpondetur; Non ceſſaſſe in Titio obligationem; Quia non ceſſauit cauſa finalis promiſſionis, ſed ſolùm impulſiua.

10 Si autem motus fuit ab vtroque ſimul per modum vnius cauſæ adæquatæ; Reſpondetur; Etiam, in hoc caſu, ceſſaſſe obligationem; Quia, alterutrà causà deficiente, ceſſauit iam cauſa motiua, ac finalis;

lis; Non enim intentionem habuit aliter ſe obligandi, niſi illà duplici cauſà exiſtente.

11 Si denique motus fuit à ſingulis tanquam à cauſis, ac motiuis totalibus; tunc Reſpondetur; obligationem non ceſſaſſe; Quia, ceſſante paupertate, non ceſſauit motiuum Religionis, ſiue Sacerdotij.

12 Si autem, de hac ipsà intentione ſuà dubitet Titius; tunc Reſpondetur; probabilius videri, quod obligatio non ceſſauerit. Tum quia, in dubio, melior eſt conditio poſſidentis; & promiſſio poſſidet; certum enim eſt, quod fuerit facta, incertum verò, an ceſſauerit. Tum quia, in dubio, ſemper præſumitur pro actus perſeuerantia, ſicut præſumitur pro eius valore. *L. quoties. ff. de reb. dub.* Præſertim in fauorabilibus, vt eſt in caſu præſenti; *c. cum dilecti: de donat.* Atque ita, præter Auctores ſuperius citatos, ſentire videntur. *Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 4. c. 18. num. 7. Sanch. lib. 1. matr. d. 4. num. 9. & lib. 10. matr. d. 9. num. 16. Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. d. 209. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 18. d. 17. num. 129. Nau. ſum. c. 17. num. 107.*

QVAESTIO XXIX.

An quilibet error circa Cauſam finalem, operationem reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS Romam venturus, cum audiſſet, in quadam Domo habitare Fœminam, quæ aliàs illi fuerat occaſio peccandi; vouit, per illam viam non tranſire. Poſtea verò, ab Amico cognouit, Fœminam illam, ibi verè tunc non habitare. Accidit tamen, vt poſt aliquot menſes, habitare ibi cœperit; & Titius hoc reſciens, dubitare cœperit; Num per illam viam tranſire poſſet, & an Votum teneret. Quęritur; An Votum fuerit validum, ac teneat.

SVMMARIVM.

5 *Aliquis error circa cauſam finalem Voti, illud non inualidat.*
6 *Satis eſt, vt cauſa motiua, tempore executionis ſubſiſtat.*
7 *Sicut in Voto, facto ad Filij ſanitatem obtinendam.*
8 *Etiam in Diſpenſatione, ſatis eſt, vt cauſa ſubſiſtat, tempore conceſſionis.*
9 *Vouentis intentio, eſt, ſe obligare pro tempore executionis.*
10 *Cauſa, exiſtere poteſt tempore executionis, licet non exiſtat tempore emiſſionis Voti.*
11 *Error circa cauſam, pro tempore executionis, reddit Votum inualidum.*
12 *Per Cauſæ ceſſationem, Votum non extinguitur, ſed ſuſpenditur.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis error circa cauſam finalem intrinſecam operationis, eam regulariter reddat inualidam, quia tollit conſenſum qui ad eius valorem neceſſariò requiritur; Adhuc tamen ſupereſt difficultas; an quilibet error circa cauſam finalem, tollat intentionem, ad operationis valorem, requiſitam. Et eam quidem tollere videtur; ſicque Titij Votum non tenere. Ita *Nauar. c.18. num. 7. in fine. Molina tom.2. d.272. Henriq. lib.11. matr. c. 14. Syluester v. Votum. 2. quæſt. 7. Angel. v. iuram. num. 35.*

3 Primò; Quia, quando Titius Votum emiſit, Fœmina non habitabat in illà domo; Titij autem intentio fuit, obligare ſe ad non tranſeundum per illam viam, non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, & poſito, quod Fœmina habitaret in illà domo. Cum ergo Fœmina ibi non habitaret, quando Titius Votum emiſit, conſequenter Titius intentionem non habuit ſimpliciter ſe obligandi; ſicque, ex defectu cõditionis, ac conſenſus, Votum non fuit validum.

4 Secundò; Quia error circa cauſam finalem Voti, reddit Votum inuoluntarium, & conſequenter nullum; Titius autem, Votum emiſit, ex errore circa cauſam finalem; illud enim emiſit ad vitandum peccandi periculum, imminens ex habitatione Fœminæ in tali domo; quod periculum, verè non imminebat, dum Votum emiſit, cum Fœmina ibi tunc non habitaret. Cum ergo Titius, Votum emiſerit, ex errore cauſæ finalis, conſequenter Votum fuit inuoluntarium, ac nullum.

RESOLVTIO.

5 REſpondetur tamen; Titium, teneri, per illam viam non tranſire, & Votum ab eo emiſſum, fuiſſe validum. *Sanch. lib.4. ſum. cap. 2. num. 45. & lib. 10. matr. d.9. num. 16. Suar. tom. 2. de relig. lib.4. de Voto c. 19. num. 5. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 15. quæſt.*

quæſt. 13. & alij apud iſtos.

6 Primò; Quia ad hoc, vt Votum, ex errore cauſæ finalis emiſſum, non ſit validum, nec obliget non ſufficit, quod tempore emiſſionis Voti; cauſa non ſubſiſtat, ſed neceſsè eſt, vt non ſubſiſtat, eo tempore, quo Votum eſt exequendum; Si enim tunc ſubſiſtat, iam res per Votum promiſſa, tunc eſt vtilis ad finem illum obtinendum; Vouens autem, dum vouet, intendit ſe obligare ad rem promiſſam ponendam, ſi tempore, quo eſt ponenda, ad finem intentum conſequendum ſit vtilis; non verò, ſi ſit vtilis tempore, quo Votum emittitur; Quod enim tunc ſit vtilis, vel inutilis, parum refert, dummodo ſit vtilis tempore, quo ponitur; ad hoc enim ponitur, vt per eam finis obtineatur.

7 Secundò; Quia, Si quis audiens ab Amico, Filium ſuum eſſe in extremo vitę periculo conſtitutum, ad eius ſanitatem obtinendam, voneat peregrinationem lauretanam poſt tres menſes ponendam; licet tunc, quando vouit, Filius in eo periculo conſtitutus non eſſet, ſi tamen tempore, ad Voti executionem præfixo, Filius in eo periculo exiſteret, Votum teneret; Quia pro eo tempore, cauſa finalis Voti exiſteret; ideoque peregrinatio, eſſet tunc medium, ad ſanitatem Filio obtinendam vtile. Hoc autem ſolùm requiritur, ex intentione Vouentis, vt Votum obliget.

8 Tertiò; Quia, Dum Romam mittitur pro diſpenſatione aliquà obtinendà; quamuis falſa cauſa expreſſa, vitiet diſpenſationem; Si tamen cauſa, ſit falſa ſolùm eo tēpore, quo ad diſpenſationem obtinendam, Romam mittitur; ſed ſit vera tempore, quo Pontifex diſpenſationem concedit, valet diſpenſatio, quia ad valorem diſpenſationis, attenditur ſolùm tempus conceſſionis, & non aliud. Sed etiā, ad Voti valorem, attenditur ſolùm tempus executionis, & non aliud. Ergo, quamuis cauſa finalis falſa, Votum vitiet, ſi tamen cauſa eſt falſa ſolùm tempore, quo Votum emittitur, ſed non tempore, quo Votum eſt exequendum, valebit Votum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

9 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; Ad primam; Titij intentionem fuiſſe; obligare ſe ad non tranſeundum per illam viam, poſito quod Fœmina ibi habitaret, non eo tempore, quo Votum emiſit, ſed eo tempore, quo tranſeundum illi erat per illam viam, quia pro eo tempore, abſtinentia à tranſitu per illam viam, erat medium vtile ad peccatum vitandum; tempore autem, quo Titius per illam viam tranſire poterat, iam Fœmina habitabat in illà domo.

10 Ad ſecundam, Reſpondetur; Errorem circa cauſam finalem Voti, vitiare Votum, ſi detur tunc, cum Votum eſt exequendum; quia, deficiente fine, media tunc ad illum ſunt inutilia. At, ſi detur ſolùm, dum Votum emittitur, nō ſufficere

ad Votum irritandum; quia, cum eo errore, dari poteſt cauſa finalis, tempore executionis, ſicque res per Votum promiſſa, eſſe medium vtile ad eum finem conſequẽdum. Hoc autem ſufficit, vt Votum vim habeat obligandi; non enim ſpectatur tempus emiſſionis, ſed tempus executionis; ſicut, in diſpenſatione, requiritur veritas cauſæ, non tempore petitionis, ſed tempore conceſſionis.

COROLLARIA.

11 COlligitur ex dictis primò; Quando tempore Voti executioni præfixo, Cauſa finalis non ſubſiſtit, Votum tunc eſſe innalidum; poſito autem, quod ſemel ſit inualidum, ſemper eſt inualidum, etiamſi poſtea ſuperueniat cauſa finalis. Sicut, ſi ſemel, tempore, quo Pontifex diſpenſationem conceſſit, cauſa erat falſa, etiam ſi poſtea ceſſet falſitas cauſæ, non propterea fit valida diſpenſatio; quia, quod ab initio fuit inualidum, tractu temporis conualidari non poteſt.

12 Secundò; Quando, tempore executionis Voti, cauſa finalis verè ſubſiſtit, & conſequenter Votum eſt validum; Quamuis poſtea, eadem cauſa ceſſet, non propterea Votum omnino extingui, ſed ſolùm ſuſpendi; ideoque, redeunte cauſâ finali, etiam Voti obligationem redire. Tum quia, alioqui, ſi quis, dum eſt ſanus, voueat, ſingulis ſextis ferijs, ieiunare in pane, & aquâ, Et poſtea efficiatur infirmus, ac malæ valetudinis, ita vt à ieiunio excuſetur. Si deinde ad priſtinam redeat ſanitatem, dictum ieiunium ſeruare amplius non tenebitur; Hoc autem eſt contra communem ſenſum Fidelium. Tum quia Votum ſemel validum, per materiæ mutationem de bonâ in malã, vel de poſſibili, in impoſſibilem, aut maius bonum impedientem, non extinguitur, ſed ſuſpenditur, ſi mutatio illa, ſit tantùm temporalis, & non perpetua. Ergo etiam ſuſpendetur ſolùm, ſi ceſſatio cauſæ finalis, ſit tantum temporalis, & non perpetua. Vnde qui vouit, non tranſire per aliquam viam, eo quod ibi habitet Mulier, quæ illi eſt occaſio peccandi; ſi illa domicilium mutet, illac tranſire poterit. At, ſi ea Mulier ibi poſtea iterum habitare incipiat ad Votum tenebitur; quia, per ceſſationem temporalem cauſę finalis, Votum fuit tantum ſuſpenſum, non extinctum; ſicut ſuſpenditur tantum, & non extinguitur, per mutationem temporalẽ materiæ. *Suarez tom. 2. de relig. tract. de Voto l. 4. c. 19. num. 5.*

QVÆ-

QVAESTIO XXX.

An error circa quamlibet cauſam finalem, operationem inualidet?

CASVS.

1 MVLIER quędam, poſt contractum Matrimonium cum Seio, falsò putans, illum eſſe leproſum; ad leprę periculum vitandum, ante Matrimonij conſummationem, Monaſterium ingreſſa eſt; ibique, poſt annum profeſſionem emiſit. Poſtea verò comperit, illum verè non fuiſſe leproſum. Quęritur; Vtrum profeſſio illa fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Error circa cauſam finalem Profeſſionis, illam reddere videtur inualidam.*
3 *Videtur error circa ſubſtantialia Profeſſionis.*
5 *Sicut, ſi eſſet circa materiam Profeſſionis.*
6 *Et ſicut eſt, in Voto ſimplici.*
7 *Verè tamen illam non vitiat.*
9 *Profeſſio, eſt contractus oneroſus.*
10 *Sicut eſt Matrimonium.*
11 *In contractibus oneroſis, error circa cauſam motiuam, non tollit eorum voluntatem abſolutam.*
12 *Hæc voluntas, datur in Profeſſione, ſicut in Matrimonio.*
14 *Tam Profeſſio, quam Votum ſimplex, debent eſſe libera.*
15 *Error circa cauſam motiuam Profeſſionis, non eſt circa ſubſtantialia.*
16 *In Contractibus Oneroſis, cauſa motiua, ad eorum ſubſtantiam non pertinet.*
17 *Profeſſionis emiſſio, eſt abſoluta.*
18 *Differentia inter contractus gratuitos, & oneroſos.*
19 *Alia differentia.*
20 *Regula vniuerſalis pro Contractibus gratuitis, & oneroſis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis huius Quæſtionis reſolutio, colligi fortaſſe poſſet ex reſolutione *Quæſt.* 25. Quia tamen, in profeſſione religioſa, eſt ſpecialis difficultas; & vt clarius appareat, in quo Profeſſio differat à Voto ſimplici; & præſertim, vt, in

in contractibus, cauſa finalis extrinſeca, melius diſtinguatur ab intrinſecâ; Quæritur; an Mulieris profeſſio, in caſu propoſito, fuerit valida? Aliquibus enim videtur non fuiſſe valida. Vt *Rebell. p.2. de oblig. iuſt lib.1. de contract. in gen. quæſt.6. ſ.2. Salas 1.2. tr.3. d.4. ſ.vlt. num.42. Roſel. v. diuortium num.7.*

3 Primò; Quia, Profeſſio Religionis, non minus liberum conſenſum requirit, quàm Votum ſimplex, cùm Profeſſio, ſit Votum ſolemne. Sed Votum ſimplex, ex errore cauſæ finalis, eſt irritum, propter defectum conſenſus, ad illud neceſſarij; nihil enim eſt magis contrarium conſenſui, quam error. Ergo etiam Profeſſio. Sed Profeſſio fuit facta à Muliere, ex errore circa cauſam finalem, & motiuam; fuit enim facta, ad vitandam lepram, quàm Mulier putabat, ſe contracturam ex conſortio cum Seio leproſo; in quo decepta eſt. Ergo fuit inuoluntaria, & conſequenter irrita.

4 Secundò; Quia error circa ſubſtantialia alicuius diſpoſitionis, illam irritat, cum reddat inuoluntariam; Sed error circa cauſam finalem Profeſſionis, eſt error circa ſubſtantialia Profeſſionis, ſicut eſt reſpectu Voti ſimplicis. Ergo error circa cauſam finalem Profeſſionis, illam vitiat, ac reddit inuoluntariam; ideoque Profeſſio facta à Muliere, ex ſimili errore, fuit inualida.

5 Tertiò; Quia, ſi Mulier decepta fuiſſet circa materiam Profeſſionis, & putans, ſe profiteri in Religione *Sancti Auguſtini*, profeſſa eſſet in Religione *Sancti Benedicti*; Profeſſio fuiſſet nulla, ex defectu voluntatis, & conſenſus. Ergo etiam, cùm profeſſa ſit, ex errore circa cauſam finalem, Profeſſio fuit nulla; Non minus enim error circa cauſam finalem, quàm circa materiam Profeſſionis, eſt error circa ſubſtantialia Profeſſionis.

6 Quartò; Quia, ideo Votum ſimplex, ex errore cauſæ finalis emiſſum, eſt nullum, quia qui illud emittit, habet intentionem illud emittendi ſolùm ſub conditione, quod cauſa finalis ſubſiſtat; ſiue, illud emittit dependenter ſolum à tali causà finali; Sed etiam, qui profitetur, Profeſſionem emittit ſolùm dependenter à causà finali motiua, habetque intentionem profitendi ſolùm conditionatam, *poſito, quod talis cauſa ſubſiſtat*; Nulla enim eſt ratio, cur hæc intentio habeatur in Voto, & non in Profeſſione; Ergo etiam Profeſſio, ex errore circa cauſam finalem emiſſa, erit nulla.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen: Profeſſionem fuiſſe validam. *Sanch. lib.10. matr. d.9. num.20. Nau. lib.3. conſ. de conu. coniug. conſ.3. num.4. Rodrig. p.1. ſum. cap.238. num.3. Sylueſter v. diuortium quæſt.22. num.5. Reginald. lib.25. c.8. ſ.2. num.121. Bonac. de contract. d.3. qu.1. p.2. ſ.2. num.3. Layman. lib.3. tract.4. ſ.5. c.5. num.6.* & alij apud iſtos.

Pri-

8 Primo; Quia; *in c. fin. 20. qu. 3.* deciditur; Profeſſionem dolo Monachorum factam, eſſe validam; ipſos tamen priuandos eſſe hæreditate illius Profeſſi. Et, *in c. ex parte: de conuerſ. coniug.* dicitur; loquendo de Muliere, quæ falsò exiſtimans, ſe poſſe à Viro leproſo recedere, Monaſterium ingreſſa erat; *Quamuis falſa ſit cauſa, per quam ad ſuſceptionem veli prædicta mulier eſt inducta; cum ſine qualibet tali cauſa, id ipſum, religionis obtentu facere potuiſſet.* Ergo, ex mente Pontificis, Mulieris Profeſſio fuit valida. Ex hoc tamen textu, hoc clarè colligi non poteſt; vt dictum eſt.

9 Secundò; Quia Profeſſio, eſt contractus oneroſus, initus inter Profeſſum, ac Religionem, quo Religioſus traditur, ac obligatur Religioni; & è contra Religio obligat ſe ad ipſum Religioſum alẽdum, ac retinendum: Omnes autem contractus oneroſi, celebrati, ex errore, vel dolo, dante cauſam Contractui, ſiue ex errore circa cauſam finalem contractus, ſpectato ſolo iure naturę, ſunt validi; dummodo error non contingat circa ſubſtantialia Contractus. Cum ergo, nullum extet ius poſitiuum, quod Profeſſionem dolo emiſſam irritauerit; dicendum eſt, eam fuiſſe validam.

10 Tertiò; Quia Matrimonium, ex errore circa cauſam inducentem ad contrahendum, celebratum, non eſt, ipſo iure, irritum, niſi error ſit circa ſubſtantialia contractus, vt eſt error Perſonæ. Ergo neque Profeſſio, ex eodem errore facta, erit irrita, niſi error contingat circa ſubſtantialia Profeſſionis, vt eſt error circa Religionem; Nam etiam Profeſſio, eſt Matrimonium quoddam ſpirituale, & contractus oneroſus.

10 Quartò; Quia, in Contractibus oneroſis, error circa cauſam inductiuam ad contrahendum, non tollit voluntatem, ſiue intentionem abſolutam contrahendi, vt patet in contractu Matrimonij, Emptionis, Venditionis, & alijs ſimilibus; in quibus, intentio contrahendi, eſt omnino abſoluta, & independens ab omnibus circunſtantijs accidentalibus, ac extrinſecis; Sed Profeſſio, eſt contractus oneroſus; Ergo error circa cauſam illius inductiuam, non tollit voluntatem abſolutam profitendi; alioquin hoc idem aſſeri poſſet etiam de Matrimonio, & alijs contractibus oneroſis: Adde; quod, cum contractus iſti, ſint, ex ſe, irreuocabiles, ac perpetui, hic modus illos volendi abſolutè, eſt illis magis connaturalis, ac conformis, quia eſt modus illos volendi irreuocabiliter.

12 Quintò; Quia, ideo in Matrimonio, Voluntas contrahendi, eſt abſoluta, & independens ab omnibus, quę ad ipſius Matrimonij eſſentiam non pertinent; Quia, ſi dependeret ab alijs rebus extrinſecis, ſequeretur, plurima Matrimonia cenſenda eſſe irrita, neque vllius Matrimonij valorem, fore vnquam certum; Semper enim dubitari poſſet, an intentio contrahendi, fuerit conditionata, & ſolùm, poſità tali

 cir-

circunſtantià accidentali, ac extrinſeca; Hoc autem cederet in graue damnum Reipublicæ; Sed hoc idem prorſus dici poſſet de Profeſſione, ſi intentio profitendi non eſſet abſoluta, cum ipſa ſit Matrimonium quoddam ſpirituale. Ergo etiam, in Profeſſione, Voluntas profitendi, erit abſoluta; ideoque independens à veritate cauſæ inducentis ad profitendum.

13 Sextò; Quia Error, vel Dolus, quando eſt circa ſubſtantialia Profeſſionis, non tollit perfectam libertatem, ad ſubſtantiam Profeſſionis requiſitam, ſicut nec illam tollit ad Matrimonium, cui æquiparatur; Vnde Eccleſia, Profeſſionem dolo emiſſam, non irritauit; Sicut nec irritauit Matrimonium, quando error non eſt circa ſubſtantialia. Ergo nec tollit eius valorem, ſicut illum non tollit, in Matrimonio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam, enim, reſpondetur; Tam Votum ſimplex, quam Profeſſionem religioſam debere eſſe ſimpliciter libera, ac voluntaria, ita vt non interueniat error circa ſubſtantialia; In Voto tamen ſimplici, cum ſit ſimile contractibus gratuitis; (eſt enim promiſſio facta Deo de re aliqua facienda, vel omittenda;) Error circa cauſam finalem, cenſetur error circa ſubſtantialia, quia procedit ex intentione virtualiter conditionali, *ſi videlicet cauſa, à quà inducitur ad promittendum, ſubſiſtat*. At verò in Profeſſione religioſà, cum ſit ſimilis contractibus oneroſis, vt dictum eſt; Error in cauſà finali, non cenſetur eſſe error circa ſubſtantialia, quia cauſa finalis, ſiue inductiua, non eſt intrinſeca, nec ingreditur eſſentiam contractus oneroſi. Hinc ergo fit, vt Votum ſimplex, ex errore circa cauſam finalem, ſit irritum, Profeſſio verò non ſit irrita.

15 Ad ſecundam reſpondetur; negando, errorem circa cauſam finalem Profeſſionis, eſſe errorem circa ſubſtantialia illius, ſicut eſt in Voto ſimplici. Ratio autem diſparitatis eſt; quia Votum ſimplex, eſt contractus quidam gratuitus; Profeſſio verò, eſt contractus oneroſus, de cuius eſſentia non eſt, cauſa inducens ad contrahendum, vt patet in Matrimonio, & cæteris contractibus oneroſis.

16 Ad tertiam reſpondetur; negando ſimiliter conſequentiam; Nam, in omnibus contractibus, materia contractus, eſt de illius eſſentia; At cauſa finalis, in contractibus oneroſis, non eſt de illorum eſſentia, ſed eſt illis extrinſeca, & accidentalis, cum in illis, ſit potius finis operantis, quam finis operis, & ſit potius cauſa impulſiua, quam finalis; eſt enim variabilis ad libitum Contrahentium, cum idem contractus, ſit indifferens, vt fiat propter illum, vel alium finem. Si autem eſt extrinſeca, error circa illam, non eſt error circa ſubſtantialia.

17 Ad quartam reſpondetur. Negando minorem; Qui enim profeſ-

feſſionem emittit, illam emittit abſolutè, ſiue erretur, ſiue non, in cauſà inductiuà; Cum enim ſit voluntas eligendi ſtatum perpetuũ, conſequenter eſt voluntas illum eligendi independenter à quibuſcumque circunſtantijs extrinſecis, & etiamſi erretur in circunſtantijs illius ſtatus quamtumuis magnis; Alioquin de quacumque Profeſſione dubitari ſemper poſſet, an eſſet valida, ſicque oriretur magna confuſio. Hæc autem, non oritur, ex eo, quod in Voto ſimplici, voluntas illud emittendi, ſit dependens à cauſà finali, & virtualiter conditionalis; *ſi talis cauſa ſubſiſtat*; Cum enim Votum ſimplex, ſimile ſit contractibus gratuitis, & promiſſioni; & Promiſſio nullam habeat ex ſe cauſam finalem determinatam & intrinſecam, ſed ſit indifferens, vt fiat propter hunc potius finem, quam alium; fieri debet dependenter à cauſà finali motiuà; alioquin nullum haberet finem; & conſequenter per voluntatem virtualiter conditionatam; *ſi talis cauſa ſubſiſtat*.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò; Hanc eſſe differentiam inter contractus oneroſos, & gratuitos; quod in oneroſis, cauſa finalis intrinſeca, eſt identificata cum eorum materia; cum enim ſint eſſentialiter mutui, illud, quod reſpectu vnius Contrahentis eſt materia, reſpectu alterius eſt cauſa finalis. Sic in Emptione, ac Venditione, pretium, quod, reſpectu Ementis, eſt materia, quæ traditur ad rei emptę dominium obtinendum; reſpectu Vendentis, eſt cauſa finalis; Venditor enim tradit rem, ad eius pretium obtinendum. Similiter in Matrimonio, vnus Contrahens tradit proprium corpus alteri, ad alterius dominium obtinendum in ordine ad generationem; & ſic in omnibus contractibus oneroſis. At in contractibus gratuitis; cum non ſint propriè mutui; cauſa finalis, non eſt neceſſariò identificata cum eorum materia; Qui enim promittit peregrinationem, vel calicem, nullum habet finem determinatum, qui cum peregrinatione, vel calice ſit identificatus; ſed hæc promittere poteſt propter quemcumque finem voluerit. Hinc ergo fit primò; vt in contractibus gratuitis, intentio, ac voluntas contrahendi, ſit virtualiter conditionalis, & dependens à cauſà finali motiuà; in oneroſis verò, voluntas contrahendi, ſit abſoluta, & independens à cauſà ad contrahendum inductiuà. Secundò, vt, in gratuitis, cauſa finalis, pertineat ad eorum ſubſtantiam; in oneroſis verò, ſit ſolùm circunſtantia extrinſeca, & accidentalis; quia non eſt finis operis, ſed Operantis.

19 Secundò; Ex primà illà differentià, oriri etiam aliam differentiam. Nam in contractibus oneroſis, cùm cauſà finalis, ſit identificata cum eorum materià, non eſt variabilis ad libitum Contrahentium, ſed eſt eſſentialiter determinata, ſicut eſt determinata materia; ita vt; quicum-

cumque talem contractum celebrare velit, illum celebrare neceſſario debeat propter talem finem intrinſecum, nec poſſit illum celebrare ſine tali fine; Eſto, moueri etiam poſſit ab alijs finibus; Sic enim, qui vult aliquid emere, neceſſariò vult tradere pretium ad rei emptæ dominium obtinendum; & qui vult Matrimonium contrahere, vult tradere proprium corpus alteri, ad alterius dominium obtinendum, in ordine ad generationem; Alioquin neque illa eſſet emptio, neque hoc Matrimonium. Contra verò, in Contractibus gratuitis, cauſa finalis, cùm non ſit neceſſariò identificata, cum eorum materia, non eſt eſſentialiter determinata, ſed eſt variabilis ad libitum Contrahentium; Qui enim Calicem Eccleſiæ promittit, nullum habet finem determinatum, propter quem illum promittere neceſſariò debeat ſed illum promittere poteſt propter quemcumqne finem voluerit; Hinc ergo fit, vt intentio promittendi, debeat eſſe dependens à cauſà finali motiuà, & inductiuà ad contrahendum; Quia, ſi ab illà non penderet, nullum, haberet finem, ad quem intrinſecè terminaretur; quod tamen eſt contra naturam voluntatis, quæ per omnes ſuos actus, ferri debet in aliquod bonum per ſe expetibile, & conſequenter in aliquem finem; Intentio verò emendi, non debeat eſſe depēdens a cauſà inductiuà ad emendum, quia, cum ſit eſſentialiter determinata ad dandum pretium, vt rei emptæ dominium obtineat, iam habet ſufficientem cauſam finalem, ad quam terminetur. Secundò fit, vt intentio promittendi, debeat eſſe virtualiter conditionata, *ſi cauſa ſubſiſtat*; Quia cauſa finalis intrinſeca cum non ſit, ex ſe, determinata, ſed pro libito à voluntate determinabilis, poteſt eſſe vera, vel falſa; Intentio verò emendi, debeat eſſe abſoluta: Quia, cum causà finalis intrinſeca, ſit, ex ſe, eſſentialiter determinata, non poteſt eſſe variabilis; Ideoque debet eſſe neceſſariò vera; Qui enim dat pretium, neceſſariò rei emptæ dominium acquirit; neque in hoc contingere poteſt error.

20 Tertiò; Hinc deſumi poſſe hanc regulam vniuerſaliſſimam. Primò in omnibus contractibus oneroſis, cauſam inductiuam ad contrahendum, eſſe regulariter ipſis contractibus extrinſecam; ideoque errorem circa illam, huiuſmodi contractus non vitiare; In contractibus verò gratuitis, cauſam inductiuam eſſe intrinſecam, ideoque errorem circa illam, eos vitiare. Secundò in omnibus contractibus oneroſis, cauſam inductiuam, eſſe motiuum, non ipſius intentionis contrahendi, ſed actus, per quem contractus oneroſi à voluntate imperātur; ideoque poſſe variari ad libitum voluntatis, & appellari poſſe potius cauſam impulſiuam, quam finalem, cum ſit propriè finalis ſolùm reſpectu actus imperantis. In gratuitis verò, eſſe motiuum immediatum ipſius voluntatis promittendi, vel donandi, quæ alias nullum haberet motiuum, ad quod vlti-

mò terminaretur; ideoque appellari debere, reſpectu iſtorum contractuum, cauſam finalem intrinſecam.

QVAESTIO XXXI.

An error, circa qualitatem Cauſæ materialis, Operationem inualidet.

CASVS.

1 MERCATOR quidam, moriens, plures merces in hereditatem, Filio reliquerat; ſingulíſque mercibus, propria nomina appoſuerat. Inter alias autem, erat etiam Arboris cuiuſdam Sinenſis Cortex; Virtutis, contra febres, præſertim quartanas; admirabilis. Filius, Patre mortuo, merces omnes cum ſuis nominibus, vendendas expoſuit, Corticis virtutem ignorans; Titius verò, illac caſu tranſiens, & Corticem videns, quia eius virtutem optimè nouerat, illum tribus aureis emit: Sed paulo poſt, quia virtus erat iam communiter nota; eà pàtefactà, eundem Corticem ſtatim vendidit aureis ſeptuaginta. Quæritur; Vtrum Emptio illa, fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Ad operationis ſubſtantiam, pertinet, non ſolum finis, ſed etiam materia.*

6 *In emptione, ac venditione, non ſolùm res vendenda, ſed eius etiam qualitates pertinent ad materiam.*

7 *Rei valor, deſumitur ex eius vtilitate in ordine ad vſum, ad quem vendi ſolet.*

8 *Et ex communi æſtimatione; quam Res habet, in illo loco.*

9 *Error circa virtutem Rei vendendæ; irritat venditionem.*

10 *Illam reddit ſimpliciter inuoluntariam.*

11 *Ad venditionis ſubſtantiam, non minus pertinet qualitas, Rei, quam Res.*

12 *Nec minus, quam cauſa finalis.*

13 *Qualitas Rei vendendæ, conſtituit*

tuit valorem, qui eſt Venditionis materia.

14 *Quæ qualitas, Rei valorem, ac venditionis materiam conſtituat.*

15 *Qualitas Perſonæ, regulariter Matrimonij materiam non conſtituit.*

16 *Non omnes Rei qualitates, ad venditionis materiam pertinent.*

17 *Theſaurus abſconditus, non pertinet ad materiam venditionis Agri.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut ad Operationis ſubſtantiam, pertinet eius motiuum, ſiue cauſa finalis, ita pertinet etiam obiectum, ſiue cauſa materialis; Tam enim ſine vnâ, quam ſine aliâ, operatio eſſe non poteſt; ideoque ad eius valorem, etiam cauſæ materialis notitia requiritur, ſicut finalis; &, ex errore circa materialem, æquè eſt inualida operatio, ac ex errore circa finalem. Hoc ergo poſito; ſicut quæſitum eſt; An, & quando, error circa cauſam finalem, eiuſque circunſtantias, operationem reddat inualidam: Ita quærendum ſupereſt; An, & quando, eandem irritet, error circa cauſam materialem, eiuſque qualitates, ac circunſtantias; Sic enim, & eorum, quæ ad cuiuſlibet operationis valorem, neceſſariò requiruntur, habebitur perfecta notitia, & quanta ad ipſius valorem impediendum, ſit erroris, ac ignorantiæ, efficacia, conſtabit.

3 Corticis igitur Emptio, videtur fuiſſe valida. *Turrian.* 2.2. *tom.* 2. *d.*58. *d.*4 *n.*6. *P. Nau. de reſt. c.*2. *num.*36. & alij.

4 Primò; Quia, quamuis Mercatoris Filius, Corticis virtutem ignoraret, ipſius tamen Corticis notitiam habebat; Hoc autem ſufficere videtur, vt eius venditio, illi fuerit voluntaria, & conſequenter, vt emptio fuerit valida. Sicut enim ad Matrimonij valorem, ſufficit notitia Perſonæ, cum quâ contrahitur, quamuis circa eius qualitates detur ignorantia, vel error; ita ad valorem venditionis, & conſequenter etiam emptionis, ſatis eſt notitia rei, quæ venditur; licet circa eiuſdem rei qualitates detur ignorantia, vel error; Non minus enim, in emptione, ac venditione, res, eſt materia contractus, quàm, in Matrimonio, perſona. Si ergo in Matrimonio, ignorantia, vel error circa qualitatem perſonæ, illud non vitiat; neque in venditione, error, vel ignorantia circa qualitatem rei venditæ; illam vitiabit; Vtrobique enim, qualitas videtur eſſe circunſtantia merè accidentalis.

5 Secundò; Quia, ſi ad emptionis ac venditionis valorem, requireretur, non ſolùm notitia Rei emendæ, vel vendendæ, ſed etiam qualitatis ipſius Rei; ſequeretur, inualidã eſſe venditionem, ac emptionẽ quacumque rei qualitate ignoratâ; Eo enim ipſo emptio, vel venditio eſſet inuoluntaria. Conſequens autem eſt abſurdum; Hoc enim, eſſet iugum grauiſſimum, hominum cõmer-

mercijs imponere, quod nec timorati ferre poſset; Et artifices, quoſcumque defectus rerum, quas vendendas exponunt, cum ipſorum notabili detrimento, omnibus manifeſtare tenerentur; ex quo fieret, vt paucos haberent emptores, multumque illis de pretio detraheretur. Cum ergo ad venditionis valorem, in Venditore, qualitatis rei vendendæ notitia non requiratur, dicendum videtur, Corticis venditionem, factam à Filio Mercatoris, eius virtutem ignorante, & conſequenter etiam eius emptionem, fuiſſe validam.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; In contractu emptionis, ac venditionis; & locationis, ac conductionis, non ſolùm rei venditæ, vel locatæ ſubſtantiam, ad eorum eſſentiam pertinere, ſed eius etiam qualitates; Tum quia, per venditionem, venditur, & alienatur quidquid vtilitatis eſt in re, ac in Emptorem transfertur; Et per locationem, in Conductorem tranſfertur vſus, non ſolum ſubſtantiæ rei, ſed etiam qualitatum ipſius; Hinc autem fit, vt vitium rei ignoratæ, contractum reddat inuoluntarium, ac nullum; Qui enim rei vitium ignorauit, ignorauit aliquid pertinens ad ſubſtantiam emptionis, ac venditionis, ideoque illam ſimpliciter noluit. Tum quia, totum illud, quod in re, quæ emitur, aut venditur, eſt pretio æſtimabile; eſt de venditionis, ac emptionis ſubſtantia; Eſt enim eius materia, vel finis. Non ſolùm autem res, ſed etiam eius qualitates, ſunt pretio æſtimabiles; Nam etiam qualitates concurrunt ad rei vtilitatem, ac valorem intrinſecum conſtituendum, cum hic, ſemper oriatur ex aliquà rei virtute, & qualitate, ratione cuius plus æſtimatur; Vnde Herba, naturali virtute, ad morbum aliquem curandum, prædita, ratione illius virtutis, in magna eſt apud homines æſtimatione.

7 Aduertendum eſt ſecundò; In Emptione, ac Venditione; attendi vtilitatem, ac valorem, quã res, ſecundum communem æſtimationem habet, in ordine ad vſum, ad quem vendi communiter conſueuit, Hic enim, eſt, per ſe, valor illius rei; Nam valor, quem res habet, ratione virtutis occultæ, ſiue in ordine ad alium vſum particularem, ab Emptore ſpecialiter cognitum; eſt valor per accidens rei, & fructus peritiæ ipſius Emptoris. Vnde, ſi quis, ſingularem alicuius Gemmæ, aut Herbæ virtutem, ad morbum aliquem curandum, cognoſceret, quam alij homines communiter nõ cognoſcunt; eam non ſolùm validè, ſed etiam licitè, emere poſſet pretio, quo communiter æſtimatur; quamuis Venditor, ſi eius virtutem ſingularem cognoſceret, illam non venderet, vel ſaltem non niſi pretio longe maiori; Quia, in tali emptione, nullam Venditori iniuriam faceret, daret enim illi pretium, quo, in ordine ad vſum, ad quem vendi ſolet, in eo loco, communiter, æſtimatur. Hic autem eſt,

eſt, per ſe, rei illius valor, ac vtilitas.

8 Aduertendum eſt tertiò; Rei vtilitatem, ac valorem, penſandum eſſe, iuxta communem æſtimationem, quam res habet in eo loco, in quo venditur, aut emitur; Res enim non pluris valere cenſetur, quam, in eo loco communiter æſtimetur; Vnde, ſi in alienâ Regione, res parui æſtimetur, paruo emi poteſt; Atque ita, apud Indos, licitum eſt, pro Auro, alijſque rebus pretioſiſſimis, Specula, Tintinnabula, & alia ſimilia commutare; quia Aurum ibi, parui æſtimatur; contra verò, Specula, ac Tintinnabula, magni. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum reſpondetur; Emptionem illam, fuiſſe inualidam. Ita *Molina tom. 2. d. 353. num. 13. Leſſius lib. 2. c. 21. d. 11. num. 85. Filliuc. tract. 35. cap. 6. num. 126. Bonac. d. 3. de contr. q. 2. p. 4. num. 5. Salon. 2. 2. quæſt. 77. art. 3. contr. 3. concl. 2. Arag. ibidem*; & alij apud iſtos.

10 Primò; Quia Filius Mercatoris, dum Corticem vendidit, eius virtutem, quamuis alias communiter notam, ignorauit; nec illum, eo ſaltem pretio, vendidiſſet, ſi eius virtutem cognouiſſet. Ignorantia autem, vel error circa qualitatem rei, quæ venditur, aut emitur, emptionem, ac venditionem reddit ſimpliciter inuoluntariam, & conſequenter inualidam. In emptione enim, ac venditione, ignorantia, vel error circa qualitatem rei emendæ, aut vendendæ, eſt error circa aliquid pertinens ad earum materiam, quæ eſt, rei valor; nam hic, ex rei qualitatibus, potiſſimum deſumitur, ac ſpecialiter attenditur.

11 Secundò; Quia, non minus pertinet ad eſſentiam emptionis, ac venditionis, qualitas rei, quam ipſa rei ſubſtantia, imò multò magis; Magis enim ex rei qualitatibus, deſumitur eius valor, qui in venditione, ac emptione, primario, ac principaliter attenditur, quàm ex ipsâ ſubſtantia; Nam Herbæ, vel Lapides, ideo habent valorem, quia habent virtutem aliquam ſpecialem ad morbos curandos, vel ad alios ſimiles effectus. Sed ignorantia, vel error circa ſubſtantiam rei vendendæ, reddit irritam venditionem, eo quod illam reddat ſimpliciter inuoluntariam: ergo etiam ignorantia, vel error circa qualitates ejuſdem rei, illam reddet inualidam, & conſequenter etiam emptionem. Cum igitur Mercatoris Filius, Corticis virtutem ignorauerit, nec illum, eo ſaltem pretio vendidiſſet, ſi cognouiſſet; dicendum eſt, venditionem illam, & conſequenter etiam emptionem fuiſſe inualidam.

12 Tertiò; Quia; Qualitas rei vendendæ, non minus pertinet ad ſubſtantiam emptionis, ac venditionis, quam cauſa finalis; qualitas enim rei vendendæ, pertinet ad materiam venditionis, vt dictum eſt; Materia autem, non minus pertinet ad eſſentiam diſpoſitionis, quã cauſa finalis, vt per ſe patet. Sed

error,

error, vel ignorantia cauſæ finalis, reddit irritam emptionem, ac venditionem, vt potè inuoluntariam; Ergo eam etiam reddet inualidam ignorantia, vel error circa rei vendendæ qualitates.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes autem in contrarium, reſpondetur. Ad primam; Eſſe magnam diſparitatem inter qualitates Perſonarum, in contractu Matrimonij, & qualitates rei vendendæ, in contractu emptionis, ac venditionis; In Matrimonio enim, qualitas Perſonæ, nullo modo concurrit ad conſtituendam ipſam Perſonam, quæ eſt materia contractus Matrimonij, ſed eſt aliquid illi merè accidentale; At in emptione, ac venditione; qualitas rei vendendæ, cōſtituit eius valorem, qui eſt materia venditionis; Res enim, vt habens talem, vel talem valorem, eſt materia venditionis; Talem autem, vel talem valorem habet à qualitatibus. Hinc ergo fit, vt, in Matrimonio; qualitas Perſonæ, ſit circunſtantia accidentalis; in emptione verò, ac venditione, qualitas rei vendendæ, ſit circunſtantia ſubſtantialis, ſiue pertinens ad ſubſtantiam venditionis, & conſequenter, vt ignorantia, vel error circa illam, irritet emptionem, ac venditionem, error verò, vel ignorantia circa qualitatem Perſonæ, non irritet Matrimonium.

14 Ad ſecundam reſpondetur; Diſtinguendo ſequelam; Ignorata quacumque qualitate, quæ reddit rem notabiliter magis, vel minus vtilem ad id, ad quod emitur, emptio eſſet inuoluntaria, ac inualida. Concedo ſequelam. Si qualitas ignorata, non reddat rem notabiliter magis, vel minus vtilem ad id, ad quod emitur; Nego ſequelam. Quādo enim qualitas, non reddit rem notabiliter magis, aut minus vtilem ad id, ad quod emitur, Emptor cenſetur irrationabiliter inuoluntarius, quia nemo legem tam rigoroſam in contrahendo admittit, vt ignorantia cuiuſcumque qualitatis rei, ſufficiat ad reddendam emptionem inualidam, neque hoc, bono communi expedit. Ad valorem ergo venditionis, ac emptionis, ſatis eſt, notitia earum qualitatum, vel vitiorum, quæ reddunt rem notabiliter magis, vel minus vtilem ad id, ad quod emitur; Sic enim contractus emptionis, ac venditionis, eſt humano modo vſualis, neque vllū ex hoc ſequitur inconueniēs. Contra verò, ſi Sutor, qui calceos confecit ex parte corij debiliori; Ea de re emptorem admonere teneretur; multùm de iuſto pretio, cum notabili ſuo detrimento detrahere cogeretur, & pauciſſimos emptores inueniret. Hi enim, vitijs cognitis, ab emptione retraherentur; & aliunde calcei ſic confecti, ſuo modo, ad vſum, pro corij qualitate, ſunt vtiles, neque omnes eſſe poſſunt ex corio firmo. Satis ergo erit, ſi Sutor pro calceorum qualitate, pretium moderetur. Si tamen, corium eſſet aduſtum, eàque de causà, calcei ſtatim ef-

eſſent rumpendi; tunc Sutor vitium illud manifeſtare teneretur, quia calceos redderet notabiliter minus vtiles ad vſum, ad quem communiter emuntur, & ſi non manifeſtaret, venditio eſſet nulla.

COROLLARIA.

15 Colligitur ex dictis primò; In contractibus emptionis, venditionis, locationis, ac conductionis, hanc ſtatui poſſe tanquam regulam generalem. Qualitatem rei emendæ, locandæ &c. ad eorum materiam, ac eſſentiam pertinere; ideoque ignorantiam, vel errorem circa illam, eos reddere irritos. In contractu verò Matrimonij, qualitatem Perſonæ, eſſe ipſi Perſonæ, vt plurimum, omnino accidentalem; ideoque eius ignorantiam, vel errorem, Matrimonij valorem non impedire.

16 Secundò; Si à Ruſtico afferantur herbæ, ad Iumentorum pabulum, vendendæ, & Pharmacopola, in arte peritus, aliquam inter illas agnoſcat magni pretij, ac valoris, ad Pharmaca conficienda; poſſe hunc, herbas illas emere pretio, quo communiter venduntur in illo foro, eius valorem Ruſtico non detegendo; Quia herbæ illæ, ex modo ipſo vendendi, hoc eſt, ad pabulum iumentorum, non plus communiter æſtimantur; Quod autem aliquæ ex illis, Pharmacopolæ, ad alium vſum deſeruiant, fructus eſt ſuæ Artis, ac peritiæ. *Leſſ. lib.* 2. *de iuſt. c.*21. *d.*11. *n.*85.

17 Tertiò; Si quis theſaurum, aut venam Auri, in agro alicuius latere ſciat; poſſe hunc, agrum illum emere pretio communi, quo æſtimatur ad vſum, ad quem vendi communiter conſueuit, & quo emere poſſet, ſi theſaurum, aut venam illam non haberet; Quia iuſtum pretium rei per ſe, eſt illud, quo communiter res æſtimatur ad vſum, ad quem emi conſueuit; Nec Venditor, vllà re ſuà defraudatur, cum theſaurus, in nullius bonis ſit. §. *theſaurus: inſt. de rer. diui S.*

QVÆ-

QVAESTIO XXXII.

An error circa quamlibet qualitatem Cauſæ materialis, operationem irritet.

CASVS.

1 TITIVS, decem Adamantes, quos ſecum ex Poloniâ attulerat, Romæ vendidit, mille aureis, quia hic erat in Poloniâ eorum valor, ignorans, Romæ, vbi erat Aduena, valere aureos decem mille. Quæritur; Vtrum, venditio iſta fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Non ſemper error circa qualitates materiæ, contractum vitiat.*

6 *Rei vendendæ valor duplex; intrinſecus, & extrinſecus.*

7 *Error valoris, quem ibi res habet, contractum non irritat.*

8 *Eſt error circa valorem extrinſecum.*

9 *Valor rei extrinſecus, eſt venditioni accidentalis.*

10 *Error circa illum, reddit venditionem inuoluntariam ſolùm ſecundum quid.*

11 *Pretium, pertinet ad ſubſtantiam venditionis, non quantitas pretij.*

12 *Idem valet in Donatione.*

13 *Id, quod in illis fuit inuoluntarium, eſt reſtituendum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut Cauſa impulſiua, tenens ſe ex parte Cauſæ finalis, aliquando eſt illi extrinſeca, aliquando etiam intrinſeca, eiuſque conſtitutiua; Ita qualitates, tenentes ſe ex parte obiecti, ſiue Cauſæ materialis, aliquando ſunt illi merè accidentales; aliquando etiam eſſentiales, eamque conſtituunt. Hinc autem fit, vt ſicut error circa cauſam impulſiuam, aliquando operationem vitiat; aliquando non vitiat: Ita eam aliquando reddat inualidam, error circa qualitates cauſæ, ſiue obiecti materialis; aliquando non reddat.

3 Vt ergo qualitates iſtæ, præſertim in contractibus Emptionis, ac Venditionis, melius ab inuicem diſtingui poſſint, præſens Caſus proponitur; in quo, venditio videtur fuiſſe inualida. Ita *Nauar. cap.* 3.

ſum. num.89. Syluester v. emptio quaſt. 20. Medina c. de reſtitut. quaſt. 34. Molina tom. 2. d.353. num.20.

4 Primò; Quia, dum Titius Romæ vendidit Adamantes, eorum valorem ignorauit, neque eò pretio vendidiſſet, ſi cognouiſſet. Ergo venditio illa fuit inuoluntaria, & conſequenter inualida, Ignorantia enim, vel error circa rei vendendæ valorem, eſt error circa ſubſtantiam venditionis, cùm rei valor ad eſſentiam venditionis pertineat, vt dictum eſt. Ignorantia autem, vel error circa ſubſtantiam alicuius diſpoſitionis, eam reddit inuoluntariam, & conſequenter inualidam.

5 Secundò; Quia Titius errauit circa pretium. Pretium autem pertinet ad ſubſtantiam contractus venditionis, non minus quàm rei vendendæ valor: Ergo errauit circa aliquid pertinens ad ſubſtantiam venditionis; ſicque venditio fuit omnino inuoluntaria, ac inualida.

NOTABILE.

6 ADuertendum eſt; Rem vendendam, duplicem habere valorem; Alium intrinſecum, qui ſcilicet prouenit ex aliquà virtute, vel qualitate ipſius rei, ex quà virtute oritur, vt magis æſtimetur; Alium extrinſecum, qui prouenire ſolet ex ipſius rei abundantià, vel penurià; ex multitudine Emptorum, ex raritate Venditorum; &c. Et, qui, manente re, in ſe ipsà immutatà, pro locorum, ac temporũ diuerſitate, variatur; Primus pertinet ad ſubſtantiam venditionis, quia oritur ex rei qualitatibus, quæ in venditione, ſunt circunſtantiæ ſubſtantiales, vt dictum eſt. Secundùs verò, eſt circunſtantia, venditioni omnino accidentalis; ſicut eſt omnino accidentalis, ipſi rei vendendæ, ac variatur, ipsà re inuariatà. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 REſpondetur; Venditionem, fuiſſe validam, etiam ſi Titius, cognito Adamantium valore, eos, eo ſaltem pretio, non vendidiſſet. *Vaſq. 1. 2. d. 30. cap. 4. num. 28. Azor. tom. 1. c. 18. qu 4. Reginald. tom. 2. lib. 31. cap. 14. num. 97. & lib. 25. num. 340. d 3. Sanch. lib. 1. c. 2. num. 11. Arag. 2. 2. quæſt. 77. ar. 3. Salaſ. de contr. d. 36. de empt. num. 7.* & alij communiter.

8 Primò; Quia, licet eos vendiderit ex errore, putans valere Romæ, ſolùm mille aureis, ſicut valebant in Patrià; adhuc tamen, error ille, fuit ſolùm circa eorum valorem extrinſecum, & prouenientem, ex locorum diuerſitate, & fortaſſe ex eorum penurià, Romæ. Error autem circa valorem, rei extrinſecum, cùm ſit error circa circunſtantiam, venditioni omnino accidentalem, non tollit conſenſum ad illam neceſſarium, & conſequenter nec eius valorem.

9 Secundò; Quia non minus eſt accidentalis venditioni, valor extrinſecus,

ſecus, proueniens rei, ex locorum diuerſitate, vel ex Venditorum penuriâ, quàm ſit accidentàlis Matrimonio, qualitas perſonæ, cum quà contrahitur. Sicut enim ſola perſona, cum quà contrahitur, pertinet ad eſſentiam Matrimonij, vel tanquam materia, vel tanquam finis, non verò eius diuitiæ, vel pulchritudo, aut nobilitas. Ita ſolus valor, proueniens ex qualitatibus rei vendendæ, pertinet ad eſſentiam venditionis, tanquam materia, vel finis, non verò valor extrinſecus; Nam hic variari poteſt, eodem valore intrinſeco manente; Sicut variari poſſunt diuitiæ, vel pulchritudo, manente eadem Perſonà; Sicut ergo, in Matrimonio, error circa perſonæ qualitatem, quamuis ſit antecedens, & cauſa Matrimonij, illud non irritat quia cauſa, in quà erratur, eſt extra eius eſſentiam. Ita in venditione, error circa valorem extrinſecum, quamuis ſit antecedens, & cauſa venditionis, illam non irritabit; quia, etiam in venditione, cauſa, in quà erratur eſt extra eius eſſentiam.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim reſpondetur; Venditionem fuiſſe ſimpliciter voluntariam, & inuoluntariam ſolùm ſecundum quid, ratione erroris circa valorem extrinſecum Adamantium; Sicut Matrimonium contractum cum aliquà, quæ putabatur diues, eſt ſimpliciter voluntarium, & inuoluntarium ſolùm ſecundum quid ratione erroris circa diuitias. Quémadmodum ergo Matrimonium, cum hoc errore contractum eſt validũ; Ita valida fuit venditio, ex illo errore facta; Licet enim error circa valorem, rei intrinſecum, ſit circa ſubſtantialia venditionis; error tamen circa valorem extrinſecum, non eſt circa ſubſtantiam venditionis, ſed ſolùm circa circumſtantiam aliquam, illi prorſus accidentalem.

11 Ad ſecundam reſpondetur; Licet pretiũ in genere, ad ſubſtantiã vẽditionis pertineat, ad illã tamen non pertinere quantitatem pretij, ſed hanc pertinere potius ad iuſtitiam venditionis; In caſu autem poſito, fuit error ſolùm circa pretij quantitatem, quæ variari poteſt, manente eodem valore intrinſeco rei, ſicut variari poteſt valor extrinſecus; Huic enim regulariter proportionari ſolet quantitas pretij.

COROLLARIA.

12 COlligitur ex dictis primò; Quæ dicta ſunt de venditione, applicari etiam poſſe donationi; Si quis enim Caio donaret currum, valoris mille aureorum, putans valere ſolùm quadringentos, donatio eſſet valida, etiam ſi, cògnita veritate, non donaſſet; Quia non interueniret error circa currum, qui eſt de ſubſtantia Donationis, ſed ſolùm circa pretij quantitatem, quæ eſt circumſtantia acci-

dentalis. Idem contingeret, ſi quis alicui donaret nummum aureum, putans valere quindecim Iulijs, cum valeret triginta; tunc enim etiam, error eſſet ſolùm circa pretij quantitatem, non circa nummum; ideoque valida eſſet donatio. In his tamen caſibus, teneretur Donatarius, exceſſum ſupra quindecim, reſtituere, quia donatio, ad illum exceſſum non ſe extenderet, nec in ordine ad illum exceſſum eſſet voluntaria; Donator enim haberet voluntatem donandi nummum; ſolùm vt valentem quindecim iulijs, non verò vt valentem triginta. Totus autem valor donationis, deſumitur ex voluntate Donatoris.

13 Secundò; Quamuis venditio fuerit valida, teneri tamen Emptorem ad reſtituendum Titio pretium, quod deerat ad pretium ibi iuſtum. Tum quia; quo ad illum defectum, Venditio fuit Titio omnino inuoluntaria, cum Titius intentionem habuerit Adamantes vendendi pretio ibi iuſto. Tum quia iuſtitia vnumquemque obligat ad res emendas, pretio iuſto; ſicut obligat Venditorem ad eas, eodem pretio vendendas, & non ſupra illud.

QVAESTIO XXXIII.

An quilibet error circa Cauſam, ſiue obiectum materiale operationis, eam vitiet.

CASVS.

1 TITIVS, putans, Lauretum, centum milliaribus, Romà diſtare, & Templum quoddam Virgini Sacrum, decem; Vtramque peregrinationem, ad eiuſdem peregrinationis labores ſuſtinendos, vouit. Poſt Votum autem emiſſum, comperit, Lauretum diſtare milliaribus centum, & decem; Templum verò, viginti. Quæritur, Vtrum Votum iſtud fuerit validum.

SVMMARIVM.

3 *Error circa materiam operationis, cur illam vitiare videatur.*

4 *Inconueniens inde conſequens.*

5 *Materia Voti, aliquando coincidit cum eius causâ finali.*

6 *Error circa Voti materiam, ali-*

aliquando leuis, aliquando notabilis.

7 *Error leuis, Votum non irritat.*

8 *Notabilis irritat.*

9 *Error circa acceſſorium, non irritat Votum circa principale.*

10 *Error circa circunſtantiam materialem, illam non ſemper reddit inuoluntariam.*

11 *Votum irritum circa principale; eſt etiam irritum circa acceſſorium.*

12 *Quandonam, in Emptione, cauſa finalis, coincidat cum materiâ.*

RATIONES DVBITANDI.

2 NOn eſt hic Quæſtio de qualitatibus, obiecto materiali operationis, accidentalibus, ſed de ſubſtantialibus; Itineris enim longitudo, vel breuitas, ad eius ſubſtantiam pertinere videntur. Quare quæritur hic; an quilibet error circa qualitates materiæ intrinſecas, ad operationem irritandam ſufficiat.

3 Ratio autem dubitandi eſt; Quia ex vno capite, error circa ſubſtantiam, ſiue circa eſſentialia alicuius diſpoſitionis, illam vitiat, cum eam reddat inuoluntariam, & nihil magis ſit contrarium voluntati, quam error. *L. ſi per errorem: ff. de iuriſd. omn. Iud.* Sed Titius, dum putabat, Lauretum Romà diſtare ſolùm milliaribus centum; errauit circa Voti materiam; Verè enim diſtabat milliaribus centum, ac decem; & Templum Beatæ Virginis, quod ipſe putabat diſtare decem, verè diſtabat viginti. Ergo Votum, ex hoc errore factum, fuit inuoluntarium, ac nullum.

4 Ex alio verò capite; ſi quilibet error, etiam circa ſubſtantialia alicuius diſpoſitionis, ſufficeret ad illam vitiandam; ſequeretur, nunquam, aut ferè nunquam, eſſe validas diſpoſitiones, quæ communiter fiunt, & quæ communiter tanquam validæ admittuntur; Semper enim, aut ferè ſemper, interuenit aliquis error, vel circa materiam, vel circa finem; Nam, dum quis peregrinationem aliquam vouet, nunquam, aut ferè nunquam, itineris longitudinem, & conſequenter peregrinationis laborem, ita exactè vouet, vt in aliquà itineris parte non erret, putans; V. G. Iter, eſſe milliariorum decem, cum ſit, vel ſolùm nouem, vel vndecim. Si ergo quilibet error, ſufficit ad diſpoſitionem inualidandam, nunquā aut ferè nunquam, Vota, ac diſpoſitiones, quæ communiter fiunt, erunt validæ. Quod tamen eſt contra communem ſenſum, ac praxim.

NOTABILIA.

5 ADuertendum eſt primò; Cauſam vouendi, aliquando, cum Voti, aut diſpoſitionis materià, non coincidere, ſed illi eſſe omnino extrinſecam; Vt, cum quis, ad Filij ſanitatem obtinendam, vouet ieiunium; Tunc enim, Filij ſanitas, eſt omnino diſtincta à ieiunio, quod

eſt Voti materia; Aliquando verò cum ipsâ Voti materiâ coincidere, itaut, ſit, vel ipſa res promiſſa, vel eius pars; Vt, cum quis vouet peregrinationem, ad eius labores ſuſtinendos; Tunc enim, labor, non diſtinguitur ab ipsâ peregrinatione quæ eſt Voti materia. Quando cauſa vouendi, cum Voti materiâ non coincidit, Tunc error circa cauſam finalem, irritat Votum, & error circa cauſam impulſiuam nõ irritat, vt dictum eſt. Quando verò coincidit; Tunc, ſi error ſit circa partem modicam, Votum obligat; quia error circa illam, non eſt propriè error, qui conſenſui ad valorem neceſſariò aduerſetur, cum ſit in re modicâ; At verò, ſi error ſit circa partem notabilem, Votum non obligat, quia error circa illam tollit conſenſum, qui ad valorem eſt neceſſarius.

6 Aduertendum eſt ſecundò; Vt cognoſcamus, num qualitas, circa quam eſt error, magni ſit, aut parui momenti, itaut ex errore circa illam, Votum, aut diſpoſitio irritetur, vel non irritetur; Spectandam eſſe rem illam, non abſolutè, & ſecundum ſe, ſed reſpectu totius materiæ Voti, aut diſpoſitionis; Id enim, quod reſpectu vnius diſpoſitionis, erit modicum, reſpectu alterius erit magnum, ac notabile. Nam decem milliaria, quæ reſpectu centum, cenſentur quid modicum; reſpectu viginti, non cenſentur modicum, ſed notabile. His poſitis.

RESOLVTIO I.

7 AD Caſum reſpondetur primò; Votum peregrinationis ad Virginem Lauretanam, fuiſſe validum. Quia error circa itineris longitudinem, fuit modicus, ideoque inſufficiens ad illud vitiandum; In moralibus enim, parum pro nihilo reputatur.

RESOLVTIO II.

8 REſpondetur ſecundò; Votum peregrinationis ad aliud Beatæ Virginis Templum, fuiſſe inualidum; Quia error circa itineris longitudinem, fuit notabilis; Decem enim, quamuis comparata ad centum, ſint quid modicum; comparata tamen ad viginti, ſunt aliquid magnum, ac notabile; ideoque error circa illa, fuit ſufficiens ad Votum irritandum. Atque ita tenent. *Suar. tom.* 2. *de relig. tr. de Voto. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 8. *Sanch. lib.* 10. *matr. d.* 9. *n.* 13. *& lib.* 4. *ſum. c.* 2. *n.* 11. *Sotus lib.* 7. *qu.* 1. *art* 2. *Arag.* 2. 2. *quæſt.* 88. *ar.* 1. *Rodr. p.* 2. *ſum. c.* 92. *num.* 4. *Aluarez* 1. 2. *d.* 157. *num.* 6. & alii plures.

COROLLARIA.

9 COlligitur ex dictis primò; Quando error, non eſt circa materiam per Votum principaliter promiſſam, ſed ſolùm circa aliquid illi acceſſorium, tunc Votum obligare ſolùm ad principale, non verò

rò ad acceſſorium; Si quis enim voueat peregrinationem Lauretanam pedeſtrem, non aduertens, vel putans, illam circunſtantiam, non eſſe valde difficilem; tenebitur quidem ire Lauretum, ſed non pedibus; Quia Votum cenſetur voluntarium ſolùm circa rem principaliter promiſſam, quo ad illam verò circunſtantiam, inuoluntarium. *Sanch. lib. 4. ſum. c. 2. num. 15.*

10 Secundò; Cum quis vouet, ire Lauretum, putans diſtare centum milliarijs, cum diſtet centum, & decem; Quamuis Votum quo ad illum exceſſum videatur inuoluntarium, ideoque ad illum non obligare; Verè tamen, etiam illum exceſſum eſſe virtualiter voluntarium; Quia circunſtantia illa leuis decem milliariorum, circa quam fuit error, eſt inſeparabilis à materià principaliter promiſſa. Ergo eo ipſo, quod eſt volitum principale, cenſetur etiam virtualiter volita circunſtantia; ideoque vouens, ad illam tenetur. Cum verò circunſtantia, à rei promiſſæ ſubſtantià eſt inſeparabilis; vt accidit in circunſtantià itineris pedeſtris; Tunc error circa illam, eam reddit inuoluntariam; ideoque Vouens, ad illam non tenetur, ſed ſolùm ad principale.

11 Tertiò; Quando Votum, eſt irritum propter errorem notabilem, circa rem principaliter promiſſam; eſſe etiam irritum circa acceſſorium, quamuis hæc fuerit cognita. Si quis enim peregrinationem Lauretanam obire voueat, ſacco indutus; putans diſtare ſolùm quadraginta milliarijs, cum diſtet plus quàm centum; non ſolùm non tenetur ad illa quadraginta milliaria, in quibus non errauit, ſed neque ad ſaccum induendum; Quia vtrumque acceſſoriè tantum, & non principaliter, per Votum, promiſit. Principali autem deſtructo, corruit etiam acceſſorium; Cum hoc, eius naturam ſequatur. *reg. acceſſorium: de reg. iuris in 6.*

12 Quartò; Cum quis ad gemmam emendam mouetur à virtute aliquà quam in illà putat eſſe, ad certum morbum ſanandum; Tunc cauſam finalem cum emptionis materià coincidere; Virtus enim, & qualitas illa, quæ ad gemmam emendam mouet, vt cauſa finalis, eo quod emptio ad talem virtutem obtinendam ordinetur; pertinet etiam ad emptionis materiam, cum ex illà, valor gemmæ intrinſecus, qui eſt emptionis materia, deſumatur. Quare, ſi circa talem virtutem contingat error, emptio ex defectu voluntarij erit inualida, quia error, erit circa emptionis ſubſtantialia.

QVAESTIO XXXIV.

An ſemper, Ignorantia circa qualitates materiæ intrinſecas, operationem reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS, Ordinis Carthuſianorum difficultates ignorans, & pręcipuè, quod ibi carnes nunquam comederentur, vouit eius Religionis ingreſſum. Verum, cum poſtea de eorum regula certior eſſet factus, ingredi amplius noluit; & Quæſiuit; Vtrum Votum, ex tali Ignorantiâ emiſſum, fuerit validum.

SVMMARIVM.

3 *In Voto difficultates notabiles ignoratæ, illud reddere videntur nullum.*

6 *Aliud eſt, difficultates ignorare; aliud, circa illas errare.*

7 *Ignorantia, difficultates ignoratas non excludit, error excludit.*

8 *Votum Religionis, etiam difficultatibus ignoratis, tenet.*

9 *Ignorantia difficultatum, voluntatem vouendi abſolutam non impedit.*

10 *Ad Voti valorem, cognitio confuſa rei promiſſæ ſufficit.*

11 *Cur cognitio diſtincta non requiratur.*

12 *Non obſtat, quod Ignorantia ſit antecedens.*

13 *Cur Ignorantia vitiorum Rei emendæ, emptionem irritet.*

14 *Quæ Ignorantia, cauſet inuoluntarium.*

15 *Obligationem impediens, ſi illi ſuperueniat, eam tollit.*

16 *Eleemoſyna; facta etiam cum Ignorantia antecedente, aliquando eſt valida.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis error circa qualitates, obiecto materiali operationis intrinſecas, illam reddat inualidam, vt conſtat ex dictis; Supereſt tamen adhuc difficultas, an hoc idem praſtet etiam ignorantia. Sic enim, haberi poterit optima regula ad cognoſcendum; An plurima Vota obligent, vel non obligent; Et quæ ratio volun-

tarij

tarij, ad eorum valorem requiratur, ac ſufficiat.

3 Titij ergo Votum videtur fuiſſe inualidum. Ita *Molina tom.* 2. *d.*272. *Nau. c.* 18. *ſum. num.* 7. *in fine*. *Henriq. lib.*11. *de matr. c.*14. *Silueſt. v. Votum.* 2. *quæſt.* 17. *in fine*.

4 Primò; Quia vitium notabile rei emendæ, ignoratum, reddit irritam emptionem; Ergo etiam difficultates notabiles in re per Votum promiſſa, ignoratæ, reddent irritum Votum; Non minus enim ignorantia vitij rei emendæ, reddit illius emptionem inuoluntariam, quam ignorantia difficultatum, inuoluntarium reddat Votum.

5 Secundò; Quia error notabilis circa rem, per Votum, promiſſam, reddit Votum ſimpliciter inuoluntarium, ac irritum. Ergo etiam ignorantia notabilis circa difficultates rei, per Votum, promiſſæ, reddet Votum ſimpliciter inuoluntarium, ac irritum; Non minus enim ignorantia antecedens, cauſat inuoluntarium, quam error; ſi ergo error notabilis circa aliquid pertinens ad materiam Voti, illud reddit inuoluntarium, ac irritum, etiam ignorantia notabilis circa difficultates rei per Votum promiſſæ, Votum reddet inuoluntarium, ac irritum. Nam etiam difficultates, ad Voti materiam pertinent.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; cùm quis rem aliquam confusè cognoſcit, ſine circunſtantijs; duplici ter illam, ſine circunſtantijs poſſe cognoſcere; primò præciſiuè; hoc eſt, præſcindendo ab ipſis circunſtantijs, & illas non cognoſcendo; & hoc fit per ignorantiam, quatenus ipſæ circunſtantiæ, non cognoſcuntur, nec penetrantur. Secundò negatiuè; hoc eſt, illas à re cognità excludendo; & hoc fit per errorem; Quatenus circunſtantiæ illæ, poſitiuè iudicantur, in re cognità non eſſe. Sic, poteſt quis, officium aliquod ita confusè apprehendere, vt eius difficultates non penetret, nec aduertat; & tunc, dicitur illas ignorare, & ab eis præſcindere, quia illas non cognoſcit; Aliquando verò, poteſt officium illud ita confusè apprehendere, vt ſimul habeat iudicium falſum in intellectu; quo iudicet, in officio illo, non eſſe difficultates; & tunc circa illas errare dicitur, & illas à re cognità excludere, quia iudicat illas, in re, non eſſe.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Hanc eſſe differentiam, inter ignorantiam, & errorem; quod ignorantia, circunſtantias ignoratas non excludit, error verò illas excludit; hinc autem fit, vt qui confusè rem aliquam cogoſcens, eius circunſtantijs non penetratis, eam vouet, ac promittit, cenſeatur eam velle abſolutè, circunſtantias ignoratas non excludendo, ſed ab eis præſcindendo; ideoque illas tanquam inſeparabiliter connexas cũ re volità, implicitè, ac virtualiter volendo; Qui enim abſolutè vult aliquid, cenſetur ſimul virtualiter, ac implicitè velle, quidquid eſt cum

cum illo inſeparabiliter connexum Qui verò rem confusè cognoſcés, habet ſimul cognitionem erroneã circa aliquam eius circunſtantiam, putans, illam non eſſe in re, cenſetur, rem illam velle ſolùm, vt ſpoliatam tali circunſtantia, & conſequenter rem illam velle, non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, poſito; quod tali circunſtantià careat; hinc autem fit, vt talis circunſtantia, ſit omnino inuoluntaria. His poſitis.

RESOLVTIO.

8 AD Caſum reſpondetur; Votum fuiſſe validum; ideoque Titium teneri ad Religionis ingreſſum. *Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de Voto c. vlt. num. 7. Valent. 2. 2. d. 5. quæſt. 20. pun. 4. in fine. Sanch. lib. 10. matr. d. 9. num. 14. & lib. 4. ſum. c. 2. num 10. Caiet. 2. 2. quæſt. 89. art. 3. Sotus lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. ar. 1. ad. 3.* & alij communiter.

9 Primò; Quia ignorantia difficultatum, non impediuit, quin Titius ad ingreſſum Ordinis Carthuſianorum, ſimpliciter & abſolutè obligare ſe voluerit; Ergo neque impediuit, quin virtualiter, & implicitè ad illas ſe obligare voluerit; Qui enim abſolutè vult aliquid, eo ipſo, virtualiter, ac implicitè ſimul vult, quidquid eſt cum illo neceſſario connexum; & ideo, qui vult ludum, eo ipſo, virtualiter, ac implicitè, vult omiſſionem Sacri, ſtudij, & omnium aliarum actionum cum ludo incompoſſibilium, quia iſtarum omnium actionum omiſſio, eſt inſeparabiliter connexa cum ludo. Cum ergo difficultates Ordinis Carthuſianorum, ſint cum illo inſeparabiliter connexæ, eo ipſo, quod Titius, ad Ordinem obligare ſe voluit, virtualiter etiam ac implicitè obligare ſe voluit, ad illas, quamuis eas ignorauerit; Per ignorantiam enim, illas non excluſit, ſicut excluſiſſet per errorem, ſi putaſſet; V.G. ibi comedi carnes; ibi non eſſe ſilentium &c. Eo autem ipſo, quod eas non excluſit, implicitè voluit, volendo Ordinem, cum quo erant inſeparabiliter connexæ.

10 Secundò; Quia ad valorem Voti, eiuſque obligationem contrahendam, ſatis eſt cognitio confuſa rei, quæ per Votum promittitur; ſatis enim eſt, habere intentionem faciendi id, quod faciunt alij; dum ſimile Votum emittunt; ad hoc autem, ſufficit cognitio confuſiſſima rei, quæ per Votum promittitur, & ipſius promiſſionis. Sicut ergo, quia ad Sacramenti valorem, ſufficit intentio confuſa faciendi id, quod facit Eccleſia, ſufficit etiam cognitio confuſiſsima eiuſdem Sacramenti; Ita, ad valorem Voti, cum ſufficiat intentio faciendi id, quod alij faciunt, dum ſimile Votum emittunt, ſufficiet etiam, cognitio confuſiſsima rei, per Votum promiſſæ, quamuis non diſtinguat, nec penetret difficultates, quæ in re promiſsà continentur.

11 Tertiò; Quia ſi ad Voti valorem requireretur cognitio diſtincta omnium difficultatum, vel circunſtantia-

tiarum, quæ ſunt in re per Votum promiſſa; nullum fere daretur Votum, quod eſſet validum; & in rebus humanis, nullus contractus eſſet firmus; Nunquam enim, aut fere nunquam, datur in vouentibus cognitio rei per Votum promiſſæ, adeo clara, & diſtincta, vt omnes rei circumſtantias, ac difficultates, quæ voluntatem retrahere poſſunt à vouendo, repræſentet. Si ergo ad Voti valorē, requireretur cognitio diſtincta rei per Votum promiſſæ, aut ipſius promiſſionis, nunquam, aut fere nunquam, Votum eſſet validum.

12 Neque obſtat, quod, ſi quis talem difficultatem cognouiſſet, non vouiſſet. Nam primò voluntas iſta non datur de facto; ſed daretur, ſi daretur cognitio difficultatis; voluntas autem, quæ de facto non datur, ſed ſolùm daretur, nihil de facto operatur, ſed ſolùm operaretur; ideoque non impedit, ne res per Votum promiſſa, ſit ſimpliciter & abſolutè promiſſa, independenter à difficultatibus non præuiſis, quæ à Voto retraxiſſent; Secundò Sicut ex eo, quod certò conſtet, quod ſi Teſtator ſciuiſſet, Titium eſſe furem, ei legatum non reliquiſſet, non rectè colligitur, quod illud de facto ei abſolutè non reliquerit, vel quod de facto non habuerit animum illud ei relinquendi; ita ex eo, quod, ſi quis cognouiſſet difficultates, non vouiſſet, non rectè colligitur, quod de facto abſolutè, & independenter ab ipſis difficultatibus, non vouerit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; Ad primam; Ignorantiam vitiorum rei emendę, reddere emptionem inuoluntariam, ac irritam; primò, quia illa, non eſt propriè ignorantia, ſed error; Dum enim quis emit equum infirmum, eius infirmitatem ignorans, putat, eſſe ſanum, alias non emeret; Error autem antecedens, cauſat inuoluntarium, quia facit, vt emptor velit emere equum ſanum, ſiue non habentem infirmitatem, & conſequenter habeat voluntatem illum emendi ſolùm conditionatè, & poſito, quod non ſit infirmus. Secundò; Quia, qui emit equum, emit illum, vt vtilem ad vſum, ad quem emitur; Non eſt autem vtilis, ſi ſit infirmus; Ergo non habet voluntatem illum emendi abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, & poſito, quod ſit ſanus. Cum autem quis abſolutè vouet aliquid, eius difficultates ignorans, rem illam promittit abſolutè, & independenter à difficultatibus ignoratis, cum ignorantia, illas non excludat, ſicut excludit error; ideoque cenſetur, illas etiam virtualiter, & implicitè velle, tanquam cum re promiſſa, inſeparabiliter connexas; hinc ergo fit, vt, quamuis rei vitia ignorata, reddant emptionem inuoluntariam, ac irritam, difficultates ignoratæ, Votum non reddant inuoluntarium, nec irritum.

14. Ad ſecundā, reſpondetur; Ignoran-

rantiam totalem rei, cauſare inuoluntarium, ſicuti cauſat error, quia eſt cauſa, cur de facto fiat aliquid, quod alias non fieret; Dum enim quis, ignorans, eſſe diem ieiunij carnes comedit, ignorantia eſt cauſa, cur carnes comedat, quas alias non comederet, ſi ſciret, eſſe diem ieiunij; ideoque illa carnium comeſtio eſt illi inuoluntaria. At ignorantia alicuius circunſtantiæ rei, orta ex confuſione cognitionis, quam quis habet de re, quam vult vel promittit, non propriè cauſat inuolũtarium; ſicut enim confuſam rei cognitionem non excludit; ita neque excludit eius volitionem. Ignorantia autem difficultatum rei per Votum promiſſæ, eſt ignorantia ſolùm ſecundi generis, non excludens rei cognitionem, ſed ſolùm cognitionem diſtinctam; ideoque non reddit Votum inuoluntarium, nec tollit eius obligationem.

COROLLARIA.

15 COlligitur ex dictis primo; *Sanctum Thomam*, dum, *in 4. d.38. quæſt.1. art.3. quæſtiunc. 1. ad primum dicit*; id, quod impediret Voti emiſſionem, ſi præſens eſſet eo tempore, quo vouetur; Voto emiſſo ſuperueniens, eius obligationem auferre. Intelligendum eſſe de eo impedimento, quod impediret, ne obligatio conſurgeret ex Voto, dum fit; Morbus enim, qui impediret, ne Votum ieiunij obligaret, dum fit; ſi Voto ſuperueniat, eius obligationem aufert. At difficultas, quæ præuiſa, impediret ſolùm, ne Votum emitteretur ſed non eius obligationem, poſito quod fieret; ſi Voto iam facto ſuperueniat, eius obligationem nõ aufert. Non maiorem enim vim habet obligationem tollendi, dum Voto ſuperuenit, quàm illam impediendi, ne conſurgat, dum Votum emittitur. *Sanch.lib.*10. *matr. d.*9. *n.*14. *& lib.* 4. *ſum.c.*2. *n.*10.

16 Secundò; Dum quis odio maximo habens fures, facit eleemoſynàm pauperi, quem ignorat, eſſe furem; Eleemoſynam illam, eſſe voluntariam, ac validam; Quamuis enim eleemoſynam largiens, tempore, quo illam largitur furi, virtute odij quo tunc eſt affectus erga fures, nullum eis bonum impertiri velit, & recuſaret ſi noſſet; actu tamen, & abſolutè, nulla conditione appoſitâ, dare vult eleemoſynam illi pauperi, quem ignorat eſſe furem. Neque hunc eſſe furem obſtat, quin includatur in voluntate illa dandi eleemoſynam; cum vere ſit pauper; Hic enim euentus, non cenſetur exceptus ab illâ voluntate, ob tacitam conditionem, quod largiens eleemoſynam, ſi nouiſſet, illum eſſe furem, excepiſſet, & dare noluiſſet; niſi expreſsè, tempore dandi eleemoſynam, exceperit, & poſitiuè voluerit, illam dare ſolùm ſub conditione, quod non eſſet fur; quia hæc tacita conditio, non abſtulit voluntatem abſolutam dandi eleemoſynam petenti. Hoc autem ſufficit, vt eleemoſyna ſit ſimpliciter voluntaria, ac valida.

QVÆ-

QVAESTIO XXXV.

An error, ortus ex dolo illius, cum quo agitur, operationem, iure ciuili, reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS, vt Caium ad Equum, magno pretio, emendum induceret; per mendacium aſſeruit; ſibi ab alio ſeptuaginta aureos fuiſſe oblatos, nec tamen dare voluiſſe. Caius verò, eo mendacio deceptus, Equum ſeptuaginta aureis emit, cum ſolùm valeret quinquaginta. Queritur; Vtrum emptio iſta, iure ciuili, fuerit valida.

SVMMARIVM.

3 *Dolus Venditoris, Emptionis valori non videtur obſtare.*
9 *Contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris quid.*
10 *Quomodo inter ſe differant.*
11 *Dolus Venditoris, emptionem, iure ciuili irritat.*
12 *Quænam iura, hoc decernant.*
13 *Alij contractus, iure ciuili, irriti.*
14 *Iura, contractum irritant, in odium deceptoris.*
10 *Non obſtat lex.* ſi dolo.
16 *Argumentum ab æquiparatis, quando valeat.*
17 *Quinam dolus, contractum irritet.*
18 *Dolus velatus, non irritat.*
19 *Deceptor, per contractum doloſum acquiſita, reſtituere tenetur.*
20 *Lex*, & eleganter, *contractus doloſos bonæ fidei irritat, non ſtricti iuris.*
21 *Dolus, Matrimonium non irritat.*
22 *Neque Profeſſionem Religioſam.*
23 *Nec ſemper reliquos contractus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 EX hactenus dictis, ſatis conſtat, quomodo Operationum inualiditas, ſit effectus naturalis erroris, vel ignorantiæ, & quomodo ex illis, iure naturæ, oriatur, ex defectu conſenſus, ad valorem neceſſariò requiſiti. Examinandum ſupereſt; an aliquando, eſſe etiam poſſit eorum effectus ciuilis, ita vt operatio, ex errore, vel ignorantia procedens; aliquando, iure ciuili ſit irrita, quamuis alias, iure naturæ

ræ ſit valida; & è contra, aliquando, iure ciuili, ſit valida, quamuis, iure naturæ, ſit irrita. Sermo tamen ſemper eſt de errore, & ignorantià antecedente,& quæ dat cauſam operationi; Nam de concomitante, & quæ in operationem dicitur incidens, agetur poſtea.

3 Dolus ergo illius, cum quo agitur, operationis valori non videtur obſtare; Ideoque emptio, facta à Caio, iure ciuili, videtur valida. Ita *Leſſius lib.2. c. 17. d. 5. n.31. Coninch. de Sacr. d. 23. d.9. Filliuc tom.2 tr.33. c 7. num. 119. Layman. lib.3. tract.4. ſ. 3. c.5. num.6. Becan. tom.2. c.3. aſſer.3. num.18.*

4 Primò; Quia *in L. ſi dolo. 5 C. de reſcind. vendit.* dicitur; *ſi dolo aduerſarij deceptum, venditionem prædij te feciſſe, Præſes animaduerterit, reſcindi venditionem iubebit.* Ergo inſinuatur, venditionem, non eſſe omnino irritam, ſed irritandam.

5 Secundò; Quia metus, dans cauſam contractui, illum non reddit irritum, ſed irritandum. Ergo etiã dolus; ab æquiparatis enim valet argumentum, etiam in pœnalibus.

6 Tertiò; Quia, *ex L. Iulianus 14. ff. de action. empt.* apertè datur actio ex Empto, ei, qui dolo venditoris inductus, pecus ſcabioſum emit; ſed actio ex empto, nunquam datur, quando emptio eſt nulla. Ergo emptio, cui dolus cauſam dedit, eſt valida; ideoque valida etiam fuit emptio equi, quamuis illi, Titij venditoris dolus cauſam dederit.

7 Quartò; Quia *in L. qui vas 49. §. vlt. ff. de furt.* expreſsè definitur; Vendentem rem furtiuam, fieri dominum pretij. Hoc autem eſſet falſum, ſi venditio eſſet nulla; Et tamen Emptor, ad emendum inducitur dolo Venditoris, fingentis, rem eſſe ſuam, quam Emptor nunquam emiſſet, ſi ſciuiſſet eſſe furtiuam.

8 Quintò; Denique, quia; *in L. rem alienam; ff. de contrac. empt.* definitur: Venditionem rei alienæ eſſe validam; & tamen Emptor ad contrahendum inducitur à dolo venditoris, fingentis, rem illam eſſe ſuam. Ergo emptio eſt valida, quamuis illi, Venditoris dolus cauſam dederit.

NOTABILIA.

9 ADuertendum eſt primò; Duo dari genera contractuum; alij dicuntur bonæ fidei, quia in illis, vnus Contrahentium alteri obligatur de omni eo, quod ex æquo, & bono, præſtare oportet; Et in his, Iudex, amplam facultatem habet iudicandi, quod ſibi bonum,& æquum viſum fuerit; Quamuis de eo, actum, dictum aut expreſſum à Contrahentibus non ſit. Alij verò dicuntur ſtricti iuris; quia in eis, Iudicis arbitrium, nihil poteſt; ſed Iudex iudicare tenetur ſolùm iuxta id, quod nominatim & expreſsè à Contrahentibus conuentum eſt; eos contractus ſtricte, ac proprie, iuxta corticem literæ, & abſque vllà benignitate, ac æquitate, interpretando. Primi generis

neris, ſunt emptio, ac venditio; locatio, & conductio; mandatum; depoſitum; commodatum; pignus; tutela; & alij ſimiles. Secundi generis ſunt; promiſſio; donatio; mutuum ſtipulatio; tranſactio; emphyteuſis; feudum, & alij omnes, qui in lege tanquam bonæ fidei expreſſi non ſunt.

10 Aduertendum eſt ſecundò, *ex Rebell. p.2. lib.1. de contract. in genere. quæſt.2. ſec.1. num.3.* Differentiam, inter contractus bonæ fidei, ac ſtricti iuris aſſignatam, oriri poſſe ſaltem radicaliter ex naturà ipſorum contractuum; Aliqui enim, in ordine ad obligandum ex naturà ſuà ampliorem; alij reſtrictiorem exigunt interpretationem; Nam, ſi quis, in contractu venditionis, quo ſe, iuſto pretio accepto, rem venditā dare obligauit, fidem datam non impleat, lumen naturale dictare videtur, eam obligationem ita eſſe extendendam, vt Venditor, ad omnia damna, ex mora, ſecuta, ſit obligandus; Secus verò, ſi fidem datam, in liberali promiſſione non adimpleat; Hæc enim obligatio, reſtringenda potius eſt, quàm extendenda, cum indignum videatur, vt Donator, ſuæ liberalitatis pœnam patiatur. Dixi tamen, ſaltem radicaliter, quia, quamuis aliquis contractus, ex naturà ſuà, ampliorem; alius verò ſtrictiorem interpretationem recipiat; Sine iuris tamen adminiculo, non apparet, quomodo hoc diſcrimen, in omnibus contractibus ſtricti iuris, ac bonæ fidei, ex ipſorum contractuum naturà colligi poſſit; Contractus enim commodati; V.G. eſt bonæ fidei, mutuum verò eſt ſtricti iuris, & tamen in vtroque, obligatio, poſt moram, extenditur ad omnia damna, inde creditori ſubſecuta, quamuis à contrahentibus, hoc expreſſum non ſit; Sunt ergò ſtricti iuris, vel bonæ fidei, quia ita à iure poſitiuo diſpoſitum eſt.

RESOLVTIO.

11 AD Caſum reſpondetur; Emptionem equi à Caio factam, cùm ei dolus Titij venditoris, cauſam dederit, iure ciuili, fuiſſe irritam. Ita *Molina tom. 2. d. 352. num.1. Sanch. lib.1. matr. d.64. num.3. Couarru. reg. poſſeſſ. p. 2. §.6. num. 6. Nauar. com.2. de regul. num.31.*, & alij apud iſtos.

12 Primò; Quia ita expreſsè definitur *in L. & eleganter: ff. de dolo*; Vbi dicitur; *hoc enim ſic accipimus; carere dolo emptorem, vt ex empto teneri non poſſit, aut nullam eſſe venditionem ſi in hoc ipſo vt venderet, circumſcriptus eſt*. In hac autem lege, agitur de Minori, per dolum decepto, vt ſeruum venderet; in quo dolo participauit emptor cum ipſo ſeruo; Nam primò, Minor, conſilio ſerui fuit circumſcriptus, vt eum cum peculio venderet; Secundò, in eo ipſo, vt eum venderet, deceptus eſt. Primus fuit dolus non dans cauſam contractui, ſed incidens in contractum; Nam Minor, non videtur fuiſſe deceptus, vt venderet ſeruum, quem fortaſſe aliàs vendere intendebat, ſed ſolùm, vt eum, minori

pre-

pretio, venderet; Hoc autem non ſufficit, vt venditio ſit omnino nulla, quia dolus incidens, ex communi Doctorum ſententià, contractum non irritat; Et de hoc dolo, intelligenda ſunt verba illa legis; *carere dolo Emptorem, vt ex empto, teneri non poſſit*; Si enim Emptor, de dolo incidenti participaſſet, vtique obligatus fuiſſet actione ex empto. Secundus, fuit dolus, dans cauſam contractui; & de hoc dolo, loquitur lex, dum ait; *aut nullam eſſe venditionem, ſi in hoc ipſo, vt venderet, circumſcriptus eſt*; ſcilicet ab Emptore; Et hic dolus, contractum, ipſo iure irritat. Cum ergo Titij dolus, emptioni equi cauſam dederit, emptio illa, ipſo iure fuit irrita.

13 Secundò; Quia, ideo ſolùm promiſſio dotis, metu facta, ipſo iure, eſt nulla; quia *in L. ſi mulier: §. ſi dos: ff. de eo, quod met. cauſ.* dicitur; Talem dotis promiſſionem, eſſe nullam. Ideo prorogatio iuriſdictionis, metu facta, ipſo iure, eſt nulla: quia *text. in L. 2. ff. de iudic.* dicit; eam eſſe nullam. Ideo ſocietas, ſi dolo malo, aut fraudandi cauſa, contracta ſit, eſt ipſo iure irrita; quia *in L. 3. §. fin. ff. pro ſocio, cui reſponderi non poteſt*; expreſsè definitur; eſſe nullius momenti; Eo enim ipſo, quod lex vtitur verbo *nullum*, ſemper ſignificat, contractum, ipſo iure, non valere, ſed eſſe à iure reprobatum. Sed *in d. L. & eleganter*: expreſsè dicitur; venditionem, cui Emptoris dolus cauſam dedit, eſſe nullam; Ergo, ipſo iure, erit irrita, & non ſolùm irritanda; idemque dicendum eſt de emptione equi, facta à Caio, inducto à Titio, per dolum; eadem enim prorſus eſt ratio.

14 Tertiò; Quia lex, venditionem in odium deceptoris, & in pœnam ipſius deceptionis, ipſo iure, iuſte irritare potuit, ne Deceptori ſua fraus prodeſſet, & ne delictum maneret impunitum; Cum ergo ex verbis legis colligi aliquo modo poſſit, illam de facto irritaſſe; dicendum eſt, legem de facto venditionem, ipſo iure, irritaſſe; Ita enim expediebat ad bonum commune, quod eſt finis legis; Et aliàs innumeris fraudibus, ac dolis pateret via, quibus, hoc modo, ſufficienter occurritur: Si autem venditio illius ſerui, ipſo iure, fuit irrita; propter eandem rationem, irrita etiam fuit, emptio facta à Caio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 AD rationes in contrarium, reſpondetur; Ad primam; Verba illius legis, non eſſe intelligenda, quaſi contractus venditionis, ante reſciſſionem, fuerit validus; ſed in ordine ad reuocandam traditionem, & factum; hoc eſt, ad cogendum Emptorem ad reddendam rem, quam accepit, recipiendo pretium, quod pro ea dedit, eo quod contractus, ipſo iure, ad eum effectum, eſſet nullus.

16 Ad ſecundam; negatur conſequentia; Argumentum enim ab æquiparatis, valet ſolùm in ijs, quę à iure

iure vniuerſaliter, & per modum regulæ, ſunt æquiparata, non verò, ſi in aliquibus ſolùm caſibus particularibus ſint æquiparata. Dolus autem, & metus, non æquiparantur in omnibus, & per modum regulæ, ſed in aliquibus ſolùm caſibus à iure expreſſis; vt, in ſtipulatione, quæ eſt contractus ſtricti iuris & in iuramentis, quæ ſiue metu, ſiue dolo præſtita, ſeruanda ſunt, quando in aliorum damnum non redundant.

17 Ad tertiam; reſpondetur; Dolum explicitum, & apertum, dantem cauſam contractui, reddere contractum, ipſo iure irritum; Et de hoc dolo loqui *l. & eleganter*: non verò dolum velatum tantùm, & implicitum, de quo loquitur; *l. Iulianus*; Ibi enim, adfuit dolus velatus tantùm, & implicitus, quatenus Venditor, vendidit rem vitioſam ſcienter, vitium tacendo; in quo caſu, valida eſt venditio de iure ciuili, ſed datur Emptori, non ſolùm actio ad repetēdum id, quod non dediſſet, ſi rei vitium cognouiſſet, ſed etiam detrimentum, quod ex eà emptione paſſus eſt: Lex ergo *Iulianus*; non eſt contra nos.

18 Ad quartam, & quintam reſpondetur; Etiam *ex hac lege* probari ſolùm, quod dolus velatus, ac implicitus, qualis reperitur in fure, vel alio, qui rem alienam vendit, non reddit contractum, ipſo iure, irritum, quod à nobis non negatur. Immo vendens rem alienam, propriè nec dolum committit; Neque enim tenetur Venditor, rei dominiū transferre in Emptorem, ſed ſolùm rei poſſeſſionem vacuam tradere, *text. iunct. 1. gloſ. in l. ex empto*: *ff. de act. empt. Tuſcus tom. 8. l. 1. concl 53. Mantica lib. 2, tit. 4. num. 87.*

COROLLARIA.

19 Colligitur ex dictis primò; Deceptorem teneri in conſcientià, non ſolùm ad reſtituendam rem, per contractum doloſum, acquiſitam, ſed etiam ad reſarcienda omnia damna decepto, ex eo contractu, ſecuta. Quia decipiens, per ſuum dolum, fuit cauſa iniuſta omnium illorum damnorum; cauſa autem damnorum iniuſta, ad ea reſarcienda tenetur.

20 Secundò; Dictam *l. & eleganter*: non ſolùm, ipſo iure, irritare contractum venditionis, ſed omnes contractus bonæ fidei; Quia eadem prorſus eſt ratio de omnibus. Contractus verò ſtricti iuris, ex dolo alterius Contrahentis celebratos, non eſſe, ipſo iure, irritos, quia non deeſt illis conſenſus ſubſtantialis, cum dolus non contingat circa ſubſtantialia, vt ſuppono, ſed ſolùm circa cauſam, quæ inducit ad contrahendum; Nec ius humanum illos irritauit, ſicut irritauit contractus bonæ fidei; Deceptus tamen, illos ad libitum reſcindere poteſt, & Deceptor, in conſcientià, tenetur, rem, per eum contractum acquiſitam, reſtituere, & damna reſarcire, quia fuit illorum cauſa iniuſta, & cum, per iniuriam, talem contractum extorſerit, tenetur de-

ceptum in integrum reſtituere.

21 Tertiò; Quæ hactenus dicta ſunt, non valere in contractu Matrimonij;ſi quis enim per dolum,aliquam inducat ad contrahendum, falsò affirmans, ſe eſſe nobilem, vel diuitem, validum eſt Matrimonium, quamuis dolus apertus Contrahentis, illi cauſam dederit. Quia alij contractus bonæ fidei, ſunt irriti solùm ex diſpoſitione iuris Ciuilis; Nullum autem extat ius poſitiuum, quod Matrimonium dolo contractum irritauerit, niſi quando dolus eſt circa conditionem ſeruilem. nam ius ciuile,comprehendere non poteſt Matrimonium fidelium, cum ſit Sacramentum, ſed ſolùm Summus Pontifex, vt fusè probat. *Sanch. lib.7. matrim. d.3. n.4.*

22 Quartò;Neque valere in Profeſſione Religioſa, ex eodem dolo, emiſsà; quia nullum ius poſitiuum illam irritauit. *Lex enim; & eleganter*:cum ſit ciuilis,extendere ſe non poteſt ad profeſſionem religioſam, quæ eſt materia Eccleſiaſtica, ideoque ad ſolum Pontificem ſpectat, ſicut Matrimonium. Imo, quamuis Lex Ciuilis eam irritare poſſet, de facto tamen non irritauit; quia de illà mentionem non facit. Profeſſio autem, ſicut & Matrimonium, ſpecialem mentionem requirunt, vt irritentur, cum ſint contractus qualificati, ideoque ſpeciali nota digni: *Et Lex;& eleganter*; odioſa ſit, eo quod exorbitet à iure natura; Sicut enim diſpenſatio cum illegitimo ad obtinenda beneficia,non comprehendit beneficium curatum, quia hoc, eſt beneficium qualificatum, ideoque ſpeciali notà dignum; & diſpenſatio eſt odioſa, cum exorbitet à iure communi:*C. fin. §.ille verò: de filijs Presb. in 6.* Ita, propter eandem rationem, *Lex, & eleganter*; Matrimonium, ac Profeſſionem non comprehendet.

23 Quintò; Dolum apertum alterius Contrahentis, dantem cauſam contractui, ipſo iure, contractum irritare, ſolùm quando Deceptus, eſt inuincibiliter deceptus, ita vt prudentiſſimus quiſque falli poſſet; ſecus verò, ſi deceptio non ſit prudens, ſed vincibilis, ac craſſa.Tum quia iura vigilantibus ſubueniunt. *L. pupillus 24. in fin. ff. de his quæ in fraudem*. Tum quia metus, vt contractum reſcindere valeat, debet eſſe talis, vt cadat in conſtantem virum. *L. interpoſitas 13. C. de tranſact.* Ergo etiam dolus debet eſſe prudens; non fatuus, vincibilis, ac craſſus. *Sanch. lib. 3. matr. d.22. num.8.*

QVÆ-

QVAESTIO XXXVI.

An error, ortus ex dolo Tertij, operationem, iure ciuili, reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS, quia perſuadere volebat Caio, vt magnam frumenti copiam Sempronio venderet pretio currenti, quod erat vile; inſcio Sempronio, illi aſſeruit, ſe à Principe audiuiſſe, aliquot tritici Naues breui ſuperuenturas; ideoque tritici pretium eſſe notabiliter minuendum. Hoc autem dolo, Caius inductus eſt, vt centum tritici modios pretio currenti Sempronio venderet. Secutà tamen venditione, contrarium accidit; Nam tritici valor notabiliter creuit. Caius, errore detecto, triticum iam venditum, dare noluit, ſed voluit contractum reſcindere. Quæritur; Vtrum, ſtando in iure ciuili, potuerit.

SVMMARIVM.

3 *Quod error ex dolo Tertij, contractum irritet.*

5 *Quod non irritet.*

7 *Contractus imperfecti, & perfecti, quid.*

8 *Quot modis errare poſſit Contrahens circa cauſam inductiuam.*

9 *Venditio orta ex dolo Tertij, eſt valida.*

10 *In eà, nulla interuenit iniuria ex parte Contrahentium.*

11 *Cum ſit contractus perfectus, cenſetur celebratus abſolutè.*

12 *Error circa valorem extrinſecum rei vendendæ, venditionem non vitiat.*

13 *Quando dolus circa cauſam inductiuam, trahit errorem circa ſubſtantialia, Contractus eſt nullus.*

14 *Si tamen addatur proteſtatio, eſt validus, & quomodo.*

15 *Doloſè inducens, tenetur ad damna.*

16 *Si alius Contrahens, ſit doli conſcius, contractus eſt nullus.*

17 *Imo etiam, ſi illum ignoret ignorantià mortaliter vincibili.*

RATIONES DVBITANDI.

2 ERror antecedens, ſiue ex quo aliquis mouetur ad operandum, aut contrahendum, oriri poteſt aliquando ex dolo alterius, cum quo contrahitur, aliquando ex dolo alicuius Tertij, aliquando denique ex merâ ipſius Contrahentis deceptione. Quando error oritur ex dolo alterius Contrahentis, Iura in odium ipſius decipientis, contractum irritant. Vt *Quaeſt. praeced.* dictum eſt. Quæritur nunc; an illum irritent etiam, quando error oritur ex dolo Tertij, & conſequenter, an Caius, venditionis contractum reſcindere potuerit.

3 Ratio autem dubitandi eſt. Quia ex vno capite, videtur non potuiſſe. Venditio enim facta à Caio, ſpectato tam iure naturæ, quàm iure ciuili, fuit omino valida, ſpectato quidem iure naturæ; Quia error, vel dolus non fuit circa ſubſtantialia venditionis, ſed ſolùm circa cauſam inductiuam ad vendendum; & alias, nulla interuenit iniuria partis. Spectato verò iure poſitiuo; Quia nullum extat ius poſitiuum, quod ſimilem contractum irritum reddat, niſi quando alter contrahens eſt doli particeps. Si autem venditio fuit valida, reſcindi non potuit; alias, omnes contractus reſcindi poſſent, oriretur que magna confuſio, ac perturbatio in Republicâ.

4 Secundò; Quia, quando contractus, ex alterâ ſaltem parte, eſt completus, iuxta *L. Iulianus* 14. *ff. de act. empti in princ.* non datur Decepto actio ad contractum reſcindendum, ſed ſolùm ad repetendum à Venditore totum id, quod Emptor, detecto errore, non dediſſet. Cum ergo Sempronius iam pretium dederit, ſicque contractum impleuerit, illum Caius reſcindere non potuit.

5 Ex alio verò capite; videtur potuiſſe; Quia venditio, ſicut & cæteri contractus, ſemper cenſentur celebrati ſub tacitâ conditione; *ſi cauſa inducens ad contrahendum, ſubſiſtat*; Si quis enim, ex errore; putans, aliquam Mulierem eſſe nobilem, vel diuitem, cum ea contrahat ſponſalia de futuro, quæ alias non contraxiſſet; ea, errore detecto, diſſoluere poteſt, vt fusè probat, *Sanch. lib.* 1. *matr. d.* 63. Cum ergo, in venditione, cauſa inducens ad vendendum, non fuerit ſubſiſtens, poterit Caius; errore detecto, venditionem reſcindere.

6 Tertiò; Quia, cum deceptio fuerit circa rem magni momenti, Deceptus meritò non cenſetur conſentire voluiſſe; Ergo, in conſcientiâ, reſcindi potuit venditio: Ita *Leſſius lib.* 2. *c.* 17. *d.* 5. *num.* 31.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò: Duo dari genera contractuũ oneroſorum. Quidam enim ſunt eſſentialiter omnino imperfecti, eo quod, ex naturâ ſuâ, ſint via ad alium contractum; vt eſt contractus ſponſalium, qui eſt via ad Matrimonium, & quælibet promiſſio mu-

mutua, quæ ad alium contractum in futurum celebrandum ordinatur. Alij verò ſunt eſſentialiter, omnino in ſe, perfecti, eo quod ſint in ſe vltimò conſummati, nec ſint via ad alium contractum; vt ſunt contractus emptionis, locationis, Matrimonij, &c.

8 Aduertendum eſt ſecundò; Tripliciter errare poſſe Contrahentem, circa cauſam inductiuam ad contrahendum. Primò, ſi putet, rem, à ſe, per contractum, comparandam, non habere aliquod vitium, quod re verà habet; vt, ſi quis ignoranter emat equum infirmum. Secundò; ſi putet, rem illam, aliquam habere virtutem, quā re vera non habet, licet nullum habeat vitium; vt, ſi quis emat gemmam, putans, eam habere virtutem ad curandum aliquem morbum, quam verè non habet. Tertiò denique, ſi putet, habere aliquam circunſtantiam accidentalē, quam non habet; vt, ſi quis emat frumentum, putans, eius pretium, propter penuriam, eſſe augendum, cum tamen propter ſupernientem abundantiam, verè ſit minuendum. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum reſpondetur; Validam fuiſſe tritici venditionem, factam à Caio, non ſolùm iure naturæ, ſed etiam iure ciuili; ideoque illam, errore detecto, reſcindere non potuiſſe. Ita *Sanch. lib.1. matr. d. 64. num. 5. Leſſius lib.2. c.17. d. 5. num. 31. Molina tom.2. d.352. num. 11. Becan. to.2. c.13. num.13. Medina c. de reſt. quæſt.33.* & alij communiter.

10 Probatur autem; Tum propter rationes ſuperius allatas; Quia error, vel dolus, non fuit circa ſubſtantialia contractus; fuit enim ſolùm circa valorem, tritico ab extrinſeca copia, vel penuria, prouenientem, qui valor, eſt rei omnino extrinſecus, & accidentalis, vt patet ex dictis; Et alias, nulla interfuit partis iniuria. Tum quia, alias, ſequeretur, quod, ſi quis, ad frumentum, vel vinum, aut aliud quid ſimile vendendum induceretur; eo quod falsò putaret, poſt aliquot dies, ſuperuenturum triticum, vel vinum in magnà abundantià, Sicque ipſius pretium eſſe minuendum, nulla eſſet venditio, vel ſaltem illam pro libito reſcindere poſſet; quod tamen, ſine maximo abſurdo, & maximà Reipublicæ perturbatione, concedi non poteſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes autem dubitandi pro parte oppoſità, facilè reſpondetur; Ad primam; Contractus eſſentialiter imperfectos, qualis eſt, contractus ſponſalium, ſemper cenſeri celebratos ſub tacità conditione, *ſi cauſa inducens ad contrahendum, ſubſiſtat;* Promiſſio enim, cum ſit lex quædam priuata, vltra promittentis voluntatem non obligat; Intentio autem, ac virtualis voluntas promittentium, eſt; ſi cauſa, propter quam

ad promittendum inducuntur, ſubſiſtat. At verò contractus perfecti, ſub hac tacitâ conditione non celebrantur; niſi quando cauſa inductiua, eſt ſimul etiam materialis, vel aliquo modo pertinens ad materialem; Vt, cum quis à virtute gemmæ mouetur ad eam emendam; tunc enim, virtus gemmæ, non ſolùm eſt cauſa inductiua ad emendum, ſed pertinet etiam ad materiam emptionis. Cum ergo, in caſu propoſito, Cauſa inductiua ad vendendum, nullo modo ad materiam venditionis pertineat, ſed omnino ſit illi extrinſeca, contractus non fuit celebratus, ſub cōditione quod cauſa ſubſiſteret, ſed abſolutè; ideoque fuit validus independenter ab eius veritate, nec reſcindendus, cum nulla data fuerit cauſa reſcindendi; Quod enim Titius, cauſam dederit; in ordine ad contractum reſcindendum, perinde fuit, ac ſi Caius, à ſe ipſo fuiſſet deceptus.

12 Ad ſecundam, reſpondetur; Errorem, non fuiſſe circa aliquid magni momenti, intrinſecum venditioni, ſed ſolùm circa aliquid extrinſecum. Hoc autem, ad reddendum contractum nullum, vel ad illum reſcindendum, non ſufficit; alioqui daretur occaſio contrahentibus, errorem fingendi, nec vllus vnquam daretur contractus firmus; ſed de cuiuſcunque valore dubitari ſemper poſſet.

COROLLARIA.

13 Colligitur ex dictis primò; Quando dolus circa cauſam inductiuam ad contrahendum, trahit ſecum errorem circa ſubſtantialia contractus; vt cum quis ad contrahendum inducitur, putans, quod res per contractum acquirenda, aliquam habeat virtutem, quam non habet, vel non habeat aliquod vitium, quod habet; contractum eſſe nullum, ac reſcindendum quo ad factum: quia, ſicut Venditor, dum rem aliquam vendit, eius qualitatem ignorans, perinde eſt, ac ſi rem vnam pro alià venderet, eo quod rerum qualitates, in contractu venditionis, ſint circunſtantiæ ſubſtantiales, & ad eius materiam pertineant, non minus quam res ipſa; ita, in emptione, dum Emptor, rem aliquam emit, putans, habere aliquam perfectionem, ſeu qualitatem connaturalem, quàm verè non habet; vel non habere defectum ei non connaturalem, quẽ verè habet; nulla eſt emptiò, quia error eſt circa ſubſtantialia contractus. Vnde deceptus, in conſcientià, contractum implere non tenetur, ſed poteſt reſilire.

14 Secundò, Si Venditor, in contractus celebratione, dicat, ſe nolle de vitio rei occulto teneri, ſed emptorem ſuo periculo rem illam emere debere, ſi velit, & re verà vitium ignoret; Tunc, contractum eſſe validum; quia Emptor, illam tunc emere vellet etiam cum vitio occulto; ſicque contractus eſſet perfectè

fectè voluntarius. Imo, ſi pretium, tempore contractus, ſpectatis circunſtantijs, & rei apparentiâ, ipſi rei eſſet æquale; Tunc, quamuis poſtea detegetur vitium, quo detecto, iam pretium fieret excedens, Vêditor tamen ad nihil teneretur; quia Emptor, pretio iuſto, rem illam emit, attentis circunſtantijs, quæ tempore contractus aderant, & vitij occulti periculum in ſe ſuſcepit. *Mol. d. diſp. 353. num. 15.*

15 Tertiò; Titium, qui dolo Caium, ad triticum vendendum induxit, teneri ex iuſtitiâ ad omnia damna, quę Caius ex tali venditione, paſſus eſt, & ad illum reſtituendum in integrum; Suo enim dolo, ſicut fuit cauſa iniuſta venditionis, ita fuit cauſa iniuſta omnium damnorum, quæ ex illâ ſunt ſubſecuta. Cauſa autê iniuſta damni, ad illud reſarciendum tenetur.

16 Quartò; Si Sempronius, conſcius fuiſſet doli, in eo caſu, poſse Caium contractum non implere, ſed ab eo recedere; Quia iam Sempronius cenſeretur doli particeps; dolum enim manifeſtare, vel impedire tenebatur; ideoque, non manifeſtando, peccaſſet contra iuſtitiã, & iniuriam Caio feciſſet; ſicque; in conſcientiâ, illũ in integrũ reſtituere teneretur, non ſolùm rem per contractum acquiſitam reſtituendo, ſed etiam reſarciendo dãna, quæ Caius ex ea venditione paſſus eſſet; fuiſſet enim omnium illorum damnorum cauſa iniuſta.

17 Quintò; Idem omnino dicendum eſſe, etiamſi Sempronius doli conſcius non fuiſſet, ſed tamen vincibiliter ignoraſſet, ignorantiâ mortaliter vincibili; teneretur enim ſimiliter non ſolùm ad diſſolutionê contractus, ſed etiam ad damnorum reſtitutionem; Quia ipſius culpâ, ſecuta fuiſſent, eo quod Ignorantia mortaliter vincibilis, non excuſet à culpâ; cum cauſet voluntarium ſaltem indirectum. Si tamen ignorantia fuiſſet vincibilis ſolùm venialiter; tunc probabile eſt, fore, vt ipſe neque ſub veniali ad reſtitutionem teneretur; quia obligatio in materiâ graui, non poteſt eſſe niſi ſub peccato graui; obligatio enim pendet ex materiæ grauitate poſito pręcepto naturali, vel poſitiuo; neque vllus vnquam dicet, aliquem ſub veniali tantùm obligari ad reſtitutionem centum, vel mille aureorum, nec poſſe hoc peccato liberari, niſi proponat reſtituere. *Leſſ. lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 28.*

QVAESTIO XXXVII.

An error, ortus ex merâ deceptione ipſius Operantis, operationem, iure ciuili, reddat inualidam.

CASVS.

1 TITIVS, falsò putans, Gemmam quandam, habere virtutem contra febres acutas, illam emit ſummo pretio iuſto, eo pretio nunquam empturus, ſi veritatem cognouiſſet; huius tamen erroris Venditore omnino inſcio. Poſtea verò, experimento comperit, Gemmam, illâ virtute non eſſe præditam; Quæritur; Vtrum emptio illa, iure ciuili, fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Error, an contractus, iure naturæ, irritos, irritet etiam ſemper, iure ciuili.*

4 *Quam poteſtatem habeat Reſpublica, in ordine ad contractus.*

5 *De facto, aliquos contractus, iure naturæ, irritos, conualidat.*

6 *Emptio, ex ſolâ Emptoris deceptione, orta, iure ciuili eſt valida.*

7 *Ius ciuile, quandonam det actionem ad contractum reſcindendum.*

8 *Et quando concedat actionem redbibitoriam.*

9 *Reſpublica, ſupplere poteſt defectum conſenſus ad valorem requiſiti.*

10 *Irritare poteſt contractus, iure naturæ, validos.*

11 *Dum ſupplet defectum conſenſus, reddit contractum, etiam iure naturæ, validum.*

12 *Supplet hunc defectum ſolum, quando error eſt prudens.*

13 *Conualidat contractum, ſaltem quo ad effectus.*

14 *Conualidare ſolùm poteſt, inualidum, ex defectu conſenſus.*

15 *Conualidat etiam, quando error eſt ſolùm concomitans.*

16 *Hinc efficaciter probatur, conualidare etiam geſta, quando datur error communis.*

RA-

RATIO DVBITANDI.

2 Sicut error, ortus ex dolo Tertij, iure ciuili, operationem non irritat, quando error contingit, non circa ſubſtantialia, ſed ſolùm circa circunſtantiam aliquã accidentalem; Ita à fortiori illam non irritabit, ſimilis error, ortus ex merà deceptione ipſius Operantis, cum nullus omnino tunc dolus interueniat. Difficultas tamen adhuc non leuis eſt; An, ſtante etiam errore circa ſubſtantialia; in quo caſu, Operatio, ex defectu conſenſus, iure naturæ, eſt inualida; Ius ciuile, illam aliquando conualidet: Hinc enim facilè conſtabit, quæ ſit, in Principe, poteſtas, ac Voluntas in ordine ad Reipublicæ bonum procurandum, & ad eiuſdem perturbationes vitandas.

3 Emptio ergo iſta, non videtur, iure ciuili, fuiſſe valida; Quia non fuit valida, iure naturæ, ex defectu conſenſus, cum error, fuerit circa ſubſtantialia ipſius emptionis; ſcilicet, circa Gemmæ virtutem, ac qualitatem connaturalem, quæ ad materiam emptionis pertinet, non minus quam ipſa Gemma. Stante enim hoc errore, dari non potuit conſenſus, ad emptionis valorem, iure naturæ, neceſſarius. Si autem emptio, iure naturæ, fuit inualida; iure ciuili, valida eſſe non potuit; quia ius ciuile, ſupponit ius naturæ, in eoque fundatur: Si ergo iure naturæ fuit inualida; fuit etiam inualida, iure ciuili.

NOTABILIA.

4 Aduertendum eſt primò; Principem, ſicut Rempublicam conſeruare tenetur, eiuſque tranquillitatem, ac pacem, quantum poteſt, procurare, & perturbationes vitare; Ita poteſtatem habere, præſtandi quidquid ad hoc, eſt neceſſarium. Hinc eſt, vt, non ſolùm de bonis ſubditorum, ſed etiam de vità diſponere poſſit, quando hoc ad Reipublicæ bonum, eſt neceſſarium. Vnde, tempore belli, Milites obligare poteſt, vt militent, & certum locum in bello teneant, etiam ſi, ex hoc, manifeſtum vitæ periculum eis immineat; & tempore peſtis, Medicis præcipere poteſt, vt peſtilentià laborantibus, quamuis cum vitæ periculo medeantur. Denique de ſubditorum bonis, de facto, diſponit, in lege præſcriptionis, bona vnius in alium transferendo, ad tollendas lites, & alia inconuenientia vitanda. Eodem ergo modo, de ijſdem bonis diſponere poteſt, etiam in contractibus, vim illis tribuendo, rerum dominia transferendi, ſicut tribuit præſcriptioni.

5 Aduertendum eſt ſecundò; Ius ciuile, aliquibus contractibus, quamuis, iure naturæ, inualidis, hanc vim de facto tribuiſſe; In lege enim, *Iulianus 24. ff. de act. empt.* expreſsè deffinitur. Venditionem, in quà Venditor, rem vitioſam ignoranter vendit, tacendo vitium, eſſe validam. Similiter, cõtractibus, ex errore antecedenti celebratis,

con-

concedit actionem redhibitoriam, per quam Venditor cogi poſſit, vt pretium reſtituat, & rem venditam ſibi accipiat, ſicque contractus reſcindatur; quod fieri non poſſet, ſi contractus non fuiſſet validus. His autem contractibus, Ius, valorem contulit, vt Contrahentibus tolleretur occaſio fingendi errorem, ſicque maxima vitaretur confuſio, ac perturbatio, quæ, alias, ex hac fictione oriretur in Republicâ. Sicut præſcriptioni vim dedit rerum dominia transferendi, vt ſic, & lites, & dominiorum incertitudo, tollerentur. His poſitis.

RESOLVTIO.

6 Reſpondetur; Emptionem factam à Titio, iure ciuili, fuiſſe validam, quamuis, iure naturæ, eſſet inualida. Ita *Molina tom.2. d.353. num.*8.*Leſſius lib.*2. *c.*17. *d.*5. *num.* 31. *Nau. cap.*23. *num.*89. *Sotus lib.6.quæſt.*3.*ar.*2. *circa* 6. *concl. & in* 4. *d.* 27. *qu.*1. *ar.*2. *concl.*1. *Henriq. lib.* 11. *de matr. c.*1. *num.*3. *Medina c. de reſt. quæſt.*33. & alij communiter apud iſtos.

7 Probatur autem primò; Quia *in l. Iulianus* 24. *ff. de actio.empt.* Venditio, in quâ, Venditor, rem vitioſam ſcienter vendidit, tacendo vitium, iure ciuili, dicitur valida; ſed ex illâ, ortam eſſe Emptori actionem ad repetendum à Venditore, non ſolùm exceſſum pretij, ſed etiam damnum, quod inde paſſus eſt; ad quod tamen damnum, *per dictam l.* Venditor non tenetur, quando rem vitioſam vendidit ignoranter. Dolus autem, in hac venditione, fuit circa ſubſtantialia; fuit enim circa vitium rei, & conſequenter venditio iſta, ſtando in iure naturæ, erat irrita. Ergo, iure ciuili, poteſt eſſe validus contractus, licet, iure naturæ, ſit inualidus; ideoque potuit etiam emptio, ex errore, facta à Titio, eſſe iure ciuili valida, quamuis iure naturæ fuerit inualida.

8 Secundò; Quia, in huiuſmodi contractibus, ex dolo, ſiue errore antecedenti celebratis; Ius ciuile concedit actionem redhibitoriam, per quam cogi poteſt Venditor, vt reſtituat pretium acceptum, & rem venditam ſibi accipiat, ac reſcindi iubet contractum; Ergo contractus præſumitur à iure validus; ſi enim eſſet irritus, reſciſſione non indigeret, idemque colligitur etiam apertè, *ex l.aliter, & ſeq. ff. de contrah empt.* Contractus autem, ex dolo, ſiue errore antecedenti, celebrati, quando error eſt circa ſubſtantialia contractus; vt accidit in emptione ſuprapoſita; ſunt iure naturæ irriti. Ergo contractus, iure naturæ, irriti, poſſunt eſſe, iure ciuili, validi; Atque ita, eſt de facto, emptio Gemmæ.

9 Tertiò; Quia Ius ciuile, cum habeat dominium in bona ſubditorum, propter bonum commune, ſupplere poteſt defectum conſenſus ipſius Contrahentis decepti, ſicque reddere contractum, in vtroque foro, omnino validum; vt ſic tollatur occaſio Contrahentibus

bus errorem fingendi, ex quà fictione, maxima oriretur perturbatio, ac confuſio in Republicà; cum ergo *ex l. Iulianus*; *ex l. aliter*; *& ex alijs ſimilibus*; habeamus; Ius ciuile, contractus ex dolo, vel errore antecedenti, celebratos, reddere validos; Dicendum eſt; Ius ciuile, eos reddere validos, etiam in Foro conſcientiæ; ſupplendo defectum conſenſus, ac voluntarij ad valorem naturalem requiſiti; Ex hoc enim, nullum ſequitur abſurdum, & ſic melius conſulitur bono communi. Hoc autem poſito, emptio Gemmæ, fuit omnino valida in vtroque foro; ſupplente Iure, defectum conſenſus circa vitium rei, ad valorem emptionis neceſſariò requiſiti.

10 Quartò; Quia ius ciuile, ſicut propter bonum commune irritare poteſt contractus, aliàs iure naturæ, validos. Ita è contra, non eſt cur reddere non poſſit, iure ciuili, validos eos, qui alias, iure naturæ, ſunt inualidi. Ergo validam, iure ciuili, reddere potuit emptionem Gemmæ, quamuis alias iure naturæ, eſſet inualida.

OBIECTIONIS SOLVTIO.

11 AD rationem in contrarium; patet reſponſio; Dicendum enim eſt, Emptionem fuiſſe validam & iure ciuili, & iure naturali; quia ius, & potuit, & propter bonum commune, voluit, ſupplere defectum conſenſus, ad eius valorem iure naturæ, neceſſariò requiſiti.

COROLLARIA.

12 COlligitur ex dictis primò; Ius poſitiuum, in contractibus, ex errore antecedenti circa ſubſtantialia celebratis, ſupplere defectum conſenſus, ſolùm, quando error eſt prudens, ac inuincibilis, non verò quando eſt vincibilis, ac fatuus; Sicut reſcindit contractus metu celebratos, ſolùm, quando metus eſt cadens in conſtantem virum; & ſicut reddit validos actus, ac geſta, per iudicem habentem titulum coloratum, ſolùm, quando error communis eſt inuincibilis, non verò quando eſt craſſus, vel ſupinus; Quia error craſſus, vel ſupinus æquiparatur ſcientiæ *ex c. 2. de conſtit in 6.* & probat *Sanchez lib. 4. matrim. d. 22. n. 8.*

13 Secundò dici etiam poſſe; quod Ius poſitiuum, quamuis efficere non poſſit, vt contractus, alias iure naturæ inualidi, validi ſint, in ratione contractus, & quoad eſſentiam, eo quod implicet, quod detur contractus, & quod legitimus duorum conſenſus non interueniat; Statuere tamen poteſt, vt ſint validi quoad effectum, ita vt habeant omnes effectus, quos haberent, ſi eſſent, conſenſu explicito, celebrati; V. G. vt per eos transferatur dominium, & oriatur in Contrahentibus mutua obligatio. Quia, cum tranſlatio dominij, & mutua Contrahentium obligatio, quæ ex contractu conſurgit, ad contractus eſſentiam non pertineat; ſed ſit effectus ipſius; nihil obſtat, quin per

leges

leges humanas, fieri poſſit; ſicut etiã leges humanæ, in multis caſibus, ſine Dominorum conſenſu, rerum dominium in alios transferunt: vt patet in legibus præſcriptionis.

14 Tertiò; Ius humanum, non omnem Contractum, iure naturæ irritum, poſſe efficere validum, ſed eum ſolùm, qui eſt irritus ex defectu legitimi conſenſus Contrahentium; Quia eorum conſenſum ſupplere poteſt. Hinc autem fit, vt ſi contractus ſit irritus, ex defectu materiæ; vt eſt, contractus vſurarius, in quo, pro mutuo datur pretium, vel aliquid pretio æſtimabile; illum reddere non poſſit validum, quia materiæ defectum ſupplere non poteſt, ſicut ſupplere poteſt defectum conſenſus, cum conſenſus ſit cauſa efficiens, & hæc ab aliquo extrinſeco ſuppleri poſſit; Vnde etiam eſt, vt in Matrimonio, Contrahentium conſenſus ſuppleri poſſit à Deo; Tum quia, conſenſus eſt cauſa efficiens Matrimonij, & hæc à Deo ſuppleri poteſt; Non minus enim Deus efficere poteſt, vt ſine mutuo Coniugum conſenſu oriatur inter illos vinculum, indiſſolubile, & mutua corporum tranſlatio, quam calefacere poſſit ſine igne. Tum quia, Deus, maius dominium habet in corpora coniugum, quam habeant ipſimet Coniuges; Cum ergo, ipſi, eo quod ſuorum corporum ſint Domini; eorum dominium in alium transferre poſſint; à fortiori hoc idem poterit Deus. Hæc tamen poteſtas, in ordine ad Matrimonium, in nulla Republicà, neque Eccleſiaſticà, neque ſæculari reperitur, ſed in ſolo Deo, vt benè pobat *Sanch. lib. 2. matrim. d. 27.*

15 Quartò; Quæ dicta ſunt de dolo, ſiue errore antecedenti, & dante cauſam contractui; idem omnino dicendum eſſe de errore concomitante, & incidente in Contractum, Quia argumenta, quæ probant de vno, æquè probant etiam de altero; Cum dolus incidens, cauſet non voluntarium, ſicut antecedens cauſat inuoluntarium; & vterque æquè tollat conſenſum, ad valorem actus neceſſariò requiſitum. Neque ſolùm eædem rationes militant in vtroque dolo, ſtando in iure naturæ; ſed etiam, ſtando in iure ciuili; Quando enim error, non eſt circa materiam totalem, ſed ſolùm circa partem materiæ; vt cum quis aureolam vendit, quæ poſtea magnà ex parte inuenitur, ænea, valida eſt venditio, quia auri aliquid habuit, & ſi inauratum aliquid ſit, valet venditio, licet aurum putetur, propter eandem rationem: Atque ita ſtatuitur *in l. quid tamen: ff. eodem.*

16 Quintò; Ex hoc valore, quem Ius, propter bonum commune, Contractibus, alias, iure naturæ, inualidis confert; non leue deſumi poſſe argumentum; quod idem Ius, eodem modo, valorem etiam conferat actibus, qui, poſito errore communi, ac bonà Populi fide, fiunt non ſolùm ab Habente titulum coloratum, ſed etiam ab habente ſolam poſſeſſionem Officij. Si enim Reſpublica, ad vitanda inconuenientia, quæ ex huiuſmo-

di

di Contractuum inualiditate ſequerentur, eos conualidat; Cur, poſito errore communi, non conualidet actus factos ab Habente poſſeſſionem Officij; cum ex horum nullitate, eadem, imo maiora ſequantur inconuenientia; Et ſi ad hos contractus validandos, ſupplet defectum conſenſus, ad eorum valorem requiſiti ex parte Decepti; Cur etiam, poſito errore communi, ad actus, qui fiunt, conualidandos; non ſuppleat defectum iuriſdictionis ad eorum valorem, in Habente poſſeſſionem Officij, requiſitæ; cum longe minus ſit, ſupplere defectum iuriſdictionis, quam defectum conſenſus, & vterque defectus, eodem modo ſuppleatur in genere Cauſæ efficientis. Tam enim Iuriſdictio, eſt cauſa efficiens valoris in actu, quam Conſenſus in Contractu. Certè, non apparet; cur Reſpublica, vnum præſtare debeat, & non aliud, cum non minus vnum, quam aliud conferat ad bonum commune, quod ipſa procurare tenetur. Poſito autem, quod Reſpublica, ſolùm propter bonam Populi fidem, actus conualidet, & iuriſdictionis defectum etiam in Habente ſolam poſſeſſionem Officij ſuppleat, quot perturbationes vitantur, & quot perplexitatibus, ac anguſtijs liberantur Conſcientiæ, cum præſertim nullum hinc ſequatur inconueniens. Sed de hoc fuſius ſuo loco.

QVAESTIO XXXVIII.

An error incidens in Operationem, illam, iure naturæ, irritet.

CASVS.

1 TITIVS, Gemmam emit, falsò putans, illam ſpecialem habere virtutem contra morbos oculorum, quam verè non habebat; Eam tamen empturus, etiamſi talem virtutem non habuiſſet; Et hoc nullà prius adhibità diligentià, ad rei veritatem cognoſcendam. Quæritur; Vtrum emptio iſta, iure naturę, fuerit valida.

SVM-

SVMMARIVM.

3 *Error incidens in emptionem, an eam irritet.*
6 *Verè non irritat.*
7 *Non tollit voluntatem abſolutam emendi.*
8 *Error ſupponitur vincibilis.*
9 *Non tollit voluntatem emendi rem, quacumque circunſtantiâ poſitâ.*
10 *Non eſt circa materiam emptionis adæquatam.*
11 *Cur, cum errore circa materiã ſit valida emptio, & non Matrimonium.*
12 *Ignorantia, & error concomitans, dummodo non ſint circa materiam adæquatam, contractum non vitiant.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CAſus hic, à præcedenti differt, primò, quia, ibi error, in Emptore, ſupponitur antecedens, & dans cauſã Contractui, hic verò concomitãs, & incidens in contractum. Secundò; quia error, ibi ſupponitur omnino inuincibilis, hic verò vincibilis. Proponitur autem, & vt melius appareat diuerſus modus, quo Voluntas, poſito vtroque errore, operatur; & vt conſtet, quæ libertas, ad valorem, ex parte actus, requiratur, ac ſufficiat.

3 Aliquibus ergo, Emptio videtur non fuiſſe valida. Ita *Pilliuc to.2. tr.25. c.6. num. 17. & Merolla d.1. c.2. d.21. diſ.5. num.963.*

4 Primò; Quia, ſi quis contrahat Matrimonium cum Liâ, putans eſſe Rachelem, quamuis ſit diſpoſitus ad contrahendum cum illâ, etiam ſi ſciret, eſſe Liam, adhuc Matrimonium illud, eſt nullum; Sed ſimilem voluntatem habuit Titius in emptione Gemmæ; Vtrobique enim datur ignorantia concomitans circa materiam contractus; Ergo emptio facta à Titio fuit nulla; Ideo enim Matrimonium eſt nullum, quia, ratione Ignorantiæ concomitantis, non eſt voluntarium, quamuis non ſit inuoluntarium, Sed etiam emptio Gemmæ, propter eandem rationem; non fuit voluntaria, quamuis non fuerit inuoluntaria. Ergo etiam Emptio Gemmæ fuit nulla.

5 Secundò; Quia, ad hoc, vt Matrimonium ſit validum, requiritur expreſſus Contrahentium conſenſus, & vt contractus expreſsè, ac poſitiuè ſit voluntarius. Ergo hoc totum requiretur etiam, ad hoc, vt emptio, iure naturæ, ſit valida; Non minus enim emptio, eſt contractus onerosus, quam Matrimonium; Imo, inter hos contractus, nulla videtur eſſe diuerſitas, niſi in hoc, quod materia Matrimonij, eſt perſona Contrahentium; materia verò emptionis, eſt res quæ emitur. Sicut igitur in Matrimonio, error tollit poſitiuum conſenſum; ita illum tollet in emptione.

RESOLVTIO.

6 RESpondetur tamen; emptionem factam à Titio, iure natu-

naturæ, fuiſſe validam. Ita *Vaſq.* 1. 2. *d.* 13. *c.* 4. *num.* 30. *Molina tom.* 2. *c.* 352. *num.* 13. *Sanc. lib.* 1. *matr. d.* 64. *num.* 6 *& d.* 65. *Medina Cod. de reſtit. quæſt.* 33. *Sylueſter v. culpa, quæſt.* 7. & alij apud iſtos.

7 Primò; Quia error, quem Titius habuit, fuit non circa Gemmam, ſed circa ſpecialem eius virtutem; Hic autem, non impediuit voluntatem abſolutam emendi Gemmam, independenter ab eà virtute: Potuit ergo Titius, cum eo errore, habere voluntatem abſolutam emendi Gemmam, & conſequenter emptio Gemmæ eſſe perfectè voluntaria, ac libera, ſicque ſtando in iure naturæ, valida.

8 Secundò, Quia error, quem Titius habuit, fuit vincibilis, vt in caſu ſupponitur; Error autem vincibilis, cauſat voluntarium ſaltem indirectè. Cum ergo Titius habuerit voluntatem abſolutam emendi Gemmam, & vincibiliter errans circa eius virtutem, virtualiter illam emere voluerit etiam ſine tali virtute, videtur habuiſſe voluntatem, ad emptionis valorem ſufficientiſſimam, ſtando in iure naturæ.

9 Tertiò; Quia, ſi Titius explicitè hanc voluntatem habuiſſet: *Volo emere hanc Gemmam, ſiue habeat, ſiue non habeat virtutem contra morbum oculorum;* Emptio fuiſſet ſufficientiſſimè voluntaria, ac valida; Nihil enim ei deeſſet ad valorem, ſicut nihil deeſſet ad valorem Matrimonij, ſi haberet animum contrahendi cum muliere præſente, quæcumque illa eſſet; quamuis per errorem putaret, eſſe Rachelem. Sed Titius, ſimilem habuit voluntatem circa Gemmã; Illam enim emere voluit abſolutè, ſiue haberet, ſiue non haberet virtutem contra morbum oculorum; alioquin error non fuiſſet concomitans, ſed antecedens, nec fuiſſet vincibilis, ſed inuincibilis. Ergo valida etiam fuit illius emptio, non obſtante errore circa eius virtutem; Error enim non impedijt voluntatem, ad eius valorem ſufficientem.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 AD rationes in contrarium, reſpondetur; ad primam; Diſparitatem eſſe primò, quia in Matrimonio, error ſupponitur circa Perſonam, quæ eſt materia adæquata Matrimonij; In emptione verò, error ſupponitur, non circa Gemmam, quæ eſt emptionis materia, ſed ſolùm circa Gemmæ qualitatem, ſiue circunſtantiam aliquã materiæ, ſine quà dari poteſt conſenſus, & voluntas circa ipſam materiam. Secundò; quia; in Matrimonio, error ſupponitur inuincibilis; in emptione verò vincibilis. Ex vtroque autem hoc capite, error circa Perſonam, reddit Matrimonium non voluntarium; quæ duo, cum non reperiantur in errore circa Gemmæ virtutem, conſequenter error circa illam, non erit ſufficiens ad reddendam emptionem Gemmæ non voluntariam, & inualidam.

Ad

11 Ad ſecundam, reſpondetur; dari
in emptione, poſitiuum conſenſum
pleniſſimè voluntarium circa Gem-
mam, cum detur eius cognitio,
quamuis non detur cognitio virtu-
tis illius; Hic autem conſenſus,
in Matrimonio, dari non poteſt,
cum ſupponatur, dari errorem cir-
ca ipſam Perſonam, & conſe-
quenter deeſſe cognitionem Per-
ſonæ ad talem conſenſum neceſſa-
riam. Hinc ergo fit, vt emptio
cum illo errore potuerit eſſe vali-
da; Matrimonium verò validum
eſſe non poſſit; Quia, cum errore
circa Perſonam, dari non poteſt
conſenſus in illam; ſicut cum
errore circa Gemmæ virtutem,
dari potuit conſenſus in ipſam
Gemmam, eiuſque emptionem.

COROLLARIVM.

12 COlligitur ex dictis; Ignoran-
tiam, ſiue errorem concomi-
tantem, quamuis ſit circa circun-
ſtantiam aliquam ſubſtantialem
contractus, dummodo non ſit cir-
ca ipſam materiam adæquatam,
aç totalem, non tollere valorem
illius contractus, quia non im-
pedit conſenſum ſufficientem in
ipſum contractum: Quamuis enim
circunſtantiam illam reddat non
voluntariam; hoc tamen non im-
pedit, quin res ipſa poſſit eſſe ſuffi-
cienter, & abſolute volita; cum
Voluntas, in rem illam adhuc po-
ſitiuè tendere poſſit per actum ab-
ſolutum, non tendendo in eius cir-
cunſtantiam, etiam ſubſtantialem,
ſed ab illà quaſi præſcindendo.
Hæc autem voluntas, ſufficit ad
actus valorem, vt conſtat ex di-
ctis. Quod ſi error ſupponatur
vincibilis, tunc neque tollit con-
ſenſum virtualem, ac implicitum
in ipſam circunſtantiam ignora-
tam. Qui enim vult explicitè ali-
quid, vult ſimul implicitè, ac vir-
tualiter, quidquid cum illo eſt
neceſſariò connexum; vnde multò
magis datur conſenſns ad valorem
ſufficiens.

QVÆ-

QVAESTIO XXXIX.

An metus, præceptorum humanorum violationem impediat.

CASVS.

1 TITIVS, ob homicidium ab eo commiſſum, detinebatur in Carcere iam morti deſtinatus. Accidit autem, vt, die quadam, Princeps, cum eſſet hæreticus, carcerem ingreſſus, ei libertatem promiſerit, ſi librum quendam hæreticum de religione tractantem, totum legeret; ipſe verò, ad libertatem recuperandam, legit. Quæritur. Vtrum mortaliter peccauerit, & in excommunicationem Bullæ Cœnę, inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Quid ſit metus.*
3 *Libri hæretici lectio, ad ſaluandam vitam, an liceat.*
9 *Metus probabilis, & improbabilis, quid.*
10 *Metus antecedens, & concomitans, quid.*
11 *Præceptum humanum, quas actiones prohibeat.*
12 *Libri hæretici lectio, ad ſaluandam vitam, eſt licita.*
13 *Per illam, nulla Lex violatur.*
14 *Lex humana, non magis obligat, quam poſitiua Diuina.*
15 *Multa præcepta Eccleſiaſtica, non obligant cum graui incommodo.*
16 *Eccleſia, an obligare poſſit cum vitæ periculo.*
17 *Cum datur vitæ periculum, ceſſat legis obligatio.*
18 *An ſemper ceſſet.*
19 *Metus, licet à culpà non excuſet, contractus reſcindit.*
20 *Libri hæretici lectio, ex ſe, Religionis contemptum non includit.*
21 *Quando Eccleſia obligare poſſit, etiam cum vitæ periculo.*
22 *Sacerdoti, ad Viaticum miniſtrandum, non licet conſecrare in fermentato.*
23 *Metus, non ſolùm iniuſtè, ſed etiam iuſtè incuſſus, à legis obligatione excuſat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis Metus, operationes noſtras non reddat ſimplici-

ter i nuoluntarias, ſicut error, ac ignorantia; Quia tamen, in eis, rationem voluntarij, ac liberi minuit; Quæritur; an ita minuat, vt aliquando ſaltem, excuſet à culpà, & à pœnà, & actuum valorem impediat, & hoc, reſpectu quorumcumque præceptorum, ſiue Humanorum, ſiue Diuinorum, ſiue Naturalium. Nomine autem metus, *ex Ariſt. 2. Reth. c.5.* Intelligitur communiter, illa animi perturbatio, quæ ex cognitione alicuius mali, vel imminentis, vel probabiliter venturi concipitur.

3 Titius ergo, librum hæreticum legendo, videtur mortaliter peccaſſe, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidiſſe. Ita *Caiet. 1.2. quæſt.96. art. 4. & 2. 2. qu. 125. art. 3. & in opuſc. tom.3. tr. 8. Adrian. in 4. q. 3. de clauibus.*

4 Primò; Quia legem Eccleſiaſticam violauit, librorum hæreticorum lectionem, ſub pœnà excommunicationis prohibentem; *can.1. Bullæ Cœnæ.* Hanc autem, neque ad ſaluandam vitam, violare poterat; Tum quia, neque ad ſaluandam vitam, licet peccare; & legis violatio, peccatum eſt. Tum quia, neque ad ſaluandam vitam, licet operari contra bonum commune; bonum enim priuatum, nunquam bono communi præferri licitè poteſt. Legis autem violatio, ac tranſgreſſio, eſt contra bonum cõmune; cum ipſa lex, tota ſit propter bonum commune, & ad illud ordinetur.

5 Secundò; Quia non minus Titius, legem Eccleſiaſticam, violauit, librum hæreticum legendo ad vitam ſaluandam, quam Parochus, tempore peſtis, ſui Epiſcopi præceptum violaſſet de non diſcedendo ab Vrbe, vt Sacramenta petentibus miniſtraret, ſi ad ſaluandam vitam, diſceſſiſſet; Non minus enim Titius, fecit contra legem, quam Parochus feciſſet contra Epiſcopi præceptum; Sed Parochus, ab Vrbe diſcedendo, quamuis ad ſaluandam vitam, verè Epiſcopi præceptum violaſſet, ac mortaliter peccaſſet; Ergo etiam Titius, librum hæreticum legendo, quamuis ad vitam ſaluandam, legem Eccleſiaſticam violauit, ac mortaliter peccauit; & conſequenter excommunicationem incurrit.

6 Tertiò; Quia, ſi mulier, quamuis infimæ conditionis, Titio in carcere ſic detento promiſiſſet, ſe eum à morte liberaturam, ſi illi Matrimonium promitteret, & ipſe promiſiſſet; Promiſſio illa, quamuis ad ſaluandam vitam facta, adhuc fuiſſet obligatoria, & illum verè obligaret. Ergo ſimiliter, libri hæretici lectio, quamuis ad ſaluandam vitam facta, adhuc fuit violatiua præcepti, & illud verè violauit; ſicut enim mortis timor ad impediendam promiſſionis obligationem non fuiſſet ſufficiens; ita nec fuit ſufficiens ad impediendam legis violationem, ac culpam.

7 Quartò; Quia promiſſio Matrimonij, quamuis facta ad vitam ſaluandam, non minus obligaſſet Titium, quam, ſi ob quemcumque alium finem, fuiſſet facta. Non minus

minus enim fuiſſet libera in vno caſo quã in alio. Ergo ſimiliter, libri hæretici lectio, quamuis facta ad vitam ſaluandam, non minus legem Eccleſiaſticam violauit, quam ſi ob quemcumque alium finem, fuiſſet facta; Sicut enim ſe habet promiſſio, in ordine ad producendam obligationem, ita ſe habet libri hæretici lectio in ordine ad legem violandam. Ergo ſicut, in promiſſione, obligatio non impeditur ex eo, quod promiſſio fuerit facta ad vitam ſaluandam; ita in libri hæretici lectione, legis violatio non impeditur ex eo, quod lectio fuerit poſita, ad vitam ſaluandam.

8 Quintò; Quia, ſi Princeps, Titio vitam promiſiſſet, ſi carnes die Veneris in Eccleſiaſticæ obſeruantiæ contemptum comediſſet; ipſe, comedendo, mortaliter peccaſſet, quamuis eas ad ſaluandam vitam comediſſet; tenebatur enim, etiam cum mortis periculo, Eccleſiaſticas obſeruantias non contemnere, neque ſcandalum, aut ſigna contemptus, dare. Ergo ſimiliter, mortaliter peccauit, librum hæreticum legendo, quamuis ad ſaluandam vitam, eum legerit; Non minus enim peruerſionis periculum, ſibi ex tali lectione imminens vitare tenebatur, quam periculum contemptus legis, ac ſcandali, ex carnium comeſtione, proueniens; Nec minus Princeps, libri hæretici lectionem ei obtulit, ad eum peruertendum, quam obtuliſſet carnium comeſtionem, ad legem contemnendam.

NOTABILIA.

9 Aduertendum eſt primò; duplicem dari metum; Primus dicitur iuſtus, & probabilis, quia à legibus approbatur, ac admittitur, & cadens in conſtantem Virum, quia in eo, in quem cadit, conſtantiæ, ac fortitudinis laudem non adimit. Talis autem eſt, non ſolùm timor mortis, ſed etiam cuiuſcumque alterius grauis mali imminentis: vt, mutilationis; longi carceris; exilij diuturni; ſeruitutis; amiſſionis gradus honorifici, vel bonorum, aut omnium, aut notabilis partis eorum, cum ſine his nemo commodè, ac honorificè viuere poſſit; infamiæ, ſiue iuris, ſiue facti, quæ facilè purgari non poſſit; excommunicationis iniuſtę; aut alterius ſimilis mali. Neque ſolùm, cum quis, hæc mala timet ſibi, ſed etiam, cum ea timet Filijs, Parentibus, Vxori, & arctiſſimis Amicis; horum enim mala, noſtra reputamus. Denique talis cenſetur eſſe timor reuerentialis, quo Filius timet offenſam Parentum; Pupillus Tutoris; Subditus Principis; Vxor Viri; Monachus Abbatis; Clericus Epiſcopi; &c. Secundus dicitur metus non iuſtus, neque probabilis, quia à legibus non probatur; nec cadens in conſtantem Virum, quia ſi in aliquem cadat, eſt cum iactura conſtantiæ; vt eſt timor mali alicuius leuis. Non eſt hic ſermo de ſecundo metu, ſed de primo.

10 Aduertendum eſt ſecundò; ſicut duplex datur error, & ignorantia;

antecedens, ſcilicet, & concomitans; ita duplicem ſimiliter dari metum; antecedentem, & concomitantem. Primus, eſt cauſa, cur fiat aliquid, quod propterea fieri dicitur ex timore. Vt, cum Mercator, tempore tempeſtatis, ex metu naufragij, proijcit merces in mare, quas alias non proijceret. Secundus, non eſt cauſa operis, ſed eſt ſimul cum opere; Latro enim, dum furatur, cum timore furatur, non ex timore; quia timor, non eſt cauſa, cur furetur. Nos hic loquimur de metu antecedente, non de concomitante.

11 Aduertendum eſt tertiò; Præceptum humanum, prohibere aliquando aliquid, alias, non intrinſecè malum, vt cum prohibet Venationem, vel piſcationem, vel armorum geſtationem, præſertim noctu. Aliquando verò, prohibere aliquid, etiam lege naturali, vel Diuinà prohibitum; vt, cum ſpecialiter prohibet, Clerici percuſſionem, vel occiſionem. Hic solùm quæritur; an metus grauis, eorum præceptorum violationem impediat, quæ prohibent aliquid, alias, ex ſe indifferens, nec intrinſecè malum. His poſitis.

RESOLVTIO.

12 Reſpondetur; Titium, librum hæreticum legendo, ad vitã ſaluandam, nullo modo peccaſſe, neque vllam cenſuram contraxiſſe. Ita *Vaſq.* 1.2. *d.*161. *c.*2. *Suar.de legib. lib.*3. *c.* 30. *num.* 6. *Salas d.*11. *ſ.*1. *nu.*12. *Clauis Reg. lib.*3. *c.*7. *num.*34. *Valent.*1.2. *d.*7.*q.*5. *p.*6. *quæſt.*4. *Azor. lib.*1. *cap.*11. *quæſt.*1. *Becanus tom.*2. *tr.*3. *c.*6. *quæſt.* 4. *Sanch. lib.*1. *ſum. c.*18. *num.* 4. *Leſſius lib.*2. *cap.*9. *dub.*6. *num.* 59. *Duard. in explic. Bullæ Cœnæ, lib.*1. *c.*2. *quæſt.*2. *nu.*30. & alij communiter.

13 Primò; Quia, librum hæreticum, eo fine, legendo, nullam legem violauit; Non diuinam, quia hæc non extat; Non naturalem, quia libri hæretici lectio, non eſt intrinſecè mala, ſicut eſt fornicatio, vel mendacium; alioquin huiuſmodi libros legere, nunquam licitum eſſet; nec Pontifex eos legendi facultatẽ cõcedere poſſet; Quod enim eſt intrinſecè malum, nunquam eſt eligibile. Neque Eccleſiaſticam; quia lex Eccleſiaſtica, in hoc caſu, non obligat; Eccleſia enim, non cenſetur intentionem habere, per ſuas leges obligandi, quando leges, ſine graui incommodo ſeruari non poſſunt; Nam, in ſuis legibus, Chriſti legibus conformare ſe debet; Huius autem iugum, ſuaue eſt, & onus leue. Cum ergo lex Eccleſiaſtica, à Titio, ſine vitæ detrimento, ſeruari non poſſet, illum non obligabat; Ideoque Titius, librum hæreticum legendo, illam non violauit.

14 Secundò; Quia, lex Eccleſiaſtica, cum ſit humana, non magis obligat, quam lex poſitiua Diuina; Hæc enim, longè grauior eſt, quam humana. Sed lex poſitiua Diuina, cum periculo vitæ, aut alterius grauis detrimenti, non obligat; lex enim de Confeſſione ante-

com-

communionem præmittendâ; de confeſſionis integritate; & aliæ ſimiles, quæ ſunt Diuinæ, non obligant cum graui incommodo. Ergo neque lex Eccleſiaſtica obligabit cum graui incommodo. Sicut ergo Titius, ad ſaluandam vitam; ſine vllâ culpâ, peccatum in confeſſione tacere potuiſſet; ita ad eandem vitam ſaluandam; potuit, ſine vllâ culpâ, librum hæretici legere.

15 Tertiò; Quia de facto, multa dantur Eccleſiaſtica præcepta, quæ non obligant cum graui incommodo; Præceptum enim ieiunij, cum ſalutis detrimento non obligat, vt habetur; *cap. conſilium de obſeru. ieiun.* Nec Præceptum audiendi ſacrum diebus feſtis, obligat cum periculo mortis, aut alterius grauis nocumenti: Nec Præceptum non communicandi cum excommunicato vitando, obligat in caſu neceſſitatis; vt habetur; *c. quoniã multos.* 11. *quæſt.* 3. *& c. inter de ſent. excom.* Ergo neque Præceptũ non legendi librum hæretici, cum vitæ periculo obligabit; Vnde, ſicut Titius ad ſaluandam vitam cum excommunicato vitando communicare potuiſſet; ita potuit hæretici librum legere, ſine vllâ culpâ.

16 Quartò; Quia Eccleſia, poteſtatem non habet, per ſuas leges, etiã cum vitæ periculo obligandi, niſi quando hoc, bono communi præcisè eſt neceſſarium; Hæc enim poteſtas, illi à Chriſto conceſſa non eſt, cum talis conceſſio, nullibi extet; nec ad bonam gubernationem ſit neceſſaria. Sed à libri hæretici lectione abſtinere, bonum cõmune immediatè nõ reſpicit, ſed potius bonum particulare legentis, ne ſcilicet, per talem lectionem, peruerſionis periculo exponatur; Ergo Eccleſia, ad abſtinendum à tali lectione, etiam cum vitæ periculo, obligare non poteſt; Ideoque Titius, ad vitam ſaluandam, librum illum ſine vllâ culpâ legere potuit; Magis enim Eccleſiæ intereſt, vitam hominis conſeruare, quam libri hæretici lectionem prohibere; dummodo ex tali lectione, legis contemptus, aut ſcandalum, aut aliqua iniuria, Eccleſiæ non proueniat.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 Neque obſtant rationes in cõtrarium. Ad primam enim; Negatur minor; Nam lex Eccleſiaſtica, cum graui detrimento, obligare non poteſt, & multo minus cum vitæ periculo; Vnde, in eo caſu, ſicut eius obligatio ceſſat, ita non datur eius violatio; Et quamuis lex ordinetur ad bonum commune, & propter illud ſit poſita, finem tamen ſuum ſufficienter conſequitur, ſi regulariter, per ſe, & extra hos caſus extremæ, vel grauis neceſſitatis, obſeruetur; Ideoque ad commune bonum ſufficit, vt regulariter, ac per ſe, obliget, licet cum graui detrimento; ac periculo non obliget.

18. Ad ſecundam, Negatur maior: Ratio autem diſparitatis, eſt euidens; Nam Epiſcopi præceptum, tempore peſtis, Parochos obligans

ne ex Vrbe diſcedant, & vt Sacramenta neceſſaria miniſtrent, cũ præcipiat Parochorum aſſiſtentiam, quæ tunc temporis, eſt bono communi maximè neceſſaria, vt Morituri, ſine debitis Sacramentis, & auxilijs, non obeant; obligare illos poteſt pro eo tempore etiam cum vitæ periculo; Quia bonum commune particulari præferendum eſt. At abſtinentia à libri hæretici lectione, non eſt actio immediatè, & de ſe, reſpiciens bonum commune, ſed potius legentis vtilitatem, ne per lectionem, peruerſionis periculo ſe exponat; Vnde etiam, præceptum, talem lectionem prohibens, immediatè non reſpicit bonum commune, ſed potius ſingulorum vtilitatem. Non eſt autem neceſsè, vt huiuſmodi præcepta, obligent cum graui detrimento, ac incommodo, ſed ad bonum commune ſatis eſt, vt regulariter, ac per ſe, & extra caſum grauis neceſſitatis, obligent, vt dictum eſt.

19 Ad tertiam, & quartam reſpondetur; Metum grauis mali, quamuis non ſit ſufficiens ad contractum reſcindendum, eſſe tamen ſufficientem, ad excuſandum à tranſgreſſione legis humanæ; quia lex humana, non obligat cum tanto detrimento, ac incommodo; nec talis obligatio, ad bonam Reipublicæ gubernationem, vllo modo, eſt neceſſaria, aut expediens; ſicut plerumque, eſt neceſſarium, ne reſcindantur contractus, ſed vim habeant obligandi.

20 Ad quintam, reſpondetur; Diſparitatem eſſe; quia tunc, carnium comeſtio, cum contemptum Religionis includat, eſt intrinſecè mala; ideoque, etiam cum mortis periculo, vitanda; bonum enim Religionis, ſemper bono priuato propriç vitæ præferendum eſt. At libri hæretici lectio, quamuis concedatur, ſecum afferre periculum peruerſionis; (quod tamen non ita frequenter accidit;) adhuc tamen, non eſt intrinſecè mala, quia non includit religionis contemptũ, & ex graui causà, licet, peccandi periculo ſe exponere; Vnde Confeſſarius, Confeſſiones audire poteſt, quamuis illas audiendo, exponat ſe periculo pollutionis. Cuius rei ratio eſt; Quia, non quodlibet peccandi periculum, eſt peccatum; ſed ſolùm periculum temerarium; nam, ſi periculum ſit rationabile, & prudens, peccatum eſſe non poteſt. Cum ergo libri hæretici lectio, non ſit intrinſecè mala, non eſt neceſſariò vitanda, etiam cum vitæ periculo; nec Eccleſia, cum tanto incommodo obligat, ad eam vitandam.

COROLLARIA.

21 Colligitur ex dictis primò; poſſe legem Eccleſiaſticam, ex vi ſuæ poteſtatis, ſub culpà lethali, & ſub cenſurà, obligare fideles ad aliquid, etiam cum vitæ periculo agendum, vel vitandum, quamuis non ſit ex ſuà naturà, & intrinſecè malum, ſi hoc, ad bonum commune ſit neceſſarium. Si enim Rex temporalis, vel Reſpublica, propter bonum commune, vnum, vel plu-

plures Ciues, morti exponere poteſt; Vt, cum, Ciuibus præcipit, vt contra irruentes hoſtes, arma ſumant; & Medicis, ne, præualente peſte, à Ciuitate diſcedant; cur Eccleſia, Fideles, ſuis legibus, obligare non poterit, etiam cum vitæ periculo, quando hoc, ad bonum commune Religionis, eſt neceſſarium. Non minus enim, in Eccleſiâ, datur poteſtas neceſſaria ad ſui conſeruationem, quam in Republicà. Hæc autem poteſtas, aliquando neceſſariò extendi debet ad obligandum ad aliquid, etiam cum vitæ periculo; quia hoc eſſe poteſt, hic & nunc, ad boni communis conſeruationem neceſſariū; Atque ita, tempore graſſantium hæreſum, Summus Pontifex, aliquibus Religioſis, vel alijs viris doctis catholicis, præcipere poſſet, vt, etiam cum vitæ diſcrimine, doctrinam catholicam prædicarent, quia tunc ageretur de Religionis conſeruatione, quæ vitæ priuatæ præferenda eſt. *Vaſq. d.161. c.3. Valent.d.7. quæſt.5. p.8. qu.4. Becan. tom.1. tr.3. c.6. qu.4. n.8.*

22 Secundò; Non eſſe licitum Sacerdoti, ad communicandum infirmum, in articulo mortis conſtitutum, ſine ſacris veſtibus celebrare, vel conſecrare in fermentato, quamuis præceptum de Euchariſtiâ in articulo mortis ſumendâ, ſit diuinum, & præceptum celebrandi cum veſtibus ſacris, & conſecrandi in azimo, ſint tantum Eccleſiaſtica; Quia præceptum ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo, non obligat abſolutè, ſed ſolùm poſito, quod detur, vel dari ritè poſſit, copia Sacramenti. In hoc autem caſu, talis copia ritè dari non poteſt; & aliunde, præceptum de non celebrando ſine ſacris veſtibus, immediatè reſpicit ritum, ac bonum commune Sacramentorum.

23 Tertiò; Metum mortis, aut alterius grauis damni, excuſare à tranſgreſſione legis humanę, & conſequenter etiam à pœnâ, per eam legem, tranſgreſſoribus impoſitâ, non ſolùm, quando metus, eſt iniuſtè incuſſus; ſed etiam, quando eſt incuſſus iuſte; Quamuis enim, hic metus, non ſit ſufficiens ad reſciſſionem contractus, eſt tamen ſufficiens ad excuſandum à legis humanæ tranſgreſſione; quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, ac incommodo; Vnde, qui, propter homicidium commiſſum, in alicuius Principis domum, ſe recepit, nec inde ſine periculo exire poteſt, ne à iuſtitiæ Miniſtris capiatur; diebus feſtis, ad Eccleſiā accedere non tenetur, vt ſacrum audiat.

QVAESTIO XL.

An metus grauis, à quorumcumque præceptorum humanorum violatione excuſet.

CASVS.

1 SACERDOS quidam, cum, metu mortis compulſus, Clericum Neapoli occidiſſet, Florentiam ſe tranſtulit, ibique ſæpius celebrauit. Quæritur vtrum, Clericum occidendo, ſacrilegium commiſerit, & in excommunicationem, ac irregularitatem, tam ex Clerici occiſione, quam ex celebratione inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Metus, excuſare non videtur, quando præceptum humanũ prohibet aliquid, lege naturali prohibitum.*

7 *Verè tamen, tunc etiam excuſat.*

8 *Lex humana, regulariter, non obligat cum graui incommodo.*

9 *Vnde, tunc, obligat ſolùm lex naturalis.*

10 *Sicut, cum quis, legem humanam inuincibiliter ignorat.*

11 *Humana prohibitio, tunc, non magis obligat, quam, ſi inuincibiliter ignoraretur.*

12 *Metus, excuſat à pœnà, debità ex vi iuris humani, non naturalis.*

13 *Vbi tamen agitur de bono communi, neque à violatione, ac pœna Iuris humani.*

14 *Peccat tunc, quis ſolùm materialiter, contra legem humanam, non formaliter.*

15 *Metus excuſat à Cenſuris.*

16 *Nec in Confeſſione, eſt explicanda, circunſtantia violationis iuris humani.*

17 *Neque vlla irregularitas, incurritur, ob violationem cenſuræ.*

18 *Votum obligat ad inſtar legis humanæ.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis metus grauis, à præceptorum humanorũ tranſgreſſione excuſet, quando hæc, aliquid, alias, non intrinſecè malum, præcipiunt, vel prohibent; Eſt tamen ſpecialis difficultas; an excuſet, quando prohibent aliquid Diuina,

uina, vel naturali lege, prohibitum; Multi enim qui, in primo caſu, hoc concedunt; in ſecundò negant; eiſque propterea, Sacerdos videtur, Clericum occidendo, ſacrilegium commiſiſſe, & conſequenter excommunicationem Canonis, & irregularitatem contraxiſſe. *Sanch. lib.9.matr.diſp.31. num. 6.* ***Duard.*** *in explic. Bullæ Cœnæ lib.1. c.2. quæſt.2. num.7. & lib.2. c.3. qu.13. concl.3.*

3 Primò; Quia occidit perſonam Deo conſecratam; hoc autem, eſt Sacrilegium, non minus, quam ſi occidiſſet, in loco Sacro. Neque obſtat, quod, metu mortis compulſus, occiderit; Quia, cum occiſio Innocentis, priuata auctoritate, ſit actio intrinſecè mala, & contra legem naturalem, nullo metu excuſari poteſt à culpà; tenebatur enim, mortem ſubire potius, quã Clericum innocentem occidere, cum malum culpæ, cuicumque malo, etiam propriæ mortis, præferre teneretur. Si autem mortis metus, non ſufficit ad Clerici homicidium excuſandum à culpà, illud conſequenter, nec excuſare valebit à pœnà excommunicationis, ac irregularitatis, illi annexà.

4 Secundò; Quia in ijs, quæ iuri Diuino, ac naturali aduerſantur, quale eſt Clerici homicidium, metus non excuſat à pœnà, vt habetur; *c. ſi quis coactus 22. quæſt.5.* ibi *Si quis coactus, pro vità redimenda, vel pro qualibet causà, vel neceſſitate periuret; quia plus corpus, quàm animam dilexit, tres quadrageſimas pæniteat;* Ergo etiam, in Clerici homicidio, quod legi Diuinæ, ac naturali aduerſatur, metus, Sacerdotem homicidam ab excommunicatione, ac irregularitate excuſare non potuit.

5 Tertiò; Quia, *in c. Sacris; de his, quæ vi.* Pontifex decernit; communicationem cum excommunicato vitando, factam per vim, & coactionem, excuſari à culpà, quia eſt ſimpliciter inuoluntaria; factam verò per metum, non excuſari, licet minuatur, quia eſt ſimpliciter voluntaria: additque: *licet metus attenuet culpam; quia tamen non eam prorſus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere; excommunicationis labe credimus inquinari.* Si ergo metus, communicationem cũ excommunicato vitando, ab excommunicatione non excuſat, quia non excuſat à culpà; multò minus excuſabit Clerici homicidium ab excommunicatione, ac irregularitate, cum illud ſimiliter non excuſet à culpà.

6 Quartò; quia Vxor, quæ metu mortis, copulam habuit cum fratre Mariti, priuatur iure petendi debitum, quia metus, licet culpam minuat, illam tamen non tollit. Sed hoc idem valet in Clerici homicidio, Ergo etiam, Clerici homicida, excommunicationem, & irregularitatem incurrit; Non minus enim, ei fuit voluntarium homicidium, quam Vxori inceſtus cum fratre Mariti, nec minus eſt intrinſecè malum homicidium, quã inceſtus.

RE-

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen; Sacerdotem, metu mortis, Clericum occidendo, ſacrilegium non commiſiſſe, ſed ſimplex homicidium; ideoque, neque excommunicationem, aut irregularitatem incurriſſe. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 4. *ſ.* 3. *num.* 14. *Sanchez tacitè ſe retractans. lib.* 2. *ſum. c.* 10. *num.* 49. *Auila de cenſ. p.* 2. *c.* 6. *d.* 8. *dub.* 5. *Vaſq.* 1.2 *d* 98. *c* 3. *Clau. reg. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 11. *Salas* 1. 2. *tr.* 13. *d.* 3. *ſ.* 2. *num.* 14. *Suar. tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *de ſacril. c.* 2. *num.* 4. *Comitolus lib.* 5. *quæſt.* 8. & alij apud iſtos.

8 Primò, quia Sacerdos, Clericum ſic occidendo, peccauit ſolùm contra legem naturalem, prohibentem homicidium, non verò contra legem Eccleſiaſticam, ex motiuo Religionis, ac in reuerentiam ſtatus Clericalis, prohibentem, ne quis manus violentas in Clericum inijciat; *can. ſi quis ſuadente.* 17. *qu.* 4. Hæc enim, cum ſit lex humana, in eo caſu, cum tanto incommodo, ac vitæ diſcrimine, non obligabat. Circunſtantia autem ſacrilegij, deſumitur ex legis Eccleſiaſticæ prohibitione; hæc enim, ex motiuo Religionis, & in reuerentiam ſtatus Clericalis, prohibet, ne quis manus violentas in Clericum inijciat. Cum ergo Sacerdos, metu mortis ſibi incuſſo, Clericum occidens, contra legem Eccleſiaſticam non peccauerit, conſequenter neque Sacrilegium commiſit, neque excommunicationem, aut irregularitatem contraxit; Cenſuræ enim non incurruntur, niſi peccetur præcisè contra legem Eccleſiaſticam, vt docent communiter Doctores in materià de Cenſuris.

9 Secundò; Quia, quando lex humana, prohibet aliquid, quod eſt intrinſecè malum; quamuis teneatur quis, mortem potius ſubire, quam illud agere; hæc tamen obligatio, ex ipsà lege humanà non prouenit; Hæc enim non obligat cum vitæ periculo; Sed ex vi præcepti naturalis, actionem intrinſecè malam prohibentis. Quamuis ergo Sacerdos, mortem ſubire potius, quam Clericum occidere teneretur: hæc tamen obligatio, ex lege Eccleſiaſticà non oriebatur, ſed ſolùm ex naturali; ideoque peccauit ſolùm contra legem naturalem, non verò contra Eccleſiaſticam. Si autem contra legem Eccleſiaſticam non peccauit, neque eius pœnas incurrit; hæ enim tranſgreſſoribus ſolùm ſunt impoſitæ.

10 Tertiò; Quia, qui furatur, inuincibiliter ignorans, excommunicationem eſſe furto ab Epiſcopo impoſitam; propter furtum, excommunicationem illam non incurrit; Tum quia; *in c. vt animarum: de conſtit in* 6. expreſsè decernitur; ſententijs per ſtatuta Ordinariorum prolatis, non ligari ignorantes. Tum quia, Epiſcopi legem inuincibiliter ignorans, offendit tantum ius naturale, contra quod ſe agere cognoſcit, non verò Epiſco-

ſcopi ius poſitiuum, quod inuincibiliter ignorat; Ergo ſolius prioris iuris pœnas incurrit, non verò excommunicationem, quæ eſt pœna, per legem Epiſcopalem, impoſita. Sed etiam Sacerdos, Clericum, metu mortis, occidens, offendit ſolam legem naturalem, quæ ſola obligabat, non verò Eccleſiaſticam; Quia hæc, in eo caſu, & cum vitæ diſcrimine, non obligabat. Ergo ipſe etiam, ſolius iuris naturalis pœnas incurrit, non verò iuris Eccleſiaſtici; Sicut enim ſe habet ignorantia, in ordine ad excuſandum à legis tranſgreſſione; ita ſe habet metus, præſertim mortis, in lege humana.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 NEque obſtant rationes in contrarium. Ad primam enim reſpondetur, Sacerdotem, occidiſſe perſonam Deo conſecratam, ſolùm materialiter; quia circunſtantia perſonę Sacræ, ratione metus, illum tunc non obligabat, magis quã ſi occidiſſet, inuincibiliter ignorans, eſſe Clericum, ſiue perſonam Deo conſecratam; Non minus enim metus, habet vim excuſandi à legis Eccleſiaſticæ tranſgreſſione, quam ignorantia inuincibilis, eò quod lex Eccleſiaſtica non obliget cum graui detrimento ac incommodo. Sicut ergo, ſi Clericum occidiſſet, inuincibiliter ignorans, eſſe Clericum, ſacrilegium non commiſiſſet, ſed ſimplex homicidium contra legem naturalem; Ita illum occidens, metu mortis compulſus, ſacrilegium non commiſit, ſed ſimplex homicidium contra legem naturalem, à cuius tranſgreſſione, metus, illum non excuſauit.

12 Ad ſecundam reſpondetur; In ijs, quæ iuri diuino, ac naturali aduerſantur, metum non excuſare à pœna, ex vi illius iuris debità; A pœnà autem debità ex vi alterius iuris, poſſe optimè excuſare; Sicut enim excuſare poteſt à tranſgreſſione alterius iuris, nempe humani, ita excuſare poteſt etiam à pęnà, per tale ius, tranſgreſſoribus impoſità. Atque ita Sacerdotem, de facto, à pęna excommunicationis, & irregularitatis excuſauit.

13 Ad tertiam, Reſpondetur; Pontificem ibi loqui, vel de communicatione in crimine; vt docet *D. Thomas quodlib.*11. *ar.*9. Vel de communicatione cum iniurià fidei, & contemptu cenſuræ, vt volunt, *Azor. tom.*1. *lib.*1. *c.*11. *quæſt.*1. *Salas de legibus d.*11. *ſ.*1. *n.*15. & *Sayr. lib.*2. *de cenſ. c.*14. *nu.*43. alios referens; In quibus caſibus, metus non excuſat à culpà mortali, etiam contra Eccleſiæ prohibitionem, cum Eccleſia, in iſtis caſibus, vbi agitur de bono communi Religionis, obliget etiam cum mortis periculo, vt *Quæſt. præced.* dictum eſt. In his ergo caſibus, ſicut metus non excuſat à culpà mortali contra Eccleſiæ prohibitionem de non communicando cum excommunicato, ita non excuſat à Cenſurà.

14 Ad quartam reſpondetur; Idem

om-

omnino dicendum eſſe de Vxore, quæ metu mortis compulſa, commiſit inceſtum, quod dicitur, de Sacerdote, qui metu mortis, Clericum occidit; ſcilicet, illam inceſtum commiſiſſe ſolùm materialiter, perinde ac, ſi inuincibiliter ignoraſſet, eum, cum quo copulam habuit, fratrem eſſe Mariti; Ideoque nullam pęnam, à Iure Eccleſiaſtico impoſitam, incurriſſe; cum, ratione metus, nullo modo ius illud offenderit, ſed peccauerit ſolùm contra ius naturale, quod illam obligabat ad mortem potius ſubeundam, quam ad copulam illam permittendam; eadem enim prorſus eſt ratio, in vno caſu, ac in alio.

COROLLARIA.

15 Colligitur ex dictis primò; Si lex aliqua Eccleſiaſtica, Miſſæ auditionem præciperet diebus feſtis ſub pœnà excommunicationis latæ ſententiæ; omittentem tunc Miſſam metu mortis, excommunicationem non incurſurum, etiamſi metus incuteretur in odium, ac contemptum Religionis. Quia omttens Sacrum, tunc peccaret ad ſummum contra legem naturalem de Fide, ac Religione tuendà; non verò contra legem humanam Eccleſiaſticam, quia hæc non obligaret cum tanto incommodo: excommunicatio autem non incurritur, niſi præcisè contra ipſam legem Eccleſiaſticam peccetur.

16 Secundò; Sacerdotem, qui, ad euadendam mortem ſibi, ab alio comminatam, Clericum occidit, non teneri in confeſſione, Clericatus circunſtantiam explicare, ſed ſatisfacere dicendo; *occidi hominem*. Cum enim hoc peccatum, ſacrilegij circunſtantiam non habuerit, conſequenter illam explicare non tenetur, imo nec poteſt; confiteretur enim peccatum ſacrilegij, quod verè non commiſit; niſi tamen ſimul circunſtantiam metus ſibi illati explicaret.

17 Tertiò; Sacerdotem, nullam irregularitatem ex celebratione cõtraxiſſe; Quia non erat in ſtatu Cenſuræ, ideoque, præmiſsà confeſſione ſimplicis homicidij, licite poterat celebrare.

18 Quartò; Eum, qui voueret, aliquod peccatum lege naturali prohibitum non committere; V. G. Non fornicari; ſi deinde, ad euadendam mortem, ſibi comminatam, fornicaretur; non peccaturum peccato Sacrilegij contra Votum, ſed ſolùm peccato ſimplicis fornicationis. Cum enim Votum, ſit veluti lex quædam priuata, quàm homo ſibi imponit; obligat ſolùm ad inſtar legis Eccleſiaſticæ, quæ ab homine imponitur; ideoque non obligat, cum graui detrimento, ac incommodo. In Confeſſione ergo ſatisfaceret dicendo; *fornicatus ſum*; nec circunſtantiam Voti explicare teneretur; imo nec poſſet, vt de circunſtantia ſacrilegij dictum eſt.

QVÆ-

QVAESTIO XLI.

An metus grauis, à Legis Diuinæ poſitiuæ tranſgreſſione, excuſet.

CASVS.

1 CVM plures, in eadem Naui, ad Loca Sancta traijcerent, in eàque vnicus eſſet Sacerdos; accidit, vt Nauis exortà repente tempeſtate, ad ſcopulum alliſerit, atque ita fluctibus iactaretur, vt ſubmerſionis periculum immineret. Omnes, qui erant in Naui, imminentis periculi timore perculſi, ad Sacerdotem ſtatim confugerunt, vt ei peccata confiterentur; Et quia periculum imminens, tempus integrè confitendi non concedebat, ſinguli, vnum tantum, aut alterum peccatum, confeſſi ſunt. Queritur; Vtrum, contra præceptū de Confeſſionis integritate, mortaliter peccauerint.

SVMMARIVM.

4 *Præceptum de Confeſſionis integritate, obligare videtur cum quocumque periculo.*
5 *Sicut lex naturalis.*
6 *Et ſicut præceptum de ſigillo Confeſſionis.*
7 *Verè tamen non obligat.*
8 *Præceptum Diuinum de re non intrinſecè mala, regulariter, non obligat cum graui incommodo.*
9 *Nec Deus, per illud, intendit, cum graui incommodo, obligare.*
10 *Sicut, nec aliqua præcepta naturalia, ſic obligant.*
11 *Res prohibita, tunc, ſolùm ex Dei voluntate, eſt mala.*
12 *Quando nam metus non excuſat.*
13 *Præceptum Diuinum poſitiuum obligat ſicut humanum.*
14 *Præceptum de Confeſſionis integritate, obligat, ſicut Præceptum de reſtitutione.*
15 *Præceptum Sigilli, ordinatur ad bonum Sacramenti.*
16 *Adultus, metu mortis, baptiſmum poteſt omittere.*
17 *Quandonam, lex poſitina Diuina, obligat etiam cum vitæ periculo.*
18 *Quæ præcepta naturalia, cum eo periculo, non obligent.*

RA-

RATIONES DVBITANDI.

2 CAſus eſt adeo clarus, ac obuius, vt praxis ipſa, nullum dubitationi locum relinquere videatur, Quia tamen, quo clarior eſt, eo etiam clarius propoſitæ quæſtionis veritatem oſtendit; illum examinare hic placuit; Quæ enim de eo dicentur; innumeris alijs caſibus applicari poterunt, licet metus, non ſit mortis, ſed alterius grauis mali imminentis.

3 Aliquibus ergo Nauigantes, illi, videntur mortaliter peccaſſe; Ita *Gerſon. p.2. & Victoria. in relect. de temp. concl.2. n.10.*

4 Primò; Quia fecerunt contra præceptum Diuinum de integritate Confeſſionis; Nam præceptum Diuinum, obligat, etiam cum quocumque periculo; magis enim, ac ſtrictius obligat, quam præceptum humanum; Hoc autem obligat, etiam cum vitæ periculo; Si enim Princeps, tempore peſtis, Medico præcipiat, ne à Ciuitate diſcedat; tenetur ille, etiam cum vitæ periculo non diſcedere; Et, ſi, ad ſaluandam vitam, diſcedat, mortaliter peccat. Sicut ergo Medicus, contra Principis præceptum, à Ciuitate recedendo, peccaret, quamuis recederet ad vitam ſaluandam: ita peccarunt Nauigantes, contra præceptum diuinum de confeſſionis integritate, aliqua peccata in Confeſſione tacendo; Quamuis propter imminens periculum, ea tacuerint.

5 Secundò; Quia lex diuina de Confeſſionis integritate, non minus obligat, quam lex naturalis; Sed lex naturalis, ita obligat, vt nullus metus, ab eius tranſgreſſione excuſet; Ergo etiam lex diuina de Confeſſionis integritate; ideoque mortaliter peccarunt Nauigantes, dum metu mortis, aliqua peccata in Confeſſione tacuerunt.

6 Tertiò; Quia aliqua præcepta poſitiua Diuina, de facto obligant, etiam cum vitæ periculo; Ita enim obligat, in omnium ſententià, præceptum de ſigillo Confeſſionis ſeruando; de conſecratione in duplici ſpecie; Et de ſacrificij conſumptione; de debità Sacramentorum confectione; de extremà vnctione danda ſolum infirmo, & non ſano; & ſimilia; quæ obligant, etiam cum vitæ periculo. Ergo omnia, cum eodem periculo; obligabunt; Nulla enim apparet ratio, cur aliqua ita obligent, & non omnia. Si autem præceptũ de Confeſſionis integritate, obligat etiam cum vitæ diſcrimine, excuſare ab illa non potuit Nauigantes, mortis metus; ita vt aliqua peccata in Confeſſione tacendo, mortaliter non peccauerint.

RESOLVTIO.

7 REſpondetur tamen; Nauigantes, aliqua peccata in Confeſſione, ob imminens mortis periculum, tacendo, nullo modo peccaſſe. *Suar. de cenſ. dub. 6. ſ.3. num.7. & de legib. lib.3. c.30. n.6. Vaſq. 1.2. d.162. c.2. Sanch. lib.1. c.18. num.4. Salaſ. tr.3. d.3. ſ. 1. num.*

*num.*35. *Azor. lib.*1.*c.*11.*quæſt.*2. *Clauis reg. lib.*3.*c.*7. *num.*34. *Sotus lib.*1. *de iuſt. quæſt.*6. *art.*4. *ad finem corp* & alij communiter.

8 Primò; Quia præceptum de Cō-feſſionis integritate, quamuis diuinum, cum ſit de re, quæ ex ſe, non eſt intrinſecè mala, ſicut eſt fornicatio, regulariter non obligat cum graui detrimento, ac incommodo; Quamuis enim, Deus, cum iſto rigore, etiam cum vitæ periculo, homines ad ſuæ legis obſeruantiam obligare poſſet; Ex ſuaui tamen prouidentià, hac poteſtate non vtitur, niſi grauiſſimâ aliqua cauſa id exigente; vt quando modus iſte obligandi, ad bonum commune neceſſarius eſt, ac expediens; alioquin falſum eſſet, quod mandata eius grauia non eſſent, nec Chriſti iugum, ſuaue eſset, & onus leue, ſed potius valde aſperum, ac graue. Cum ergo, in hoc caſu, præceptum de Confeſſionis integritate, à Nauigantibus, ſine graui incommodo, ſeruari non poſſet, illos non obligabat; ideoque etiam plura peccata in Confeſſione tacendo, illud nullo modo violarunt.

9 Secundò; Quia, hæc Dei intentio, non obligandi regulariter per ſua præcepta, cum graui detrimento, ac incommodo, ſed humanæ imbecillitati, ac fragilitati, ſe accōmodando, ex varijs ſcripturæ locis colligitur. Nam Dauid, ne vnà cum ſuis, fame deficeret, 1. *Reg.* 21. panes propoſitionis comedit; quod, lege diuinà, laicis erat omnino prohibitum; Et tamen hoc factum Dominus non damnauit, vt habetur *Matt.* 12. & die Sabbati, Diſcipuli, ſine vllo peccato, ſpicas colligebant; & Mattatias cum ſuo exercitu, neceſſitate compulſus, pugnauit, *primo Machab.* 3. Et tamen, eo facto, nullum commiſit peccatum; quia, propter vrgentem neceſſitatem, excuſabatur. Sicut ergo præcepta iſta, quamuis diuina, non obligabant cum graui incommodo, ita cum graui incommodo non obligat præceptum de integritate Confeſſionis.

10 Tertiò; Quia multa præcepta, quamuis ſint de iure naturali diuino, non tamen obligant cum periculo grauis incommodi; Votum enim, quamuis ſit debitum iure diuino naturali, non tamen obligat cum graui incommodo. Reſtitutio, licet iure diuino, ac naturali facienda ſit, non tamen obligat, cum fieri non poteſt, niſi cum proprio detrimento longe maiori; Cōfeſſio, quamuis iure diuino ante ſumptionem Euchariſtiæ præmittenda ſit, non tamen obligat ſimpliciter, & in omnibus caſibus. Ergo idem dicendum videtur etiā de præcepto integritatis confeſſionis, & aliorum ſimilium præceptorum diuinorum; quod ſcilicet non obligent cum graui incommodo; præcepta enim diuina poſitiua, non magis obligant, quàm præcepta naturalia, cum horum obligatio cenſeatur omnium maxima.

11 Quartò; Quia, quod lege diuinà poſitiuà prohibetur, non eſt intrinſecè malum, ſed eſt malum ſolùm

lùm ex voluntate Legiſlatoris illud prohibentis. Veriſimile autem non eſt, Deum regulariter velle, aliquid eſſe malum, & ad illud nos obligare, etiam cum graui detrimentto, ac periculo; præſertim, quando præceptum ordinatur ad propriam, ac ſpecialem vtilitatem Operantis, eamque reſpicit tanquam finem; quale eſt præceptum de Confeſſionis integritate, & ſimilia.

12 Dixi tamen, regulariter, quia, ſi violatio legis diuinæ poſitiuæ, vel cum fidei, & Religionis contemptu, coniuncta ſit, vel cum aliorum offenſione, ac detrimento, tunc nullus mortis metus excuſat, ſed lex obligat, etiam cum mortis periculo; & hac ratione, mortem ſubiere Fratres Machabei, quia in contemptum diuinæ Legis, ad carnes ſuillas comedendas, ab impio Rege adigebantur. Similiter, ſi ob ſalutem, ac bonum aliorum, diuinæ legis præcepta implere neceſsè ſit, tunc etiam, nullus mortis metus excuſat; Vnde, peſte ſeuiente, vel naufragio, aut bello, vel fame præmente, Epiſcopi, vel Presbyteri, nequaquam excuſantur, ſi metu mortis, greges ſibi commiſſos deſtituant; vel, ſi infans vita periclitetur, necſit, qui ei baptiſmum conferre poſſit; præceptum charitatis, & baptiſmi obligat ad eum baptizandum, ne paruulus, ſine baptiſmo decedens, pereat, quamuis alius mortem minetur, ſi eum baptizes.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes autem in contrarium reſpondetur, ad primam; Præcepta diuina poſitiua, quo ad modum obligandi, non differre à præceptis humanis; Vtraque enim obligant ſolùm humano modo, hoc eſt, quando impleri poſſunt ſine notabili detrimento, ac incommodo. Neque exemplum Medici, valet. Nam, ſicut in politicis, dantur aliquæ actiones, quæ, de ſe, reſpiciunt, non bonum cõmune, ſed potius ſingulorum vtilitatem; Ita in ſpiritualibus, dantur aliquæ actiones, quæ, de ſe, reſpiciunt bonum Religionis, eiuſque conſeruationem, & aliquæ, quæ reſpiciunt particularem vtilitatem ipſius Operantis. Sicut ergo, in politicis, operationes, de ſe, reſpicientes bonum commune, præcipiuntur per præcepta obligantia, etiam cum vitæ periculo; vt eſt aſſiſtentia Medici, tempore peſtis; operationes verò, de ſe reſpicientes bonum particulare ſingulorum, præcipiuntur per præcepta, obligantia ſolùm, quando ſine graui incommodo impleri poſſunt; Ita in ſpiritualibus, operationes, de ſe, reſpicientes bonum commune Religionis, per præcepta diuina ita præcipiuntur, vt obligent cũ vitæ periculo, nec eas omittere liceat, etiamſi mortem quis ſubire deberet; bonum enim commune Religionis, quod in his præceptis attenditur, cuilibet damno particulari præponi debet. Atque ita obli-

obligat præceptum de ſigillo Confeſſionis; de conſecratione in duplici ſpecie; & vniuerſaliter de debità Sacramentorum confectione. Operationes verò, ſingulorum vtilitatem reſpicientes, præcipiuntur per præcepta, obligantia ſolùm, quando ſine graui incommodo impleri poſſunt; Atque ita obligat, præceptum de integritate Confeſſionis, & de illà præmittendà ante ſumptionem Euchariſtiæ; præceptum de baptiſmo ſumendo in adultis &c.

14 Ad ſecundam; reſpondetur. Præceptum de Confeſſionis integritate, obligare, ſicut obligat aliqua lex naturalis; obligat enim, ſicut obligat præceptum reſtitutionis; Hoc autem obligat ſolùm, cum ſine graui detrimento impleri poteſt.

15 Ad tertiam; Iam patet diſparitas inter præceptum de ſigillo, & præceptum de Confeſſionis integritate; Nam primùm reſpicit, de ſe, bonum commune Religionis; ſicut præceptum de non danda abſolutione, ſine debità iuriſdictione; Ordinatur enim ad hoc, vt Confeſſio non reddatur nimis oneroſa, & ne Fideles, ab eà retrahantur; quod immediatè pertinet ad bonum commune Religionis. Secundum verò, ordinatur per ſe ad bonum ipſius Pœnitentis. Hinc ergo fit, vt primum obliget etiam cum vitæ periculo, ſecundum verò ſolùm, quando ſine notabili incommodo, impleri poteſt.

NOTABILIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Nō teneri Adultum, cum vitæ periculo, Sacramentum baptiſmi ſuſcipere; quia conſulere ſibi poteſt contritione, Dei auxilio, habità; Si tamen Adultus, eſſet iam in mortis articulo conſtitutus, tunc teneretur baptiſmum non omittere, etiamſi Tyrannus mortem ſtatim inferendam minaretur; Quia tunc, nulla daretur ſufficiens cauſa illum omittendi; illa enim mortis acceleratio, non eſſet tanti momenti, vt propter eam, Sacramentum, ad ſalutem tam neceſſarium omitteret; Cum præſertim, valde difficile ſit, ac incertum, per ſolam contritionem, ſaluari.

17 Secundò; Legem diuinam poſitiuam, obligare cum mortis periculo, quando eius obſeruantia includit circunſtantiam maioris boni, quam ſit, propriam vitam ſeruare; Atque ita obligat ſigillum Confeſſionis, quia includit circunſtantiam maioris boni; maius enim bonum eſt, quod homines à Sacramento Confeſſionis non retrahantur, quam quod Titius viuat. Verùm, hæc ratio, reducitur ad rationem boni communis, quod ſemper particulari præferendum eſt.

18 Tertiò; etiam aliqua præcepta naturalia affirmatiua; vt eſt præceptum reſtitutionis; & præceptum de ſubueniendo proximo in extremà neceſſitate conſtituto; non obligare cum vitæ periculo; quia, cum, vita humana, ſit maximum

bonum, ius naturale dictat, non teneri hominem, vitam pro legis cuiuſcumque obſeruatione exponere, niſi aliunde aliquod malum maximum ſequeretur; Vnde, etiam in extrema neceſſitate, licitum eſt, rem alienam, inuito domino, accipere; Imo hæc præcepta propterea dicuntur affirmatiua, quia non obligant ſemper, & ad ſemper, ſed ſolùm, quando oportet, & ſicut oportet, ſeruato ordine charitatis.

QVAESTIO XLII.

An Metus grauis, legis naturalis violationem impediat.

CASVS.

1 DVM Turcæ, cum Chriſtianis bellum gererent; Fideles quidam, in eorum triremibus captiui, & remigare, & arma ab eis ad Chriſtianos occidendos petita, ſuppeditare recuſarunt; Turcæ tamen, & verberibus, & minis eos ad vtrumque coegerunt; Queritur; an Fideles, & remigando, & arma ſuppeditando, mortaliter peccauerint.

SVMMARIVM.

3 *Fideles Captiui, arma Turcis ſuppeditando, videntur mortaliter peccaſſe.*

4 *Cooperari enim alterius morti videtur intrinſecè malum.*

6 *Non minus, quam blaſphemare.*

7 *Opponitur præcepto negatiuo, vt blaſphemia.*

8 *Et ſicut occiſio directa Innocentis.*

9 *Quot modis, operatio, poſſit eſſe intrinſecè mala.*

10 *Quot modis, Proximi malo cooperari quis poſſit.*

11 *Fideles Captiui, arma Turcis ſuppeditando, non peccarunt.*

12 *Suppeditatio illa, de ſe, non eſt intrinſecè mala.*

13 *Poſito metu, non eſt cooperatio voluntaria ad malum.*

14 *Sicut Eucharistiæ miniſtratio, occulto Peccatori publicè petenti, ex iuſtâ causâ, licet.*

15 *Et petitio mutui ab Vſurario.*

16 *Armorum ſuppeditatio eſt cooperatio ſolùm materialis.*

Quæ

17 *Quæ, non eſt intrinſecè mala.*
18 *Sicut eſt formalis.*
19 *Quæ opponitur præcepto negatiuo.*
20 *Occiſio, eſt eſſentialiter cooperatio formalis.*
21 *Quæ actiones, ratione metus, à peccato excuſentur.*
23 *An excuſetur reuelatio ſecreti.*
24 *Et Sacramentorum confectio in materià dubià.*
25 *Et ignis delatio, & applicatio ad domum comburendam.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Sicut dantur aliqua præcepta Diuina poſitiua, quæ obligant ſolùm humano modo; hoc eſt; quando ſine graui incommodo, impleri poſſunt; Ita dantur etiam aliqua Naturalia. De his ergo ſolùm quæritur; An ab eorum tranſgreſſione, Metus grauis excuſet; Nam à tranſgreſſione aliorum, certum eſt, non excuſare.

3 Aliqui autem putant, Metum, quantumuis grauem, neque ab horum violatione excuſare; ideoque Fideles captiuos, quamuis metu mortis compulſos, & remigando, & arma Turcis ſuppeditando, mortaliter peccaſſe. Ita *Nauar. c. 27. ſum. num. 63. Tolet. c. 24. ſum. excom. 5. in fine. Sayr. de cenſur. lib. 3. c. 7. num. 8. Suar. to. 5. in 3. p. d. 21. ſ. 2. Comitol. lib. 5. qu. 8. Beia p. 2. caſu 24.*

4 Primò; Quia, quamuis metu mortis, & ad vitæ conſeruationem hoc fecerint, aliàs à Turcis occidendi; hoc tamen ſufficere non videtur, ad eos à mortali excuſandos; Nam arma Turcis porrigendo, verè Chriſtianorum occiſioni, ac captiuitati cooperati ſunt; Cooperatio autem ad iniuſtam occiſionem, vel captiuitatem, cum ſit actio intrinſecè mala, nullo mortis metu excuſari poteſt à mortali.

5 Secundò; Quia, quamuis remigatio, & armorum porrectio, ſecundum ſe, & abſtracte conſideratæ, ſint operationes indifferentes; conſideratæ tamen in talibus circunſtantijs, ſiue prout hic, & nunc fiunt, ſunt veræ cooperationes ad actus iniuſtos; ſunt enim auxilium neceſſarium, vel vtile, Turcis exhibitum ad eorum iniuſtitias exercendas. Cooperatio autem, ad malum, cum ſit intrinſecè mala, nullo mortis metu fieri poteſt licita. Ergo Chriſtiani, in Turcarum Triremibus, has actiones exercentes, à mortali excuſari non poſſunt.

6 Tertiò; Quia non minus eſt intrinſecè malum, cooperari malo, quam mentiri, vel blaſphemare, aut fornicari; Sicut enim hæc, ideo ſunt intrinſecè mala, quia non ſunt mala, quia prohibita, ſed ſunt prohibita quia mala; Ita cooperari malo, non eſt malum, quia prohibitum, ſed potius prohibitum, quia malum. Sed mentiri, aut blaſphemare, neque ex metu mortis, & ad vitæ conſeruationem, vnquam licet; Ergo neque licebit ad ſaluandam vitam, actui iniuſto, ac peccaminoſo cooperari. Cum ergo Chriſtianorum occiſio, ac captiuitas, ſint actiones iniuſtæ, ne-

neque ad ſaluandam vitam, potuit Chriſtianis captiuis eſſe licitum, illis cooperari.

7 Quartò; Quia, non minus cooperatio ad malum, opponitur præcepto naturali negatiuo, quam mendacium, vel fornicatio; Sicut enim dicitur; *Non mentieris, non mechaberis &c.* ita dicitur; *non cooperaberis peccato, ſiue ruinæ ſpirituali proximi tui*. Ergo cooperatio ad mortem iniuſtam Chriſtianorum, non minus eſt intrinſecè mala, quam fornicatio; Ideo enim fornicatio eſt intrinſecè mala, quia opponitur præcepto naturali negatiuo; vel ſaltem eius malitia intrinſeca ex eo colligitur. Sed etiam cooperatio ad malum, opponitur præcepto naturali negatiuo charitatis. Ergo hæc etiam, erit intrinſecè mala; Ideoque, ex nullo titulo, vnquam licita; Hinc enim eſt, quod præcepta naturalia negatiua, dicantur obligare ſemper, & ad ſemper, quia, cum prohibeant actiones intrinſecè malas, illas abſolutè prohibent, in quacunque circunſtantia, etiamſi mortis periculum immineat. Quamuis ergo Chriſtiani captiui, metu mortis coacti, arma Turcis porrexerint, ad Chriſtianos iniuſtè occidendos, non propterea excuſari poſſunt à mortali.

8 Quintò; Quia, ſi Chriſtiani captiui, in Turcarum Triremibus exiſtentes, quamuis metu mortis tormenta bellica, contra Chriſtianos in bello pugnantes, exploſiſſent, certè mortaliter peccaſſent, quia, ex nullo mortis metu, licet directè, & per ſe, innocentem occidere. Ergo ſimiliter, quamuis metu mortis, arma Turcis contra Chriſtianos porrexerint, mortaliter peccarunt; quia ſicut ex nullo mortis metu licet, innocentem occidere; ita ex nullo mortis metu licet, eius morti cooperari.

NOTABILIA.

9 Aduertendum eſt primò; Dupliciter poſſe operationem aliquam, dici intrinſecè malam; primò ex eo, quod ſecundum ſe, abſolutè, & ſine vllo reſpectu ad aliquid extrinſecum, ſit talis. Et hæc, ita eſt mala, vt nullà conceſſione, nullo fine, nullà additâ circunſtantiâ, fieri vnquam poſſit bonâ; Cum enim eius malitia, ex illius ſubſtantia, & eſſentia ſecundum ſe conſiderata, oriatur; ſicut eſſentia, aut ſubſtantia, per nullam circunſtantiam tollitur, aut mutatur; Ita, per nullam circunſtantiam, tollitur, vel mutatur, eius malitia, Huiuſmodi autem ſunt; Mendaciũ, blaſphemia, idololatria, & ſimilia; Cum enim, tota malitia blaſphemiæ, conſiſtat in hoc, quod ſit dictum aliquod contra Deum; & idololatriæ, vt ſit cultus creaturæ pro Deo. Et Mendacij, vt ſit dictum contra mentem: Quæcumque circunſtantia addatur huic dicto contra Deum, nunquam mutabitur malitia blaſphemiæ, quia ſemper remanebit eſſentia blaſphemiæ, in quà fundatur eius malitia. Secundò; Dici poteſt operatio intrinſecè mala, non abſolutè, & ſecun-

cundum ſe, ſed ſolùm reſpectiuè, vel per ordinem ad aliquem finem extrinſecum malum, ad quem hic & nunc, ordinatur; vel ratione alicuius circunſtantiæ malæ, cum quà coniungitur; Et hæc, ita eſt mala, vt tamen fieri poſſit non mala, imo etiam bona; Cum enim, circunſtantia illa, quæ ex parte operationis, & obiecti, eſt neceſſaria, vt malitia conſurgat, aut Dei voluntate, aut alià ratione mutari poſſit, ipsà operationis ſubſtantià permanente, tolli conſequenter à tali operatione poteſt malitia, per mutationem talis circunſtantiæ. Huiuſmodi autem ſunt; acceptio rei alienæ, inuito Domino; Occiſio innocentis; abſciſſio manus; & ſimiles. Si enim Deus, alicui concederet, rem alterius accipere; per hanc conceſſionem, iam tolleretur circunſtantia ad furtum neceſſaria; quia res illa, à Deo, rerum omnium abſolutiſſimo Domino conceſſa, iam non eſſet amplius aliena, quod tamen ad furtum neceſſariò requiritur. Similiter, quia ad hoc, vt occiſio hominis, priuatà auctoritate, ſit iure naturæ, & ex obiecto mala, requiritur vt non ſit ad propriam defenſionẽ; Ideo, ſi quis, Inuaſorem, proprià auctoritate, ad ſui defenſionem occidat, quia mutatur circunſtantia, non peccat. Denique, quia, ad hoc, vt abſcindere ſibi manum, ſit ex obiecto malum, debet eſſe cum eà circunſtantià, vt non ſit ad totius conſeruationem; Ideo, ad mortem euadendam, licitum eſt, ſibi manum abſcindere, quia tollitur circunſtantia, quæ ad abſciſſionis malitiam, erat neceſſariò requiſita; bonum enim partis, neceſſario eſt ordinatum ab bonum totius, ideoque huic poſtponendum, ſicut bonum priuatum, bono communi.

10 Aduertendum eſt ſecundò; Dupliciter poſſe aliquem Proximi malo, vel temporali, vel ſpirituali cooperari; ſcilicet, vel per actionem determinatam ad illud malum, & illius inductiuam; vel per actionem, ex ſe, indifferentem, ſed quæ hic, & nunc ab Agente principali applicatur, & extrinſecè ordinatur, tanquam medium ad illud malum. Dupliciter enim poteſt quis ad alterius occiſionem cooperari, vel ſimul cum homicidà occidendo, vel puluerem tormentarium, aut fuſtem, aut gladium miniſtrando. Primo modo, nunquam licet malo cooperari, etiamſi mortis periculum aliàs immineat, quia eſt cooperatio formalis; & actio intrinſecè mala. Secundo modo, aliquando, ex iuſtà cauſà, licet; quia eſt cooperatio ſolùm materialis; imo potius mali permiſſio, quàm cooperatio ad illud; Hæc autem, ex iuſtà cauſà, licet; neque enim ex charitate, proximi malum, etiam cum vitæ periculo, impedire tenemur, ſed ſolùm, cum ſine graui noſtro incommodo poſſumus; licet teneamur etiam cum vitæ periculo, proximi malum non procurare, illique poſitiuè, & formaliter non
cooperari. Tria autem neceſſariò 2
requiruntur, vt cooperatio materialis ad alterius malum, ſit licita; primò, vt actio, quæ ponitur, ex

ſe, ad illud malú nõ ſit determinata ſed indifferés, ſicut gladij miniſtratio nõ eſt ex ſe determinata ad occiſionem; poteſt enim quis gladio, etiá ad alium finem, quam ad occidendú vti. Secundò, vt ponatur, non temere, ſed ex aliquà iuſtà causà, vt, ſi miniſtrans, eſſet famulus, & gladium miniſtraret, ne à Domino eijceretur. Tertiò denique, vt proximi malum, vel impediri non poſſit, vel ſaltem illud quis impedire non teneatur, ſed poſſit permittere. Seruus enim Homicidæ, homicidium impedire cum graui ſuo detrimento, ac incommodo, non tenetur. His poſitis.

RESOLVTIO.

11 AD Caſum reſpondetur; Chriſtianos, in Turcarum triremibus captiuos, metu mortis, remigando, & arma ad Chriſtianos occidendos porrigendo, mortaliter non peccaſſe. *Vaſq. opuſc. de ſcand. art.* 8. *dub.*7. *Sanch. lib.*9. *matr. d.*31. *in fine, & lib.*1. *ſum. c.*7. *num.* 18. *Reginald. tom.*2. *lib.* 21. *num.*119. *Azor. tom.*1. *lib.*2. *c.*17. *quaſt.*6. *& lib.* 8. *c.*23. *q.*17. *Laym.n. lib.*2. *tract.*3. *c.*13. *n.*5. *Fillinc. tom.*2. *tr.*28. *c.*5. *nu.*147. *P. Nauar. lib.*3. *de reſt. c.*4. *nu.* 62. *Rebell, tom.*1. *de oblig. p.*2. *lib.* 2. *de reſt. quaſt.*14. *ſ.*7. *Auila de cenſ. p.*2. *c.*6. *d.*8. *d.*5. *cap.*3. & alij communiter.

12 Primò; Quia remigatio illa, de ſe, non erat intrinſecè, & abſolutè ma'a, ſed indifferens; erat enim delatio triremis per mare, quà Turcæ, benè, & malè vti poterant; Et quod de facto malè, & in Chriſtianorum perniciem vſi ſint, ortum eſt merè ex ipſorum malitia. Ergo nulla eſt ratio, cur Fideles captiui, ad ſaluandá vitam, illam ponere licitè non potuerint; illam enim ponendo, non cooperati ſunt formaliter, ſed ſolùm materialiter damno Chriſtianorum quatenus poſuerunt aliquid, ex quo, præter illorum voluntatem, ex ſolà Turcarum malitià, ſequutum eſt illud damnum, quod ipſi, tanto ſuo incommodo, impedire non tenebantur.

13 Secundò; Quia remigatio illa, in tantum fuit mala, in quantum fuit cooperatio voluntaria ad damnum Chriſtianorum, nullam enim aliam malitiam habere potuit, quã voluntariæ cooperationis. Sed, quando metu mortis ponitur, iam non cenſetur amplius cooperatio voluntaria ad damnum Chriſtianorum; iam enim non tenebantur amplius, tale damnum impedire, quod tamen neceſſariò requiritur, vt damnum illud, reſpectu ipſorum dici poſſit voluntarium; Cum Deo non dicantur voluntaria peccata noſtra, quamuis ad illa nobiſcum phyſicè concurrat; ſolùm quia illá impedire non tenetur. Ergo remigatio, metu mortis ab illis poſita, non fuit mala, quamuis ex ipsà, per accidens, & præter intentionem Fidelium captiuorum ſecuta ſit occiſio, & captiuitas Chriſtianorum; fuit enim tunc mera permiſſio illius damni, quæ, ex iuſtà causà, eſt licita; ſicut Deo eſt

eſt licita permiſſio peccati, cum tunc non tenerentur cum tanto incommodo, ac vitæ periculo, damnum illud impedire; ſicut Deus peccata noſtra impedire non tenetur.

14 Tertiò; Quia poteſt Parochus, ſine vllà culpà, imo debet, peccatori occulto, publice petenti, Euchariſtiam miniſtrare, quamuis eius indignitatem, vel priuatim, vel ex confeſſione ſciat; ſi enim illi Euchariſtiam publice negaret, vel eum infamaret, vel eius Confeſſionem reuelaret; Ergo à fortiori, potuerunt Fideles captiui, metu mortis in Turcarum triremibus remigare, quamuis ſcirent, illam remigationem Chriſtianis per accidens fore nociuam. Non minus enim remigatio, de ſe, eſt aliquid indifferens, quam miniſtratio Euchariſtiæ; nec minus, Turcæ, ex ſuà malitià, eà male vſi ſunt, quam peccator occultus, ex ſuà malitià, male vtatur Euchariſtiæ miniſtratione: Nec minus Fideles captiui, iuſtã cauſam habebant illam ponẽdi, quam Parochus, Euchariſtiæ miniſtrationem; nec magis ipſi tenebantur impedire damnum Chriſtianorum, quam Parochus ſacrilegium, ſiue indignam ſumptionem peccatoris occulti. Sicut ergo, Parochus, occulto peccatori Euchariſtiam miniſtrando, non peccat, Ita non peccarunt Fideles captiui, remigando, & arma Turcis contra Chriſtianos porrigendo, Sicut enim, Euchariſtiæ miniſtratio non eſt mala prout procedit à Parocho, ſed ſolùm prout ſubeſt directioni peccatoris, qui eà male vtitur; Ita remigatio, non eſt mala, quatenus procedit à Fidelibus captiuis, ſed ſolùm prout ſubeſt directioni Turcarum, qui ea vſi ſunt in damnum Chriſtianorum.

15 Quartò; Quia poteſt quis, ex iuſtà cauſà, licite petere mutuum ab Vſurario, quamuis certò ſciat, eum non daturum niſi cum vſuris; Ergo etiam Fideles captiui, licite potuerunt, metu mortis, in Turcarum triremibus remigare, quamuis ſcirent, Turcas, illà remigatione vſuros in damnum Chriſtianorum; Sicut enim, in primo caſu, tota malitia vſuræ, eſt ex parte Vſurarij, qui petitionem mutui, ex ſe indifferentem, determinat ad vſuras; Ita, in ſecundo, tota malitia fuit ex parte Turcarum, qui remigationem, ex ſe, indifferentem, determinarunt ad damnum Chriſtianorum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

16 NEque obſtant rationes in contrarium. Nam ad primam reſpondetur; Fideles captiuos, arma Turcis porrigendo, Chriſtianorum morti eſſe cooperatos, ſolùm materialiter, & quaſi permiſſiue; in quo nullum fuit peccatum, cum ipſi eorum mortem, cum tanto ſuo incommodo, impedire non tenerentur.

17 Ad ſecundam reſpondetur; remigationem, in illis circunſtantijs conſideratam, fuiſſe cooperationẽ ſolùm materialem ad damnum Chriſtianorum, quatenus à Tur-

cis ad illud fuit determinata; ſicut Euchariſtiæ miniſtratio peccatori occulto, eſt cooperatio ad eius ſacrilegium, ſolùm materialis, quatenus ab ipſo peccatore ad hoc determinatur. Cooperatio autem materialis, non eſt intrinſecè mala, ſed, ex iuſtà cauſà, licet, vt dictum eſt.

18 Ad tertiam reſpondetur; cooperari malo formaliter, eſſe intrinſecè malum, ſicut mentiri, vel fornicari; ideoque nunquam licere etiam ad vitæ conſeruationẽ; Cooperari verò, ſolum materialiter, nullo modo eſſe intrinſece malum, ſed, ex iuſtà causà, eſſe licitum, cum etiam Deus, vt cauſa efficiens ad opus materiale peccati concurrat, ſicque illi materialiter cooperetur.

19 Ad quartam reſpondetur ſimiliter; Cooperationem formalem ad malum, opponi præcepto naturali negatiuo, ſicut opponitur fornicatio, aut mendacium; Non verò cooperationem ſolùm materialem. Fideles autem captiui, remigando cooperati ſunt ſolùm materialiter damno Chriſtianorum, quod, ex iuſtà causà, poteſt aliquando, non ſolùm eſſe licitum, ſed etiam debitum ex iuſtitià; Vxor enim, ex iuſtitià, debitum Viro petenti tenetur reddere, quamuis ſciat, illum habere Votum caſtitatis, ſicque illicite petere, & conſequenter, ſe eius ſacrilegio materialiter cooperari.

20 Ad quintam reſpondetur; Bombardæ exploſionem, non eſſe actionem ex ſe indifferentem, quà aliquis bene, & male vti poſſit, ſed eſſe, ex ſe, determinatam ad mortem Chriſtianorum, & eorum occiſiuam; ideoque eſſentialiter eſſe cooperationem formalem, & intrinſecè malam, quæ, ex nullo mortis metu, poteſt eſſe licita; At remigatio, & armorum porrectio, cum ſint, ex ſe, actiones indifferentes ad bonum vel malum vſum, conſequenter ſunt cooperatio ſolùm materialis ex Turcarum malitia; ideoque, prout proceſſerunt à Fidelibus captiuis, potuerunt eſſe bonæ, ac licitæ.

COROLLARIA.

21 Colligitur ex dictis primò; non ſolùm prædictas actiones excuſari à peccato; ſed etiam, aſportare neceſſaria ad bellum contra Chriſtianos; admouere ſcalas, & machinas ad muros; Turcas humeris ſuſtentare; iuuare ad caſtra munienda; ad propugnacula ædificanda &c. neque ſolùm, metum mortis propriæ, huiuſmodi actiones à peccato excuſare, ſed etiam metum mortis comminatæ Filijs, Vxori, aut alijs conſanguineis, imo etiã perſonæ arctiſſimà amicitià coniunctæ; Quia talis metus, eſt cadens in Virum conſtantem; cum iſtorum mala, ratione conſanguinitatis, vel amicitiæ, meritò reputentur tanquam propria.

22 Secundò; licitum eſſe, ad mortem euadendam, admouere ſcalam furari volenti, enſem vendere, vel commodare, alterum occidere volenti, cymba tranſuehere duellum com-

committere volentes, aut alium interficere &c. quia omnes huiuſmodi actiones, non ſunt intrinſecè, & ex obiecto malę, ſed indifferentes; ideoque ab ijs non tenetur quis abſtinere, cum vitæ periculo.

23 Tertiò; Dari aliqua, quæ, quamuis præcepto naturali negatiuo ſint prohibita, in neceſſitate tamen, ac vitæ periculo, ſunt licita; abſcindere enim ſibi manum, ad mortem euitandam, eſt licitum, ſicut eſt etiam reuelare peccatum occultũ, vel ſecretum alterius, vel probabili peccandi periculo ſe exponere; vel enſem Domino furioſo reſtituere; Quia, cum hæc, ex obiecto, non ſint mala, ſed ſolùm ex circunſtantijs extrinſecis; metu mortis, cohoneſtari poſſunt, & à peccato excuſari.

24 Quartò; licitum eſſe Sacerdoti, metu mortis, Sacramenta conficere in materià, vel formà dubià; V.G. Euchariſtiam conficere cum pane ex ſpelta confecto; quia licet, conficere, vel miniſtrare Sacramentum cum materià, vel formà dubià ſi abſolute conſideretur, videatur malum ex obiecto, eo quod Sacramentum, irritationis periculo exponatur; ſuppoſità tamen circunſtantià periculi mortis, deſinit eſſe malum, quia tunc, illi periculo nõ exponitur temere, ſed ex causà rationabili, quod non videtur illicitum; ſicut non eſſet illicitum, ſi mortis periculum immineret ei, qui ſuſcepturus eſt Sacramentum, vt omnes concedunt, neque enim peccaret quis, ſi moriturum, aquà naturali deficiente, baptizaret aquà ex ſale reſolutà.

25 Quintò; Si aliqui, Ignem portarent, vt illum domui alicuius applicarent, & tranſeuntem cogerent, vt ipſos ad illum ignem deferendum iuuaret; non ſolùm non peccaturum hunc, deferendo ignem, ſed neque illum domui applicando, ad mortem euadendam, dummodo tamen in eà non eſſent homines; Quia delatio ignis, non eſt, ex obiecto, mala, ſed indifferens; & tranſiens, in eo caſu, eſſet in extremà neceſſitate illius domus, ad vitam propriam conſeruandam; Ergo, ſicut licitum eſſet, eam ſibi accipere, ita licet per ignis applicationem eam deſtruere. Si tamen in eà eſſent homines, non liceret; Quia tunc ignis applicatio domui, eſſet intrinſecè, & ex obiecto mala; eſſet enim actio directe, ac per ſe illorum hominum innocentium interfectiua.

QVÆ-

QVAESTIO XLIII.

An Metus, actuum valorem impediat.

CASVS.

1 DVM Vir quidam valde nobilis, propter homicidium ei falsò impoſitum, iam damnatus eſſet ad mortem; Iudex ei vitam, ac libertatem promiſit, ſi eius Filiam duceret in vxorem; ipſe autem ad ſaluandam vitam, eam duxit; poſtea verò, propriâ innocentiâ probatâ, dubitare cœpit, an Matrimonium illud fuerit validum. Quęritur; Vtrum fuerit validum.

SVMMARIVM.

3 *Metus reddere videtur Matrimonium coactum, ac nullum.*

5 *Cauſat inuoluntarium ſolùm ſecundum quid.*

6 *Quinam dicatur ortus ab extrinſeco, qui ab Intrinſeco.*

7 *Matrimonium, celebratum ad mortem vitandam, eſt validum.*

8 *Eſt liberè aſſumptum, vt medium, ad mortem vitandam.*

9 *Quidquid eſt inuoluntarij, oritur ab ipſo Contrahente.*

10 *Votum, ex ſimili metu emiſſum, tenet.*

11 *Matrimonium, à quocumque offeratur, vt medium ad vitandam mortem; ſemper, eodem modo, eſt liberum.*

12 *Tota coactio, eſt ab ipſo delicto Contrahentis.*

13 *Quando oritur ab intrinſeco, non tollit conſenſum debitum.*

14 *Nec animus extorquendi, nocet ſi non manifeſtetur.*

15 *Matrimonium ex metu cum Concubinà contractum, eſt validum.*

16 *Sicut etiam contractus, à detruſo in Carcerem, celebratus.*

17 *Et Matrimonium, cum Medici Filià initum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut Metus grauis, in ordine ad aliqua præcepta, habet vim excuſandi à culpâ, & à pœnâ; Ita quæritur; An aliquando ſaltem, habeat vim, etiam actuum valorem impediendi; eam enim habere videtur. Ideoque Matrimonium, ſimili metu, à Viro nobili con-

contractum, etiam iure naturæ, aſſerunt eſſe nullum. *Molina to.2. de Iuſt. d.167. & 326. art.2. Salas* 1.2. *quæſt.6. art.6. tract.3. d.3. ſect.*1. *num.*8. *D.Bonauent* & alij quos referunt; *Leſſius lib.*2. *c.*17. *d.6. Et Rebell. lib.*2. *de matr.q.9. num* 8.

3 Primò; Quia videtur metu mortis fuiſſe coactum; nunquam enim, eo timore ſecluſo, Vir nobilis innocens, fœminam tam diſparis conditionis in Vxorem duxiſſet; Cum ergo eam, metu mortis coactus, duxerit, non videtur voluntariè duxiſſe, & conſequenter nec valide.

4 Secundò; Quia omnis contractus, ſine conſenſu, eſt nullus; Eius enim eſſentia, in conſenſu cõſiſtit; *l. obligationem ff. de action. & obligat.* ſed vbi adeſt metus, deficit conſenſus; nihil enim conſenſui tam contrarium eſt, quam vis, atque metus *reg.* 117. *de reg. iur.* Ergo omnis contractus, metu initus, eſt nullus, & conſequenter à fortiori, etiam Matrimonium; Hoc enim, maiorem adhuc, ac pleniorem exigit libertatem, quam cæteri contractus, cum ſemel initum, ſit omnino irreuocabile, ſicut eſt etiam profeſſio religioſa; quod alij contractus non habent.

NOTABILIA.

5 ADuertendum eſt primò; Metum non cauſare inuoluntariũ ſimpliciter, ſicut cauſant ignorantia, ac error; ſed ſolùm ſecundum quid; Actio enim, quæ ſit ex metu, conſiderari poteſt, vel cum omnibus circunſtantijs annexis, vel ſine illis, ſiue ab illis præſcindendo. Primo modo conſiderata, dicitur voluntaria, quia ſit ex electione. Secundo modo conſiderata, dicitur inuoluntaria, quia ſit cũ triſtitià, ac repugnantià; nec, remotis illis circunſtantijs, fieret. Sic proiectio mercium in mare ex metu tempeſtatis certum naufragij periculum afferentis, ſi conſideretur in circunſtantià naufragij, dicitur voluntaria, quia Mercator, ſciens, & volens, ad mortis periculum euadendum, eligit potius merces proijcere, quam illas ſeruare. At verò, ſi conſideretur ſecundum ſe, & præſcindendo à tali periculo, dicitur inuoluntaria, quia Mercator, dum merces proijcit; cum triſtitià proijcit, & ſi periculum illud non immineret, non proijceret. Dicitur tamen ſimpliciter voluntaria, & inuoluntaria ſecundum quid, quia eſt voluntaria, prout eſt actu, realiter, & à parte rei; inuoluntaria verò ſolùm prout eſt in apprehenſione; Vnumquodque autem, dicitur eſſe ſimpliciter tale, quale eſt realiter, & à parte rei; ſecundum quid verò, quale eſt ſolùm in apprehenſione.

6 Aduertendum eſt ſecundò; Metum, oriri in nobis poſſe, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco. Oriri dicitur ab intrinſeco, quando nobis incutitur, vel ab infirmitate, vel ab aliquo delicto, vel à tẽpeſtate, vel ab aliquà Ferà, vel ab alià quacumque causà naturali. Oriri dicitur ab extrinſeco, dum à causà aliquà liberà nobis incutitur, vt, dum

dum quis incidit in Latrones mortem comminantes. Hic autem, dupliciter incuti poteſt. Primò, non ad aliquem actum, aut contractum extorquendum, ſed alia de cauſà. Vt, ſi Iudex Reo mortem minetur propter delictum ab eo commiſsũ. Secundò; ad aliquem actum, vel contractum extorquendum. Vt, ſi Iudex aliquem Innocentem, in carcerem conijciat, ad Matrimonium, aut alium contractum ab eo extorquendum. Et hic etiam incuti poteſt, vel iuſtè; Vt ſi quis iuſtam delicti accuſationem minetur; vel iniuſte; Vt, ſi minetur mortem, priuatà auctoritate inferendam. Quocumque ex his modis incutiatur, nunquam tollit voluntarium ſimpliciter, & ad actuum valorem ſufficiens. Quare, ſtando in iure naturali, contractus, & alij actus quicumque, metu facti, nunquam erunt inualidi, ex defectu conſenſus, ad valorem requiſiti, ac ſufficientis, ſed ad ſummum, eſſe poterunt inualidi, ex vi iuris poſitiui, His poſitis.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur; Matrimonium, à Viro nobili Innocente cum Filià Iudicis contractum ad mortem vitandam, fuiſſe validum. *Azor. lib.1. c.11. quæſt.6. Leſſius lib.2. c.17. d.6. num. 42. Sotus. 4. d.29. quæſt. 1. ar. 3. Henriq. lib.11. de Matrim. c.9. nu.4. Sanch. lib.4. matr. d.8. num.4. & d.14. num.2.* & alij innumeri ab his relati.

8 Primò; Quia Vir nobilis, à nullo fuit compulſus ad Matrimoniũ illud contrahendum, ſed ſolùm à ſe ipſo; Nemo enim, Matrimonium illud ab eo exegit, ſed ipſe illud ſponte elegit, tanquam medium, à Iudice ſibi oblatum, ad mortem euadendam. Ergo Matrimonium illud, fuit omnino ſpõtaneum, & voluntarium; ideoq; validum.

9 Secundò; Quia, quidquid inuoluntarij in eo Matrimonio reperitur; totum, ortum habuit ex ipſo delinquente, eiuſque delicto; Iudex enim, metum non incuſſit, ſed potius metum, à delinquente iam aliunde ex delicto conceptum, abſtulit, illà conditione oblatà, ac eo medio exhibito, ad mortem euadendam. Metus autem, ortus ab ipſo delinquente, non tollit rationem voluntarij ſufficientis ad valorem Matrimonij, ſicut illam non tollit metus mortis, ex graui aliquà infirmitate conceptus.

10 Tertiò; Quia, Votum ex ſimili metu emiſſum, tempore ægritudinis, vel tempeſtatis, eſt validum, vt habetur *in c. ſi nobis: de regul.* Ergo validum erit etiam Matrimonium; Ad huius enim valorem; ſufficit ea libertas, quæ eſt ſufficiens in Voto.

11 Quartò; Quia, ſi aliquis Tertius Viro nobili, eam immunitatem à morte, ſimili conditione propoſità, obtuliſſet, fuiſſet vtique validum Matrimonium; Ergo validum etiam fuit, quamuis ea conditio ab ipſo Iudice fuerit propoſita; Metus enim, ideo contractum irritat, quia

tol-

tollit omnimodam libertatem conſenſus, vt de Matrimonio habetur *c. cum locum: de ſponſal.* Hanc autem, non minus tollit, quando oritur ab ipſo Contrahente, vel ab aliquo Tertio, quam quando oritur à Iudice; A quocumque enim inferatur, verè tunc propriè non infertur, ſed potius aufertur, oblato medio ad malum euadendum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes in contrarium, reſpondetur; Ad primam; Virum nobilem, à nullo extrinſeco fuiſſe coactum, ſed à ſe ipſo, ſuoque delicto; Iudex enim, metum non intulit, ſed potius abſtulit, eo medio illi ad mortem euadendam propoſito; Coactio autem, quæ prouenit ab intrinſeco, non eſt propriè coactio, nec tollit libertatem ſufficientem ad Matrimonium, & quemcunque alium contractum.

13 Ad ſecundam reſpondetur; metum, præſertim ortum ab intrinſeco, ſicut non tollit conſenſum, nec voluntarium, aut liberum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundum quid; ita non tollere conſenſum ſufficientem ad valorem Matrimonij, & cuiuſcumque alterius contractus; ad horum enim valorem, ille conſenſus ſufficit, qui ſatis eſt ad valorem voti; Votum autem, factum ex metu quantumuis graui, tempore ægritudinis, vel tempeſtatis, ab omnibus cenſetur validum.

COROLLARIA.

14 COlligitur ex dictis primò; Quamuis Iudex, animum habuerit incutiendi Viro nobili metum ad Matrimonium ab eo extorquendum, ſi tamen ei hunc animum non ſignificauit, adhuc Matrimonium fuiſſe validum; quia, cum Vir nobilis, eum animum non cognouerit, eo metu ad Matrimonium celebrandum coactus non eſt, ſed ſua ſponte, illud tanquam ſuæ incolumitatis medium, elegit.

15 Secundò; Matrimonium cum Concubinà contractum metu mortis præſentaneæ, ex morbo, aut naufragio, aut inferno, eſſe validum, quia huiuſmodi metus, non eſt ab vllo incuſſus ad Matrimonium extorquendum.

16 Tertiò; Contractum à detruſo in carcerem celebrato, eſſe validum ſi in Carcerem non ſit detruſus ad ipſum contractum extorquendum? Quia, licet metus carceris, grauis ſit, cum tamen ad contractum extorquendum non ſit incuſſus, contractum non inualidat.

17 Quartò; Si Medicus, lethali morbo oppreſſo mederi nolit, niſi eius Filiam in Vxorem ducat, aut alium contractum faciat, validum fore eum contractum, timore mortis ab Ægro celebratum. Quia timor mortis, non eſt incuſſus à Medico, ſed à morbo; Medicus autem ſolùm, Matrimonium, vel contractum petit, tanquam ſui laboris ſtipendium.

QVÆ-

QVAESTIO XLIV.

An metus, ad actum aliquem extorquendum, iuſtè incuſſus, eius valorem impediat.

CASVS.

1 TITIVS, Vxori in adulterio deprehenſæ, minatus eſt mortem, auctoritate Iudicis, infligendam, niſi Monaſterium ingrederetur, ibique profiteretur; Vxor autem, mortis metu coacta, Monaſterium ingreſſa eſt, ibique ſuo tempore, profeſſionem emiſit. Quæritur: Vtrum profeſſio fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Metus, ad actum extorquendū, iuſtè, incuſſus, Profeſſionem irritare videtur.*
8 *Vere tamen, non irritat.*
9 *Metus iuſtus, ab alio propriè non incutitur.*
10 *Sicut Aegro non incutitur à Medico.*
11 *Oritur à proprio delicto.*
12 *Nec, ad Profeſſionem, obligat abſolutè.*
13 *Cum poſſit quis renuere.*
14 *Obligat ſolùm ſub conditione.*
15 *Nec ad hoc, per ſe, ordinatur.*
16 *Donatio, Latroni, ex metu facta, cur ſit reſcindenda.*
17 *Minæ iniuſtæ, Matrimonium irritant.*
18 *Pecunia, metu, vt pretium extorta, retineri poteſt.*
20 *Metus iuſtus, non tollit voluntarium, ſaltem in cauſà.*
21 *Metus iuſtus, non eſt cadens in conſtantem Virum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 IN Caſu præcedenti, metus, à nullo fuerat incuſſus ad Matrimonium extorquendum, ſed erat ortus à proprio delicto, quamuis falsò; eoque metu ſuppoſito, Matrimonium, Viro nobili fuerat à Iudice oblatum, tanquam medium, ad mortem vitandam. At in præſenti, metus, Vxori adulteræ incutitur à Marito, ad profeſſionem ab eà extorquendam. Propterea, profeſſio ſic emiſſa, videtur fuiſſe inualida. *Philiarc. de off. Sacerd. p.2. lib.2. c.8. Sotus lib.7. de iuſt. quæſt.2. ar.1. Nauar. com.4. de re-*

regul. num. 76. & alijs.

3 Primò; Quia, videtur, metu mortis iniuſtè extorta; quamuis enim, ipſa timori cauſam dederit per ſuum delictum, ideoqne metus fuerit iuſtus; delictum tamen, illam non obligabat ad profeſſionē; Ergo nec ad illam obligari poterat per metum, ex tali delicto ortum; ideoque iniuſtè adhibitus eſt ille metus, ad profeſſionem extorquendam.

4 Secundò; Quia nemo ad profeſſionem, vel Matrimonium obligari poteſt ab alio, quam à ſe ipſo; hi enim ſtatus, ſummam requirunt libertatem. Ergo Titius, ratione delicti, Vxorem obligare non poterat ad profeſſionem; ſi enim hæc, iuſtè renuere poterat, ille iuſte cogere non poterat; ideoque profeſſio, ratione coactionis, & defectus plenæ libertatis, fuit inualida.

5 Tertiò; Quia delicti accuſatio, ordinatur ad punitionem, non verò ad profeſſionem. Ergo Titius, iniuſte, accuſationis minas adhibuit, ad profeſſionem ab Vxore extorquendam; Vnde conſequenter, profeſſio ſic extorta, fuit inualida.

6 Quartò; Quia, ſi quis, vt latebras latroni fugienti concedat, omnium bonorum ſuorum donationem ab illo extorqueat, iniuſtitiam committit, & talis donatio reſcindi poteſt, quia illum cogit latebras emere plus iuſto. Ergo multo maiorem iniuſtitiam committet, ſi extorqueat profeſſionem; Tunc enim, pro latebrarum pretio, petit rem, quæ in infinitum illarum valorem excedit. Sicut ergo alij contractus, ex tali metu initi, eſſent reſcindendi, ita profeſſio, erit irrita; Id enim, quod ſufficit ad alios contractus reſcindendos, ſufficit ad irritandam profeſſionem, cum hæc, ſemel valida, reſcindi amplius non poſſit, ſicut nec Matrimonium.

7 Quintò; Quia, *in c. veniēs de ſponſ.* Matrimonium cuiuſdam Adoleſcentis, à parentibus cuiuſdam puellæ, in lecto cum eà reperti, irritum iudicatum eſt, quia ab eis eam ducere coactus eſt, & tamen metus fuit iuſtus, cum ipſe Adoleſcens, fuerit in culpà. Ergo metus, quamuis iuſte incuſſus, ſufficit ad irritandum Matrimonium, & conſequenter etiam profeſſionem, cum eædem prorſus conditiones ad vtriuſque valorem requirantur.

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur tamen; Profeſſionem, ab Vxore Titij emiſſam; ex metu iuſte ab illo incuſſo, ad eandem profeſſionem extorquendam, fuiſſe validam. *Sanchez lib. 4. matr. d. 13. num. 3. & lib. 4. ſum. c. 3. num. 9. Leſſius lib. 2. c. 17. d. 6. num. 40. Nau. lib. 3. conſ. tit. de regul. c. 27. nu. 3. Gutierez de iuram. p. 1. c 57. num. 5. Sotus lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. ar. 1. ad. 1. Sylueſter v. metus quæſt. 6. Henriq. lib. 11. matr. c. 9 Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. c. 3. nu. 3.* & & alij communiter.

9 Primò; Quia à Titio, nullus Vxori metus proprie incuſſus eſt, ſed

ſed potius, metu illi aliunde incuſſo ex proprio delicto, oblata eſt ei profeſſio, in remedium timoris, & ab ipſa Vxore ſponte electa eſt. Ergo nulla eſt ratio, cur valida non fuerit. Titius enim, metum non intulit, ſed potius abſtulit, oblatâ profeſſione tanquam medio ad pœnam delicto debitam euadendam.

10 Secundò; Quia, ſi infirmo grauiter ægrotanti minetur Medicus, ſe illi nolle mederi, niſi eius Filiam ducat in Vxorem, valet Matrimonium, vt dictum eſt; quia non Medicus infert metum, ſed morbus; & Medicus ſolùm exigit Matrimonium, tanquam ſui laboris ſtipendium, in quo ei iniuriam non facit; cum, ex iuſtitia, ei mederi non teneatur. Ergo valebit etiam profeſſio, à Titij vxore delinquente emiſſa, metu iuſtæ pœnæ alias adulterio debitæ, & ſibi iuſte ab eo comminatæ; quia, non Titius metum intulit, ſed delictum, & Titius ſolùm profeſſionem petijt, tanquam mercedem, ac pretium, deſiſtendi ab accuſatione; nec ei in hoc iniuriam intulit, cum lege iuſtitiæ non teneretur, eam non accuſare, eiuſque punitionem non procurare; quidquid ſit, an hoc ſit pretium excedens, vel iuſtum.

11 Tertiò; Quia, ideo Matrimonium, propter Medici minas, ab ægro cum eius filia contractum, eſt validum, quia metus, à quo æger mouetur ad contrahendum, cenſetur tunc potius oriri ab ægritudine intrinſecà, quam extrinſece à Medico incuti. Sed etiam metus, à quo Titij Vxor mota eſt, ad profeſſionem emittendam, cenſetur potius ortus à delicto intrinſeco, quàm extrinſece incuſſus à Titio; intra ipſam enim, erat iuſta cauſa timendi, & radix, ac initium timoris, nempe delictum; Ergo etiam profeſſio, à Titij Vxore, propter Titij minas emiſſa; fuit valida; metus enim ab intrinſeco, contractuum valorem non tollit.

12 Quartò; Quia Titius, minans Vxori punitionem, per Iudicem infligendam, niſi profeſſionem emitteret, illam non obligauit ad aliquod malum, quod alias non eſſet debitum; Ergo nullam ei iniuſtitiam fecit, profeſſionem extorquendo; non enim extorſit, malum aliquod alias indebitum inferendo.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes in contrarium reſpondetur; Ad primam; Titij Vxorem, nullo modo fuiſſe per metum obligatam ad profeſſionem emittendam; potuit enim iuſte renuere; ſed profeſſionem ſolùm ei fuiſſe oblatam tanquam medium, ad pœnam alias iam ſibi ex delicto debitam, euadendam. In hoc autem, nulla potuit eſſe iniuſtitià; ſicut Medicus, nullam cenſetur iniuſtitiam committere, cum ab ægro exigit Matrimonium cum Filia, tanquam ſui laboris ſtipendium.

14 Ad ſecundam reſp; Titium Vxorem ad profeſſionem non obligaſſe abſolute, ſed ſolùm ſub conditione, quod

quod ipſa pœnam delicto debitam vellet euadere. Hoc autem, non eſt proprie cogere; nam ipſa potius ſe ipſam coegit, vt pœnam euaderet:

15 Ad tertiam; Delicti accuſationẽ, per ſe quidem ordinari ad punitionem, & non ad profeſſionem; hinc tamen non rectè inferri, quod Titius, iniuſtitiam commiſerit, profeſſionem extorquendo, vt ab illà deſiſteret; ſic enim, non abſolutè profeſſionem extorſit, ſed ſolùm ſub conditione, quod ipſa vellet, illum deſiſtere ab accuſatione, ſicque pœnam delicto debitam euadere.

16 Ad quartam; donationem ex metu à latrone factam, & ſimiles contractus, non reſcindi ratione metus, ſed ratione enormis lęſionis; quia in his Contractibus, lęſio in pretio, eſt lęſio in ſubſtantia; quando autem hæc contingit in cõtractibus bonæ fidei, reſcindi poſſunt contractus, vel ad æqualitatem reduci, vt docet *Sanch. lib.* 4. *matr. d.6. num.* 15. At in profeſſione, læſio circa ſubſtantiam, contingit ſolùm, quando eſt error circa Religionem; vt ſi putem, me vouere in Religione *Sancti Franciſci*, & voueam in Religione *Sancti Auguſtini*. Sicut in Matrimonio, læſio circa ſubſtantiam contingit ſolùm, quando eſt error in perſonà, vel conditione ſeruili. In his ergo caſibus, eſt irrita profeſſio, vel Matrimonium, ſicut alij contractus ſunt reſcindendi. At quando læſio, eſt in accidentalibus; ſicut alij contractus non ſunt reſcindendi, ita profeſſio, ac Matrimonium non ſunt irrita.

17 Ad quintam reſpondetur; tale Matrimonium irritari, quia Parentes, delinquenti minati ſunt, non accuſationem, ſed mortem, vel aliud damnum, proprià auctoritate inferendum; quod damnum iniuſtè minati ſunt, cum, ſecundum Canones, inferre non poſſent.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò; Eum, qui à delinquente, centum aureos extorſit, vt eum abſconderet; illos retinere poſſe; quia, cum illos petierit, & obtinuerit, tanquam pretium occultationis, ad quam non tenebatur, iuſtè petijt, ac obtinuit.

19 Secundò; Eum, qui delinquenti, ſine animo, malum illud inferendi, minatus eſt accuſationem, niſi daret centum, eos poſſe retinere. Quia, dum pretium petijt, ne accuſaret, illud petijt, non ſolùm, ne accuſaret, ſed ne poſſet accuſare, etiam ſi vellet; Ad hoc autem, nihil refert, quod animum accuſandi habuerit, vel non habuerit.

20 Tertiò; Matrimonium, ex metu iuſte ad illud extorquendum, incuſſo, eſſe validum, quia eſt omnino voluntarium; ſi enim iuſte quis infert tibi metum, iam tu, per tuum delictum liberè poſitum cauſa illius es. Ergo Matrimonium, iam non eſt tibi inuoluntarium; ſaltem enim in cauſà, fuit omnino voluntarium, ac liberum.

21 Quartò; Metum iuſtum, non eſſe

S me-

metum cadentem in conſtantem Virum; quia metus iuſtus, eſt metus mali, quod delinquens ſibi infert per delictum. Hic autem non cadit in Virum conſtantem, nec virtute illius, delinquens dici poteſt coactus, vt conſtat *ex l. ſi mulier. 21. in princ. ff. de eo, quod metus cauſa.*

QVAESTIO XLV.

An metus, ad extorquendum actum, iniuſtè incuſſus, eius valorem impediat.

CASVS.

1 VIR quidam nobilis, ſed facinoroſus, per Sicarium, petijt à Titio, vt domum quandam ei venderet, eum alias occiſurus, niſi venderet. Titius verò, quia hominem nouerat, metu compulſus, eam vendidit, pretio quidem iuſto, ſed infimo. Quæritur; Vtrum Venditio illa fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Metus, à Sicario, ad venditionem extorquendam incuſſus, eam reddere videtur nullam.*

5 *Sicut etiam promiſſionem Latroni factam.*

6 *Et Votum.*

7 *Eam tamen, iure naturæ non irritat.*

8 *Cum detur adhuc conſenſus ſufficienter voluntarius.*

9 *Nec minus liber, quam, dum oritur ex metu iuſto.*

10 *Nec ratio iniuriæ illam irritat.*

11 *Sicut nec dolus, contractum.*

12 *Nec ipſe metus, Sacramenti ſuſceptionem.*

13 *Iniuria non ſufficit ad eam iure naturæ irritandam.*

14 *Sicut nec ad irritandam pecuniæ donationem, factam Latroni.*

15 *Nec promiſſionem, eidem ex metu factam.*

16 *Vota, ex Eccleſiæ ſolùm conſuetudine, ſunt irrita.*

17 *Per contractum metu iniuſto celebratũ transfertur dominium.*

18 *Eſt etiam iure poſitiuo validus.*

Eſt

19 *Eſt tamen reſcindendus.*
20 *Si metus ſit iuſtus, non eſt reſcindendus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 METus, Adulteræ, à Viro, ad profeſſionem extorquendã, incuſſus, non erat grauis, nec cadens in conſtantem virum, quia iniuſtè erat incuſſus; vt patet ex dictis, *Quæſt. præced.* At metus, Titio, per Sicarium, à Viro facinoroſo incuſſus, grauis eſt, & Titio Iniurioſus. Ideoque videtur ſufficiens ad reddendam venditionem inualidam. Ita *Molina tom. 2. d. 326. Sotus lib. 8. quæſt. 1. ar. 7. ad 3. Clau. reg. lib. 2. c. 2. nu. 10. Salas 1. 2. tract. 3. d. 2. ſ. 4. nu. 8.*

3 Primò; Quia Contractus, per iniuriam celebratus, ipſo iure naturæ, videtur irritus. Tum quia, hæc videtur eſſe pœna, iniuriæ proportionata. Tum quia, æquum non eſt, vt, qui metu iniuſto iniuriam intulit, commodum reportet ex ſuo delicto; reportaret autem, ſi contractus ſic celebratus, eſſet validus. Tum denique, quia iniuria illa, omnino eſt compenſanda, nec alius eam compenſandi modus apparet, quam per contractus irritationem; ſed venditio, fuit per iniuriam extorta; Titius enim, ius habebat, ne iniuſtis minis ad eam cogeretur. Ergo videtur fuiſſe, ipſo iure naturæ irrita.

4 Secundò; Quia, ſi venditio illa eſſet valida, ſequeretur, quod, quando Latrones à Peregrinis, metu mortis incuſſo, pecunias extorquent, earum pecuniarum donatio à Peregrinis facta, eſſet valida, ipſique Latrones, verùm earum dominium acquirerent, neç ad reſtitutionem tenerentur. Conſequens autem, eſt contra communem omnium ſenſum; omnes enim tenent, per talem metum acquiſita, eſſe reſtituenda. Ergo ſignum eſt, iniuriam metus iniuſtè incuſſi, contractus, iure ipſo naturæ, reddere irritos.

5 Tertio; Quia, ſi quis Latroni, metu mortis incuſſo, petenti, pecuniam promittat; eam deinde ſoluere non tenetur; non enim videtur habuiſſe voluntatem ſufficiẽtem ad valide promittendum, cum promiſſio debeat eſſe gratuita, ac liberalis; illa verò fuerit coacta; vnde etiam ſolutio vſurarum, ipſo iure naturæ eſt irrita, quia deeſt voluntas liberalis, ad eius valorem neceſſaria. Ergo promiſſio, metu mortis, iniuſte extorta, irrita eſt; Idem autem prorſus dicendum eſt de domus venditione, facta à Titio, cum eadem omnino ſit ratio.

6 Quartò; Quia, in omnium ſententiã, Vota ſimplicia; vti peregrinationis Lauretanæ; eleemoſynæ, & alia ſimilia metu extorta, ipſo iure naturæ, irrita ſunt; nullum enim extat ius poſitiuum, illa irritans. Ergo idem dicendum eſt etiam, de alijs promiſſionibus, ac contractibus, & conſequenter etiã de venditione, metu mortis, iniuſte extorta.

RESOLVTIO.

7 RESpondetur tamen; Venditionem, metu mortis, à Titio factam, fuiſſe, iure naturæ, validam; ſed reſcindendam. *Sanch. lib.4. matr. d.8. num. 4. Leſſius lib.2. c.17. d.6. num. 36. Henriq. lib.11. matr. c.4. num.4. Bonac. de matr. quæſt.3.p.8. num.8. Azor. lib.1. c 11. quæſt.6. & 13. Vaſq. 1.2.d.27. in fine. Nau.c.22. ſum. num. 50. Suarez tom.3. de relig. lib.6. c.5 num.8. Syluester v. metus quæſt.* 8 & alij apud iſtos.

8 Primò; Quia, non obſtante iniuriâ, per metum illatâ, datur quidquid ad venditionis valorem neceſſariò requiritur; ad valorem enim alicuius contractus, requiritur ſolùm, iuſtus titulus, & voluntarius conſenſus. Sed metus, ſiue iuſte, ſiue iniuſte incuſſus, non tollit voluntarium abſolute; ſicut enim, qui ad euitandum naufragium, merces proijcit, illas voluntarie proijcit; ita, qui latroni petenti, dat pecunias ad vitandam mortem, illas voluntarie dat; neque excludit titulum dati, & accepti; donati, & promiſſi; Ergo non tollit contractus valorem; ideoque venditio, ſimili metu facta, iure naturæ, fuit valida.

9 Secundò; Quia, non minus eſt libera voluntas, metu iniuſto coacta, quam iuſto; In vtroque enim caſu, voluntas æque non vult abſolute, ſed ſolum ad illud periculũ euitandum; nam æque ad vitandum ſolùm mortis periculũ, & proijcit quis merces in mare, & dat pecunias latroni, alias nec merces proiecturus, nec pecunias daturus. Sed voluntas, metu iuſto, vel ab intrinſeco coacta, habet libertatem ſufficientem ad valorem contractus vt dictum eſt; Vere enim, eſt ſimpliciter libera. Ergo etiam coacta metu iniuſto, erit libera ſufficienter; ideoque ex hoc capite, venditio non potuit eſſe nulla.

10 Tertiò; Quia, ſi venditio, metu illo extorta, eſſet irrita; vel eſſet irrita, ratione iniuriæ, vel ratione defectus libertatis ſufficientis. Ex neutro autem capite, eſt irrita; vtraque enim hac ratio, æque reperitur in contractu celebrato, ex metu leui, qui tamen eſt validus; Nam, ſi Auarus, metu amittendæ pecuniæ, iniuſte ſibi incuſſo, cogatur inire contractum locationis, vel mutui; In metu iſto, inuenitur ratio iniuriæ, ad reſtitutionem obligans, & metus iſte, fortius Auarum priuat libertate, quam Peregrinum, metus vulnerum, illi à latronibus comminatorum. Sicut ergo metus leuis iniuſtus, contractũ ab Auaro celebratum non irritat; ita metus grauis, quamuis iniuſtus, venditionem, à Titio factam non irritabit.

11 Quartò; Quia contractus, cui dolus cauſam dedit, non eſt, iure naturæ, irritus; Matrimoniũ enim contractum ex errore, quo quis putabat; fœminam eſſe nobilem, vel diuitem, cum tamen eſſet ignobilis, & pauper, eſt validum. Sed in iure, metus æquiparatur dolo; *l. ſi dolo ff. de inut. ſtipul. & c. cum*

con-

contingat: de iure iur. & c.2. de pactis: in 6. Ergo etiam contractus, cui metus, cauſam dedit, non erit iure naturæ irritus, ſed validus. Vnde conſequenter, valida fuit venditio, à Titio metu facta.

12 Quintò; Quia, ad Sacramentorum valorem, requiritur voluntas, & intentio ſuſcipientis; & tamen voluntas, etiam metu graui coacta, in adultis ſufficit ad valorem baptiſmi; *ex c. maiores: de baptiſmo: & c. Iudæis: d.45.* Similiter ad valorem iuramenti requiritur libertas; & tamen iuramentum, etiam metu graui, extortum, obligat. *ex c. verum, & c. ſi verò: de iureiur.* Ergo ſimiliter, quamuis ad valorem contractus, requiratur libertas; ſufficiet libertas, quæ ſtare poteſt ſimul cum coactione, ex metu graui.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 NEque obſtant rationes in contrarium: Nam ad primam, negatur minor; Neque enim iniuria ſufficit ad contractum irritandum, neque per ipſius annullationem reſarcitur; nam, ſi quis metu, baptizari cogatur, iniuriam patitur, & tamen hæc non reſarcitur per irritationem baptiſmi; Et, ſi quis, fide data de Matrimonio, Virginem defloret, & poſtea aliam ducat, iniuria grauiſſima priori illata, non reſarcitur per irritationem Matrimonij cum poſteriori. Sufficienter ergo reſarcitur iniuria per hoc, quod contractus factus reſcindatur, & res in ſuum priſtinum ſtatum reſtituantur; ſicque ſufficienter punitur iniuria; neque qui illam intulit, vllum ex eà commodum reportat, cum reſcindere teneatur contractum, & res in priſtinum ſtatum reſtituere.

14 Ad ſecundam reſpondetur; Donationem illam, à Latronibus metu extortam, attento iure naturæ fuiſſe validam, & dominium tranſtuliſſe. Hinc tamen non ſequitur quod Latrones ad reſtitutionem non teneantur; Nam, cum, ratione iniuriæ, teneantur res in ſuum priſtinum ſtatum reſtituere, & donationem reſcindere, conſequenter tenentur ſic accepta reſtituere.

15 Ad tertiam reſpondetur; Eum, qui Latroni pecuniam promiſit, ex vi promiſſionis, teneri eam tradere; licet, ratione iniuriæ, deinde excuſetur; poteſt enim aliquis ſimul ex vno capite, eſſe obligatus ad aliquid faciendum, & ex alio deobligatus. Nam poteſt quis, alicui debere centum, ratione contractus, & ſimul ratione iniuriæ ſibi ab eo illatæ, ſibi debitum retinere, donec alter debitam ſatiſfactionem exhibeat; & ſi alter debitum petat, repelli poterit, exceptione iniuriæ. Similiter ergo, qui latroni pecuniam promiſit, illam ex vi promiſſionis dare tenetur; ratione tamen iniuriæ, illam negare poteſt, & petentem, iniuriæ exceptione repellere. Promiſſio autem, & donatio, vt ſit valida, debet quidem eſſe liberalis, hoc eſt, nullo pretio recepto, non tamen requiritur, vt ſit omnino libera.

16 Ad quartam reſpondetur; Vota ſimplicia, per metum extorta, eſſe irrita, non iure naturæ, nec iure poſitiuo ſcripto, ſed traditione, & Eccleſiæ conſuetudine, vim legis obtinente, ſicut hoc etiam modo ſunt irrita, Matrimonium, metu cõtractum, & Matrimonium fidelis cum infideli.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; Contractus, metu etiam iniuſto celebratos, eſſe validos, per eoſque transferri dominium; quia per eos acquiritur titulus, & interuenit traditio, quæ duo ſufficiunt ad dominium transferendum.

18 Secundò; Contractus metu celebratos, eſſe validos non solùm, iure naturæ, ſed etiam iure poſitiuo; *in c. enim Abbas de his quæ vi*: renunciatio facta per metum debet in irritum reuocari. Ergo ſignum eſt, eſſe validam; quod enim irritum eſt, non indiget, vt in irritum reuocetur; *& in c. ad audientiam: de his quæ vi*: Quæ vi metuſque cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis, reſcindi enim poſſunt, & debent. & *in l. ult. C. de his quæ vi*; dicitur; Venditiones, donationes, tranſactiones quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari. Ergo erant aliquo modo validæ, ac iuris remedio infirmandæ.

19 Tertiò; Contractus metu iniuſto celebratos, eſſe reſcindendos, ſiue metus ab altero Contrahente incuſſus fuerit, ſiue ab aliquo tertio. Tum quia, res illa, per contractum metu initum, acquiſita, ad quemcumque poſſeſſorem tranſit eo vitio affecta, vt habetur expreſsè *l. ſi cum exceptione: 14. §. in hac actione ff. de eo quod met. cauſ.* Tum quia metum paſſus, ob iniuriam ſibi illatam, habet ius reſcindendi contractum factum; habet enim ius, vt ſibi detur ſatisfactio, & iniuria facta reparetur; Hæc autem aliâ via reparari non poteſt, quam contractum factum reſcindendo, & res in ſuum priſtinum ſtatum reſtituendo.

20 Quartò; Contractus, metu iuſto celebratos, nullo modo eſſe irritandos, quia contractus metu iniuſto initi reſcindendi ſunt, solùm ratione iniuriæ, metum paſſo illatæ; hæc autem omnino ceſſat, quãdo metus eſt iuſtè illatus.

QVÆ-

QVAESTIO XLVI.

An metus, ad extorquendum actum, iniuſtè incuſſus, eius valorem, iure poſitiuo, impediat.

CASVS.

1 TITIVS, vnicum beneficium, quod habebat, graui metu compulſus, renunciauerat. Volens autem ad Sacros Ordines promoueri, nec habens patrimonium putanſque, renunciationem illam, metu factam, non tenere; ad titulum illius Beneficij promoueri voluit. Quæritur; an potuerit.

SVMMARIVM.

2 *Beneficij reſignatio, metu extorta, iure ſaltem poſitiuo videtur irrita.*
5 *Sicut eſt irrita, electio ad beneficium.*
6 *Qui actus, metu extorti, à iure irritentur.*
8 *Huiuſmodi reſignatio non eſt irrita ſed irritanda.*
9 *Sicut nec iuramentum, ſimili metu factum.*
10 *A iure ſolùm præcipitur irritanda.*
11 *Si addatur incarceratio, à iure irritatur.*
12 *Reſciſſio renunciationis, eſt tacita beneficij collatio.*
13 *Etiam electio metu extorta, à ſpecialiter à iure irritatur.*
14 *Reſignans, ante reſciſſionem, fructus percipere non poteſt.*
15 *Nec officium recitare tenetur.*
16 *Et ſi beneficium poſſideat, ſine titulo poſſidet.*

RATIONES DVBITANDI.

2 POſito, quod actus, metu etiam iniuſto, extortus; neque ex defectu conſenſus; neque ratione iniuriæ: iure naturæ, ſit inualidus. Quæritur, an ſaltem, ratione iniuriæ, ſit inualidus, iure poſitiuo. Videtur enim eſſe; & conſequenter Titium, ad titulum beneficij, ex metu, renunciati, promoueri potuiſſe. Ita *Baſil. de Leon. lib.* 4. *c.* 8. *num.* 16. *& Nau. in c. accepta de reſt. ſpol. oppoſ.* 5. *nu.* 5. ait ſe longo tempore eam docuiſſe.

3 Primo; quia renunciatio illa, cum, metu facta fuerit, videtur ipſo iure fuiſſe irrita; in Clementina enim: *multorum*: 2. *de pœnis*: decernitur, beneficiorum reſignationes, modo ſupradicto extortas, licet à Reſignantium Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ, fuerint, nullius omnino eſſe firmitatis. Idemque videtur colligi *ex c. Abbas: de his quæ vi*. Si autem reſignatio fuit inualida, iam Titius retinet titulum beneficij, vnde ad ipſum ordinari poteſt.

4 Secundò; Quia, qui renunciat Eccleſiam ex metu, reſtituitur ad illam ſine noua collatione: vt conſtat *ex c. ad aures: de his quæ vi*. Ergo ſignum eſt, per talem beneficij renunciationem, titulum non amiſiſſe; & *in c. ad audientiam*: dicitur; beneficij renunciationem metu factam, firmitatis robore carere debere. Cum ergo beneficij reſignatio, metu graui fuerit à Titio facta, ipſo iure, irrita fuit, ac proinde Titius, titulum beneficij adhuc retinet, ad quem propterea ordinari potuit.

5 Tertiò, Quia electio ad beneficium, metu facta, ipſo iure, eſt irrita; Ergo idem dicendum eſt de beneficij reſignatione; eadem enim eſt ratio.

NOTABILE.

6 ADuertendum eſt. Ius poſitiuum, non omnes actus, aut contractus, metu iniuſto extortos generaliter ipſo facto irritaſſe, ſed ſolùm aliquos. Hi autem ſunt. Primò; Matrimonium: *ex c. veniens 2. de ſponſ. & c. 2. de eo, qui duxit in Matrim. ex requiſiuit*. & *cap. gemma; de ſponſa*. Secundò; Sponſalia: *ex c. literis: de Sponſa: Impub*. Tertiò; Profeſſio Religioſa, *ex c. perlatum: de his quæ vi*. quod ad quodlibet Votum extenditur. Quartò; Abſolutio à Cenſuris; *ex c. vni: de his, quæ vi. in 6*. Quintò; Rerum Eccleſiæ promiſſio, vel traditio; *ex c. peruenit: de iureiur*. Sextò; Teſtes coacti, in teſtamento adhibiti. *L. qui teſtam. §. vlt. ff. de teſtam*. Septimò; Denique promiſſio, vel obligatio, facta in gratiam illius, qui aliquem metu graui in carcerem coniecit, vel detinet. *L. qui in carcerem: ff. de eo quod met. cauſa*. reliquos tamen omnes, decernit eſſe irritandos; *in L. vlt. C. de his, quæ vi, & L ſi cum except. 14. §. in hac actione. ff. de eo, quod metus cauſa*; vt ſic ſaltem reparetur iniuria, dum res in priſtinum ſtatum, reſtituuntur. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

7 REſpondetur, Titium, ad titulum beneficij promoueri nõ potuiſſe. *Nau. loco cit. num. 7. Azor. lib. 1. cap. 11. quaſt. 9. Reginald. tom. 2. lib. 3. c. 23. ſ. 2. n. 333. Leſſius lib. 2. c. 17. d. 6. num. 37*. & alij apud iſtos.

8 Primò; Quia beneficij reſignatio quamuis metu facta, non fuit tamen ipſo iure irrita, ſed ſolùm irritanda, ſicut omnia alia geſta per metum; hic enim caſus de bene-

neficij renunciatione, non inuenitur in iure ab hac regula exceptus ſicut inueniuntur Sponſalia, Matrimonium, Profeſſio religioſa, & alij ſimiles actus. Si autem renunciatio fuit valida, donec reſcinderetur; ante reſciſſionem, Titius, ad titulum beneficij promoueri nō potuit; illum enim iam non habebat, ſed per reſignationem amiſerat.

9 Secundò; Quia iuramentum metu extortum, quamuis valeat: *ex c. verum de iureiur.* ſi tamen apponatur actui nullo, & à iure reprobato, non valet *ex c. cum contingat de iureiur. c. quamuis pactum: de pactis in 6.* & alibi. Sed iuramentum, de beneficij renunciatione metu factum, valet, ſicut etiam iuramentum de beneficio renunciato non repetendo; *ex c. ſi verò de iureiur.* Ergo ſignum eſt, quod renunciatio illa, valida fuit.

10 Tertiò; Quia, nullibi in iure beneficij reſignatio, inuenitur irritata, ſed ſolùm irritanda; *in c. enim ad aures*, non dicitur; renunciationem illam non valere, ſed ſolum eum, qui renunciauit, eidem Eccleſiæ eſſe præficiendum; vbi non indicatur, non debere præfici, ſine nouà collatione; nam ipſamet reſtitutio, eſt tacita beneficij collatio. Similiter *in c. ad audientiam*: ſolùm dicitur; renunciationem metu factam, carere debere robore firmitatis. Hæc autem verba, optimè intelligi poſſunt de reſciſſione per ſententiam facienda. Denique caſus *in Clementina: multorum: de pœnis*; eſt ſpecialis; erat enim ibi ſermo de quodam, qui à Domino ſæculari, captus fuerat, & detentus, donec beneficium renunciaret; cuius renunciationem decernit Pontifex, eſſe irritam, inducens nouum ius pro illà, non verò vniuerſaliter declarans, beneficiorum reſignationes metu extortas, eſſe irritas. Decretum autem pro caſu ſpeciali, ad alios caſus extendi non debet.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes in contrarium facilè reſpondetur. Ad primam, patet diſparitas. Caſus enim illius Clementinæ, eſt ſpecialis, & propterea ad alias reſignationes extendi non debet; vnde illæ ſolum reſignationes, quæ per metum & incarcerationem, ac detentionem iniuſtam, factæ fuerint, nullæ erunt; aliæ verò per metum, ſine incarceratione, extortæ, iuxta regulam generalem, erunt validæ; ſed irritandæ.

12 Ad ſecundam; ex tertia probatione, patet reſponſio; Poterit enim quis ad priſtinum beneficium redire, reſciſſa renunciatione prius facta, abſque noua illius collatione, quia illa reſciſſio, & beneficij reſtitutio, eſt tacita beneficij collatio; ſicut, qui, cum impedimento, & ſine titulo canonico, beneficium obtinuit, obtentà deinde impedimenti diſpenſatione, ſine nouà collatione, beneficium retinere poteſt, quia diſpenſatio illa, cenſetur eſſe tacita eiuſdem beneficij collatio.

Ad

13 Ad tertiam negatur conſequentia; Nam, cum ille etiam, ſit caſus particularis, extendi ad alios non debet; nec regulam generalem euertere. Adde, quod metus, in electione, magis publicæ vtilitati repugnat, quam in renunciatione, & ideo Pontifex voluit, vt in electione, maior requiratur libertas. Ita *Nauar. in c. accepta: oppoſit.* 5. *num.* 1. *de reſt. ſpol. &* *num.* 21.

COROLLARIA.

14 Colligitur ex dictis primò: Antequam, per Iudicem, fiat reſignationis irritatio, & reſtitutio in integrum, renunciantem non poſſe licitè beneficium ita renunciatum tenere, nec in eo miniſtrare, aut fructus ex illo percipere, quia titulum per renunciationem amiſit, & beneficium ſine titulo canonico licitè retineri non poteſt, *c.* 1. *de reg. iur. in* 6.

15 Secundò; Sic renunciantem non teneri amplius, poſt renunciationem, & ante reſciſſionem, ad horas canonicas, ſed eum, cui, ille beneficium renunciauit; quia hic, & non ille, abſolutè habet beneficij titulum, ac beneficium.

16 Tertiò; Si renuncians, remaneat in beneficij poſſeſſione, per triennium, non iuuari decreto de pacificis poſſeſſoribus; quia poſſedit ſine titulo.

QVAESTIO XLVII.

An coactio ad actum, cum libertate ad loci, vel perſonæ electionem, eius valorem impediat.

CASVS.

1 TITIVS, à Principe vocatus, precibus priùs, deinde etiam minis, vnam ex Filiabus Sempronij, quamcumque vellet, ducere coactus eſt; ille verò duxit Rachelem, Quæritur; Vtrum Matrimonium illud fuerit validum.

SVM-

SVMMARIVM.

2 *Ad Matrimonij valorem, ſufficere videtur libertas ſolùm quo ad circunſtantias.*
4 *Sicut ſufficit ad electionem.*
5 *Verè tamen, eſt inualidum.*
6 *Quia eſt omnino coactum.*
7 *Ex eoque infelices exitus timeri poſſunt.*
8 *Ad matrimonij valorem, requiritur libertas circa ſtatum Matrimonialem.*
10 *Ad electionem, obligari quis poteſt à lege; ſecus ad Matrimonium.*
11 *Ad Matrimonij, ac Profeſſionis valorem, requiritur omnimoda libertas quo ad ſtatum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVoniam, inter actus, qui à Iure declarantur inualidi, cum, metu iniuſto, ſunt extorti ponitur contractus Matrimonij. Quæritur; an, vt ſit irritus, requiratùr omnimoda coactio, non ſolùm quò ad actus ſubſtantiam, ſed etiam quò ad eius circunſtantias; An verò ſufficiat coactio ad ipſum actum, cum libertate ad circunſtantias. Aliqui enim exiſtimarunt, requiri omnimodam coactionem; Ideoque Matrimonium à Titio cum Rachele contractum, fuiſſe validum. Ita *Azor. lib.* 1. *c.* 11. *quæſt.* 11. & alij quos refert *Couaru.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 3. §. 5. *n.* 8.

3 Primò; Quia, non videtur vllo modo fuiſſe coactum, ſed omnino liberum, ac voluntarium; nulla enim coactio, facta eſt circa electionem illius fœminæ, eſto fuerit facta circa electionem abſolutè; Ergo Matrimonium, quamuis ea coactione extortum, validum tamen fuit; quia fuit plenè liberum.

4 Secundo; Quia, ſi quis, Eccleſiæ regimen aſſumere cogatur, relicta ſibi facultate eligendi quamcumque Eccleſiam voluerit, & vnã eligat, electio illa valida eſt; ſicut valeret electio, ſi electores, non certam perſonam, ſed aliquam ex certis, in Eccleſiæ alicuius regimen eligere cogerentur. Ergo ſimiliter erit validum Matrimonium ſi quis, non certam perſonam, ſed ſolùm vnam ex certis, aſſumere cogatur; tunc enim ſubſtantia electionis non videtur coacta, ſed libera; nec ad electionem minor libertas requiritur, quam ad Matrimonium, vt conſtat *ex c.* 3. §. *cæterum; de elect. in* 6.

RESOLVTIO.

5 REſpondetur tamen; Matrimonium illud fuiſſe inualidum. Ita *Sanch. lib.* 4. *matr. d.* 12. *n.* 20. *Salas* 1. 2. *tract.* 3. *d.* 3. *ſ.* 1. *nu.* 27. *Rebell. p.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 11. *ſ.* 1. *num.* 11. *Baſilius de Leon. lib.* 4. *c.* 14. *num.* 14. & alij apud iſtos.

6 Primò; Quia Matrimonium illud, verè ac propriè fuit coactum; Titius enim, ita Matrimonium, ex metu, aſſumpſit, vt illud, in ſuà libertate relictus non aſſumpſiſſet; Ergo huiuſmodi Matrimonium com-

comprehendi debet ſub decreto Matrimonia coacta irritante; Verè enim, ſimpliciter eſt coactum.

7 Secundò; Quia non minus ex hoc, quam ex quolibet alio Matrimonio coacto; infelices exitus timeri poſſunt; cum enim Titius, contra ſuam voluntatem. vnam ex filiabus Sempronij in Vxorem eligere ſit coactus, de infelici exitu prudenter timeri poteſt. Hæc autem fuit ratio Matrimonia coacta irritandi.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

8 AD rationes in contrarium; Reſpondetur; ad primam; non ſufficere ad Matrimonij libertatem, huius, vel illius perſonæ electionem, ſed requiri. vt electio ipſius ſtatus Matrimonialis, omnino libera ſit, & non coacta; alioquin Matrimonium dici non poteſt abſolutè liberum, ſed coactum & liberum ſolùm reſpectiuè. Libertas autem reſpectiua, cum non ſit plena, ad Matrimonij valorem non ſufficit.

9 Ad ſecundam reſpondetur primò; Si electio coacta *ex c.3. §. cæterum: de elect. in 6.* irrita eſſet; ſicut *ex c. cum locum: de ſponſal.* eſt irritum Matrimonium metu cótractum: eodem modo fore irritam electionem, in quà daretur optio eligendi vnam ex determinatis perſonis, vel Eccleſijs, ſed ad ipſam electionem daretur coactio, quia iam electio illa, abſolutè eſſet coacta, & libera ſolùm reſpectiuè, ideoque non plenè, prout ad electionem requireretur.

10 Reſpondetur ſecundò; Diſparitatem eſſe inter Matrimonium, ac electionem, quia ad electionem faciendam inter duos, obligàri quis, vel à lege, vel à Superiore poteſt. At ad Matrimonium, nemo vlla lege obligari poteſt, niſi ipſe prius, ex ſuà voluntate ſe obliget.

COROLLARIVM.

11 COlligitur ex dictis; ad valorem Matrimonij, ac profeſſionis religioſæ, requiri à iure plenam, ac omnimodam libertatem, non ſolùm circa electionem perſonæ, vel Religionis, ſed etiam circa electionem ipſius ſtatus; cum enim ſint ſtatus immutabiles, & ſemel aſſumpti, relinqui amplius non poſſint, niſi omnino liberè aſſumerentur, infelices exitus timeri meritò poſſent.

QVÆ-

QVAESTIO XLVIII.

An coactio, iuſta ſecundum allegata, & probata, actus valorem impediat.

CASVS.

1 RACHEL, poſt contracta cum Titio ſponſalia, cum alio Viro fornicata fuerat; Titius de hoc certior factus, eam ducere amplius nolebat. Verùm, quia Sponſæ fornicationem probare non potuit, à Iudice, ſub pœnà excommunicationis, eam ducere coactus eſt. Quęritur, Vtrum Matrimonium illud, ſit validum.

SVMMARIVM.

3 *Coactio formaliter iuſta, Matrimonij valori obſtare non videtur.*
7 *Vere tamen obſtat.*
8 *Eſt enim iniuſta ex parte coactionem Patientis.*
9 *Vt obſtet, ſatis eſt coactio materialiter iniuſta.*
10 *Per hanc, coactus, ſibi metum nullatenus infert.*
11 *Neque hæc coactio, locum habet in Foro Conſcientiæ.*
12 *Eſto; ſit iuſta, ex parte Iudicis metum inferentis.*
13 *Et à Iure præcipiatur.*
14 *Vnde oriatur tunc, nullitas Matrimonij.*
15 *Coactio, vt Matrimonium non irritet, debet eſſe materialiter, & formaliter iuſta.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm Matrimonium, metu ad id, iniuſtè incuſſo, contractũ, iure poſitiuo, ſit irritum, vt dictum eſt; Oritur difficultas; an, vt ſit irritum, ſufficiat coactio, materialiter ſolùm, & à parte rei iniuſta, licet formaliter, ac ſecundum allegata, & probata, ſit iuſta; vt contingit, in caſu propoſito; an verò requiratur, vt coactio, tam materialiter, quàm formaliter ſit iniuſta.

3 Aliqui *cum Sanch. lib. 4. de matr. d. 14. num. 9. Bonac. quæſt. 3. de matr. p. 8. num. 14. & alijs*, putant, ad valorem ſufficere, vt coactio, ſit iuſta formaliter, ac ſecundum allegata, & probata, licet materialiter ſit iniuſta, Ideoque Matrimonium, à Titio contractum eſſe validum.

Pri-

4 Primò; Quia coactio facta à Iudice, fuit ſecundum allegata, & probata, & ſecundum iuris ordinem, formaliter iuſta; coactio autem iuſta, Matrimonij valorem non tollit, ſicut nec cuiuſcumque alterius contractus.

5 Secundò; Quia ideo Matrimonium coactum, eſt inualidum, quia à iure eſt reprobatum; ſtando enim in iure naturæ, eſſet validum, & de facto Matrimonium, metu graui inter infideles, celebratum, eſt validum, quia infideles, Eccleſiæ legibus non ſunt ſubiecti; ſed in hoc caſu, à iure non reprobatur, nec reprobari poteſt, cum coactio præcipiatur; Ergo, in hoc caſu, eſt validum.

6 Tertiò; Quia, ſi Iudex, quamuis iuſtè in re, iniuſtè tamen ſecundum allegata & probatá, Titium ad Matrimonium coegiſſet; Matrimonium, ratione iniuriæ formalis, eſſet nullum; Ergo è contra, cum coegerit iuſtè ſecundum allegata, & probata, quamuis iniuſtè materialiter, & in re, Matrimonium erit validum; Ius enim, à quo oritur Matrimonij irritatio, reſpicit ſolùm veritatem, ac iuſtitiam, quæ habetur ſecundum allegata & probata; vnde hæc ſolùm dicitur iuridica.

RESOLVTIO.

7 RESpondetur tamen; Matrimonium; ex Iudicis coactione iuridicà, à Titio contractum, probabilius eſſe inualidum. *Baſil. de Leon. lib.* 4. *c.* 19. *num.*11. *Henriq. lib.*11. *de matr. cap.*9. *num.*4. *Azor. lib.*1. *c.*11. *quæſt.*6. *Salas* 1. 2. *tract.* 3. *d.* 3. *ſ.* 4. *nu.* 27. *Leſſius lib.*2. *c.*17. *d.* 6 *num.* 30. *Rebell. p.* 2. *de oblig. lib.*1. *quæſt.*5. *num.*12. & alij plures apud iſtos.

8 Primò; Quia licet coactio illa, prout ſe tenet ex parte Iudicis, fuerit iuſta; prout tamen ſe tenet ex parte Titij, eam coactionem patientis non fuit iuſta, ſed iniuſta, cum ipſe tali coactioni cauſam non dederit. Ergo ius irritans Matrimonium ex coactione iniuſta, hunc caſum non excludit; In irritatione enim, non tam attenditur iuſtitia coactionis ex parte inferentis, quam ex parte patientis, cum in iſtius gratiam, ac fauorem fuerit à iure ſtatuta irritatio; non verò in fauorem inferentis.

9 Secundò; Quia, ſi Pater, Adoleſcenti cū Filià deprehenſo mortem minaretur, niſi eam duceret in Vxorem, Matrimonium eſſet nullum: *ex cap. veniens: de ſponſal.* quamuis Pater ex errore putaret, talem coactionem ſibi eſſe licitam; quia ſcilicet in re, & reſpectu Adoleſcentis, eſſet iniuſta. Sed etiam coactio facta à Iudice ſecundum allegata, & probata, licet eſſet iuſta ex parte ipſius; in re tamen, & ex parte Titij, erat iniuſta; Ergo etiam Matrimonium à Titio contractum, fuit nullum.

19 Tertiò; Quia ad hoc, vt contractus metu initus, non ſit reſcindendus, neceſſariò requiritur, vt ipſe metum patiens, vel per delictum, vel per ægritudinem, vel alio ſimili modo, ſibi metum intulerit

lerit

lerit, vt conſtat *ex l. ſi mulier 21. in princ. ff. de eo, quod metus cauſa*; vbi, cum Mulier contra Dominum ſuum ingrata, timens, ob ingratitudinem, reducendam eſſe in ſeruitutem, ex hoc timore aliquid dediſſet, eius donatio non reuocatur, quia ipſa ſibi hunc metum intulit; ſed Titius, dum à Iudice ad Matrimonium cogitur, iuſtè quidem ſecundum allegata, & probata, ſed iniuſtè ſecundùm rem, nullo modo hunc metum ſibi infert, cum nullo modo ſit eius cauſa; Ergo hoc Matrimonium, eſt irritum; ſicut, ſi eſſet alius contractus, eſſet reſcindendus.

11 Quartò; Quia coactio à Iudice facta, fundatur in falsâ præſumptione; Illa autem, quæ fundantur in falsâ præſumptione, locum non habent in Foro conſcientiæ; cum hoc Forum innitatur veritati: *c. tua c. is qui fidem: de ſponſa.* Ergo hæc coactio, locum non habet in Foro conſcientiæ; ideoque Matrimonium, in Foro conſcientiæ, nullum eſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam enim reſpondetur; Coactionem factam à Iudice, fuiſſe quidem iuſtam ex parte Iudicis inferentis; ſed iniuſtam ex parte Titij patientis; Hoc autem ſufficit, vt Matrimonium, ipſo iure, ſit irritum; ſicut eſt ſufficiens, vt quilibet alius contractus, ſit reſcindendus.

13 Ad ſecundam reſpondetur; Quãuis coactio, à iure præcipiatur, non tamen propterea Matrimonium approbari; quia coactio illa, fundatur in falsâ præſumptione, in quo caſu, etiamſi, in Foro externo, approbaretur, non tamen approbaretur in Foro interno; quia Forum externum, & internum, conueniunt ſolùm; quando externum, non innititur falſæ præſumptioni.

14 Ad tertiam reſpondetur; Diſparitatem eſſe; quia, ſi Iudex, iniuſtè cogat ſecundùm allegata, & approbata, iniuriam infert ei, quem cogit; quamuis enim in re, ſit delinquens, quamdiu tamen eius delictum non probatur, ius habet, ne à Iudice damnetur tanquam reus; iniuria autem, obligat ad contractum reſcindendum, vt res in integrum reſtituantur, & ſic reſarciatur iniuria. Cum ergo, in iis caſibus, Matrimonium ſit irritum, in quibus alij contractus ſunt reſcindendi, ſequitur, in iſto caſu, Matrimonium eſſe nullum. At quando Iudex, iuſtè cogit ſecundùm allegata, & probata, ſed iniuſtè in re, nullitas Matrimonij, non oritur ex iniuriâ illata ei, quẽ Iudex cogit, ſed quia ille qui cogitur, in re iniuſtitiam patitur propter falſam præſumptionem, cui Forum externum tunc innititur, & Forum internum non conformatur externo, quando hoc innititur falſæ præſumptioni.

COROLLARIVM.

15 Colligitur ex dictis: Ad hoc vt coactio, Matrimonij valorem

rem non impediat, neceſſariò requiri, vt ſit omnino iuſta, non ſolùm formaliter, & iuridicè, ſed etiam materialiter, & in re. Cum enim Matrimonium debeat eſſe validum in conſcientiæ Foro, quod falſæ præſumptioni non innititur, neceſſariò requiritur, vt coactio realiter, & ſecundùm rem ipſam ſit iuſta; Cum verò ad Matrimonij valorem, à iure requiratur iuſtitia in coactione, requiritur etiam, vt coactio ſit iuſta formaliter; alia enim iuſtitia requiri à iure non poteſt, quam formalis, & iuridica.

QVAESTIO XLIX.

An Metus leuis, in Foro conſcientiæ, contractum reſcindat.

CASVS.

1 CVIVSDAM Viri Principis Vxor, cum, pręter dotem, bona paraphernalia haberet ſatis ampla; ad inſtantiam Mariti, ex metu quodam reuerentiali erga illum, & vt iurgia cum illo, eiuſque offenſionem vitaret, pro illo fideiuſſit, alias non fideiuſſura. Queritur; Vtrum ex illa fideiuſſione, in Foro conſcientiæ, teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Fideiuſsio, ex metu leui facta, in Foro conſcientia obligare videtur.*

4 *Sicut obligat in Foro externo.*

5 *Et ſicut Matrimonium ex ſimili metu initum.*

7 *Non obligat tamen, etiam ſi ſit ſolemnis.*

8 *Ratione iniuria, quam metus etiam leuis includit.*

9 *Vnde Fideiubens, in ſuam libertatem eſt reſtituendus.*

10 *Vt contractus, in Foro conſcientia obligent, debent à iure approbari.*

11 *Forum internum, quando cum externo conueniat.*

13 *Matrimonij irritatio, oritur ex iure Eccleſiaſtico.*

14 *Cur Fideiubens habeat ius ad contractum reſcindendum.*

15 *Pecunia, metu extorta vt pretium iuſtum, retineri poteſt.*

16 *Hæreditatis renunciatio, metu re-*

reuerentiali facta, eſt reſcindenda.

17 *Promiſſio, eodem metu facta, in conſcientia non obligat.*

18 *Remiſſio debiti, ex deſperatione illud recuperandi, debitorem non liberat.*

19 *Blanditijs acquiſita, reſtitutioni obnoxia non ſunt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis metus leuis, in Foro externo, ita parui fiat, vt ad reſcindendum contractum, metu leui, quamuis iniuſtè incuſſo, celebratum, non concedatur actio, ſicut conceditur, quando metus eſt grauis. Eſt tamen non leuis difficultas; an eodem modo parui fiat in Foro interno Conſcientiæ; an verò metus, etiam leuis, ſufficiat ad contractum, in eo Foro reſcindendum. Videtur enim, eodem modo parui fieri, ſicut in Foro externo; & conſequenter, Principis Vxorem, ex fideiuſſione, in Foro Conſcientiæ, teneri; Ita *Azor. tom.1. lib.1.c.11. Medina c.de reſt. quæſt.3.c.2.nu.3. Tabien. v. coactio, quæſt.7. num.8.*

3 Primò; Quia fideiuſſio, quamuis fuerit facta ex metu, & non plenè libere, metus tamen fuit leuis; metus autem leuis, non ſolùm iure naturæ, ſed nec iure canonico, aut ciuili contractus reſcindit, eo quod ab vtroque iure pro nihilo reputetur: *l. nec timorem 7. ff. de eo quod metus cauſa;* & detur actio ad contractus reſcindendos ſolùm ob metum grauem, *ex c.1. de his quæ vi;* ne detur occaſio litium, ſicut daretur, ſi ob metum etiam leuem daretur actio ad contractus reſcindendos. Cum ergo fideiuſſio, facta fuerit ſolùm, ex metu leui, valida omnino fuit, nec reſcindenda; ideoque obligat in conſcientia.

4 Secundò; Quia, Vxori, in Foro externo negaretur à iure actio ad talem contractum reſcindendum, eo quod hæc concedatur ſolùm ob metum grauem, & metus Vxoris ſit leuis, ſed obligaretur ad contractum implendum; Ergo etiam, in foro conſcientiæ, obligatur ad illum implendum; Forum enim internum, & externum, ſemper conformia ſunt, quando externum non innititur falſæ præſumptioni.

5 Tertiò; Quia Matrimonium, metu leui contractum, in foro conſcientiæ, non irritatur; ſicut irritatur, quando metus eſt grauis. Ergo alij contractus eodem metu irriti in foro conſcientiæ non infirmantur, ac reſcinduntur; non minor enim libertas requiritur in Matrimonio, quam in alijs contractibus; Si ergo metus leuis, valori Matrimonij, non obſtat, neque obſtabit aliorũ contractuum firmitati. Quare, ſicut fuiſſet validum Matrimonium metu illo celebratum, ita fuit valida fideiuſſio, ipſamque vxorem obligat ad illam implendam.

6 Quartò; Quia, ſi fideiuſſio, eo metu facta, in foro conſcientiæ reſcindi poſſet, etiam reſcindi poſſet in foro externo; Iam enim Vxor haberet ius illam reſcindendi. Ergo, in Foro externo, illi iuſtè negari non poſſet actio ad illam re-

reſcindendam; alioquin forum externum, cooperaretur iniuriæ, ab incutiente metum illi illatæ, aut illam continuaret. Cum ergo in iure negetur actio ad illam reſcindendam, ſignum eſt, Vxorem non habere ius ad illam reſcindendam, & conſequenter fideiuſſionem obligare in conſcientiâ.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen; Vxorem, fideiuſſione illa ſic facta, in foro conſcientiæ non teneri, ſed poſſe illam reſcindere, quamuis omnes ſolemnitates ad illius valorem à iure requiſitæ, ſeruatę eſſent. *Sanch. lib. 4. matr. diſ. 9. num. 14. Molina tom. 2. d. 167. in fine. Reginaldus tom. 2. lib. 25. c. 4. ſ. 1. num. 33. Leſſius lib. 2. cap. 17. d. 6. num. 46. Nau. c. 17. ſum. n. 30. & c. 22. num. 51. P. Nauar. lib. 3. de reſt. c. 1. d. 7. num. 332. Sotus in 4. d. 29. ar. 3.*

8 Primò; quia, cum Vxor fideiuſſionem fecerit, metu quamuis leui coacta, per illam coactionem, iniuriam paſſa eſt, Ergo habet ius iniuriam illam à ſe repellendi, & conſequenter ab eo contractu recedendi, illumque reſcindendi, ſic enim ſolùm, & non alio modo iniuriam à ſe repellit.

9 Secundò; Quia Princeps, qui metu, quamuis leui, Vxorem ad fideiubendum coegit, iniuriam, ac iniuſtitiam ei intulit, cum ipſa haberet ius, ne ſic cogeretur; Ergo iniuſtitiam, ac iniuriam, quantum poteſt, reſarcire tenetur, & conſequenter res in priſtinum ſtatum reſtituere. Tunc autem ſolùm, cenſetur, res in ſuum priſtinum ſtatum reſtituere, cum Vxorem in ſuam priſtinam libertatem reſtituit conſtituendo illam in ſtatu, in quo omni metu depoſito, fideiuſſionem libere approbare poſſit, vel reprobare; quandiu enim in hoc ſtatu non ponitur, eius ius non manet reparatum, ſed ſemper læſum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 Neque obſtant rationes in contrarium. Nam ad primam, reſpondetur; Ex eo, quod ab vtroque iure, negetur actio ad contractus metu leui celebratos, reſcindendos, non rectè inferri, quod contractus illi, in foro conſcientiæ, firmi ſint, ac obligatorij; Nam, etiam in venditione, quando deceptio eſt infra dimidiũ iuſti precij, à iure ciuili negatur actio ad contractum reſcindendum, & tamen certum eſt, decipientem, teneri tunc reſtituere. Vt ergo contractus alioqui inualidi, aut infirmi, in conſcientiâ obliget, requiritur, vt à iure poſitiuo approbetur, vt contingit in legibus præſcriptionis; non autem ſufficit, vt ſola actio fori externi denegetur; nam hæc, à iure, plerumque denegatur ad vitandas lites, quæ alias facilè oriri poſſent, & tunc ius, tales contractus non tam approbat, quam permittit, propter bonum commune; ne ſcilicet Reſpublica, litibus perturbetur. Sicut ergo, quando in venditione, interuenit le-

læſio infra dimidium iuſti pretij, quia ius, quamuis actionem deneget, eam tamen venditionem non approbat, venditio, in foro conſcientiæ, reſcindenda eſt, & decipiens tenetur reſtituere; ita, cum in fideiuſſione, alijſque ſimilibus contractibus, interuenit coactio ex metu leui, quia ius, quamuis deneget actionem, tales tamen contractus non approbat; ideo contractus, illi, reſcindendi ſunt, in foro conſcientiæ, ratione iniuriæ, nec obligant.

11 Ad ſecundam reſpondetur; Forum externum, & internum eſſe conformia in ordine ad ea, quæ forum externum approbat, non verò in ordine ad ea, quæ non approbat, ſed ſolùm permittit, & ad quæ, ſolùm actionem denegat; quamuis in ordine ad hæc etiam, dici poſſent conformia; Eo enim ipſo, quod forum externum, contractum aliquem non approbat, ſed ſolùm permittit, cenſetur illum reputare tanquam malum, ac reſcindendum, alioquin approbaret.

12 Ad tertiam reſpondetur primò; Negando antecedens; multi enim dicunt, Matrimonium, metu leui, celebratum, eſſe inualidum; Quia metus leuis, non minus aufert plenitudinem libertatis ad Matrimonium requiſitam, quam metus grauis: quidquid tamen ſit de hoc.

13 Reſpondetur ſecundò negando conſequentiam; Reſciſſio enim aliorum contractuum, in foro conſcientiæ, oritur ex iniuſtitià admiſsà ab eo, qui metum intulit, quæ iniuſtitia, cum æquè inueniatur in metu leui, ac graui, hinc fit, vt vterque metus, ad reſciſſionem ſufficiat. At Matrimonij irritatio, non oritur ex iniurià illata, ſed ex iure Eccleſiaſtico, quod illud meritò irritauit, quando metus eſt grauis, non verò quando eſt leuis, quia ſubuenire voluit metum grauem patienti, eo quod fecerit, quod debuerit, eligendo ex duobus malis id, quod minus eſt. Subuenire autem noluit, quando metus eſt leuis, quia tunc, metum paſſus, leuiter ad rem tam grauem, motus eſt, ſicut etiam ius ciuile, iuſtiſſimè fauet grauem metum patienti, metu leui contempto.

14 Ad quartam reſpondetur; Vxorem habere, in foro conſcientiæ, ius ad reſciſſionem fideiuſſionis, quia habet ius, vt in priſtinum ſtatum libertatis reſtituatur, in quo fideiuſſionem illam liberè approbare poſſit, vel reprobare; ſicut, qui in venditione, læſus eſt infra dimidium pretij iuſti, ius habet, vel ad contractus reſciſſionem, vel ad pretium iuſtum. In foro autem externo, non negatur hoc ius, nec reprobatur, ſed ſolùm, propter bonum commune, & ad lites vitandas, negatur illi actio; in quo nulla eſt iniuſtitia, ſicut nulla eſt iniuſtitia, quod etiam læſo infra dimidium, negetur actio.

COROLLARIA.

15 Colligitur ex dictis primò; Potentem iuſtè aliquem accuſare, ſi incuſſo illi accuſationis timo-

re, aliquid ab eo extorqueat; ne accuſet, non teneri illud reſtituere quia, cum iuſtè illum accuſare poſſet, priuatur iure, & actione accuſandi, quam habebat; quod, cum ſit pretio eſtimabile, iuſtè pro eo, aliquid accipere poteſt, tanquam pretium. Hoc tamen proportionem habere debet cum iure, quo priuatur, quia ad iuſtitiam contractus requiritur neceſſario æqualitas, ac proportio inter pretium, ac rem, ſiue opus pretio eſtimabile; *Leſſius lib.* 2. *c.* 17. *d.*6. *num.*45.

16 Secundò; Quamuis renunciatio paternæ hæreditatis, facta à Filio metu reuerentiali Patris, in Foro externo, non reſcindatur, eo quod metus iſte, non ſit grauis; In foro tamen conſcientiæ, ſi ea renunciatio fiat, repugnante voluntate, ad petitionem Patris, cui non audet contradicere, & ne eum moleſtia afficiat; eſſe omnino reſcindendam, & Patrem teneri, hæreditatem ſic renunciatam reſtituere, quia metus iſte, quamuis leuis, cum ſit iniurioſus, & cauſa actus, in foro conſcientiæ, ad eum reſcindendum eſt ſufficiens. Pater enim, cum, ſua auctoritate, filij libertatem oppreſſerit, ex iuſtitià eam relaxare tenetur, ita vt filius eligere poſſit, quod ei placuerit; & ſi non faciat, iniuriam infert, & conſequenter reſtituere tenetur quidquid per talem conſenſum inuoluntarium conſecutus eſt. Quod ſi Pater eam hæreditatem nolit reſtituere, poterit filius occultè facere compenſationem. *Nauar. in ſum. c.* 17. *num.*152.

17 Tertiò; Filium, qui ad inſtantiam Patris morientis, timens eius indignationem, & ne illum in eo articulo moleſtia afficeret, promiſit, de ſuo quoddam eius debitum ſoluere, alias nullo modo promiſſurus, non teneri in foro conſcientiæ illud debitum ſoluere, quia, metu quaſi coactus, ac voluntate repugnante, promiſit; Promiſſio autem, ſic facta, in foro conſcientiæ, reſcindi poteſt, nec obligat. *Sanch. lib.*3. *matr. d.*9. *num.*16.

17 Quartò; Si aliquis, ſuo debitori partem debiti remittat, eo quod deſperet, ſe poſſe alio modo debitum recuperare, debitorem non eſſe tutum in conſcientià, ſed teneri partem debiti ſibi condonatam reſtituere; quia ea remiſſio, coactè, ac inuoluntariè, & repugnante voluntate, facta eſt, ob timorem conceptum iniuſtè toto debito carendi. Si tamen nulla interueniat fraus, vel culpa debitoris, ſed verà eius inopia cognita, Creditor, ſpe ſolutionis deſtitutus, partem debiti remittat; tunc re vera voluntariè condonat, & debitor nihil reſtituere tenetur. Idemque dicendum eſt etiam, ſi tertia aliqua perſona, cum Creditore tractans dicat; *Ego curabo, vt debitor tibi partem debiti ſoluat, ſi tu, liberali voluntate, reliquum remiſeris*; Nam, ſi ille remitiat, omnino voluntariè remittit, ac nullo modo coactè *Sanch. num.*17.

19 Quintò; Blanditijs extorta, reſtitutioni non eſſe obnoxia; Quia blanditiæ, nullo modo cauſant inuoluntarium; concupiſcentia enim

&

& amor, ſunt potius cauſa, vt voluntas maiori conatu operetur. Neque obſtat, quod amor, dicatur non minus excęcare, quam ebrietas. Nam hoc, intelligi debet ſolùm in ordine ad prudẽter, & iuxta rectam rationem operandum, non verò in ordine ad operandum voluntariè, ac liberè. *Molina tom. 1, tract. 2. d. 94.*

QVAESTIO L.

An preces importunæ, in foro conſcientiæ, contractum reſcindant.

CASVS.

1 VIR quidam nobilis, dum tranſiret per viam, videns in quadam officinà Pileum figurę, ac materię nouę, à ſe prius non viſæ; eum à Mercatore, alias amico precibus importunis, tandem gratis extorſit. Quęritur; Vtrum illum retinere poſſit, an reſtituere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Precibus importunis extorta, videntur retineri poſſe.*
5 *In Foro tamen Conſcientiæ non poſſunt.*
6 *Preces importunæ, æquiparantur coactioni.*
7 *Et in iure, etiam metui.*
8 *Nec plenam libertatem relinquunt.*
9 *Et qui propter illas aliquid facit, cum repugnantià facit.*
10 *Quid requiratur, vt dicantur importunæ.*
11 *Cur preces Pauperum non ſint importunæ.*
12 *Ludus, precibus importunis extortus, cur ſit validus.*
13 *Timor reuerentialis, precibus importunis æquiualet.*
14 *Precibus importunis, legatum impediens, tenetur ad reſtitutionem.*
15 *Licentiæ ſic à Superioribus extortæ, non valent.*

RATIONES DVBITANDI.

2 DVm agitur de metu; Quæri ſolet; an preces importunæ, illi æquiualeant in ordine ad actum vel irritandum, vel reſcindendum.

T 3 Vi-

Videntur enim non æquiualere; ſeque Virum nobilem; Pileum importunis precibus extortum retinere poſſe. Ita *P. Nauar. lib. 4. de reſt c. 5. d. 2. num. 27. Henriq. lib. 11. de matrim. c. 9. num. 5. Rodriguez p. 1. ſum. cap. 208. num. 3. Garzias lib. 2. de contr. c. 19.*

3 Primò; Quia preces importunæ non efficiunt inuoluntarium mixtũ, ſiue ſecundùm quid, alioquin Pauperes, eleemoſynam precibus importunis obtentam, reſtituere tenerentur; quod tamen nemo aſſerit. Cum ergo Vir nobilis, precibus, quamuis importunis, Pileũ, à Mercatore grats obtinuerit, illum libere, & ſine vllà coactione obtinuit; ideoque illum retinere poteſt; non minus, quàm per veram donationem obtentã.

4 Secundò; Quia trahens alium, ſolis precibus importunis, ac ſecluſo omni metu, ad ludum, lucrum deinde in ludo factum, reſtituere non tenetur, vt communiter aſſeritur. Ergo ſignum eſt, preces importunas, non cauſare inuoluntarium mixtum, obligans ad reſtitutionem; ideoque Virum nobilem, Pileum ſimilibus precibus obtentum, non teneri reſtituere.

RESOLVTIO.

5 Reſpondetur tamen; Virum nobilem, probab. lius Pileũ, precibus importunis extortum, in foro conſcientiæ, retinere non poſſe; ſed teneri illum reſtituere. *Sanch. lib. 4. matr. d. 10. num. 4. Nau. c. 16. ſum. nu. 17. & lib. 4. conſ. tit. de claud. deſponſ. cap. 3. ad. 4. num. 4. & ad. 7. num. 7. Salon. 2. 2. quaeſt. 62. ar. 2. controu. 5. concl. 3. Gutierez lib. 1. c. 37. num. 15. Syluester, v. reſtit. 2.* & alij plures apud iſtos.

6 Primò; Quia preces importunæ, æquiparantur metui, ac coactioni. *Iudic.* enim 16. dicitur; fortiſſimum Sanſonem, importunis Dalidæ precibus, coactum, detexiſſe veritatem. Ergo preces importunæ, vim habent oppreſſionis, ac vexationis, ac proinde metum incutiunt. Sed metus, & coactio leuis, in foro conſcientiæ ad reſtitutionem obligant. Ergo etiam preces importunæ, obligant ad reſtitutionem; non minus enim, reddunt donationem, ſecundum quid, inuoluntariam, quam metus leuis.

7 Secundò; Quia, etiam in iure, preces importunæ, æquiparantur metui. *In extrau.* enim *Io. 22. de præbend.* dicitur; *& improbitas importuna petentium à nobis, & prædeceſſoribus noſtris, non tam obtinuiſſe, quam extorſiſſe plerumque noſcuntur, c. fin. de reſcript. in 6.* dicitur; *per ambitioſam importunitatem petentium. & l. eum 5. C. de Apoſtat.* dicitur; *qui ſiue inuitum, ſiue ſuaſione &c.* Vbi violentia, & importuna ſuaſio, æquiparantur. Cum ergo preces importunæ, metui æquiparentur; ſequitur, illas ad reſtitutionem obligare, ſicut obligat metus.

8 Tertiò; Quia, vt contractus quicumque, rectè, & abſque iniuſtitiã celebretur, neceſſariò requiritur,

tur, vt ad illum libera vtriuſque Contrahentis voluntas concurrat. Tum quia, non eſt maior ratio, cur vna debeat eſſe perfectè libera, & non alia; Tum quia, nemo iuſtè cogi poteſt ad ſe obligandum. Ergo, ſi altera voluntas, metu, quantumuis leui, cogatur, iniuſtè, ac cum iniuriâ cogetur, ideoque cogens, metu quocumque, quantuis leui, extorta, reſtituere tenebitur. Sed etiam preces importunæ, habent vim eodem modo cogendi. Ergo ipſæ etiam, ad reſtitutionem obligabunt.

9 Quartò; Quia, non minus qui precibus importunis mouetur, ad aliquid donandum, donat inuoluntariè ſecundùm quid, & ad earum precum moleſtiam repellendam, aliàs nullo modo donaturus, quàm qui donat, metu leui coactus, ne Donatarium contriſtet, eiuſque amicitiam, qua indiget, perdat. Sed donatio iſta, reſcindenda eſt, & obligat ad reſtitutionem; Ergo & illa; Veraque enim; æquè fit, cum voluntatis repugnantiâ, & cum nolitione conditionata, qua, ſi poſſet, non daret.

10 Preces tamen, vt ad reſtitutionem obligent, ita debent eſſe importunæ, vt cauſent inuoluntarium ſecundum quid. Quod tunc contingit, cum quis, propter illas voluntate omnino repugnante, & ad vehementem importunitatem repellendam, quaſi coactus, aliquid facit; Qui enim ſic operatur, cenſetur operari ſine plenâ libertate, & cum nolitione conditionatâ, quæ ſufficit ad producendam obligationem reſtituendi, vt dictum eſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes autem in contrarium, reſpondetur; ad primam. Preces pauperum importunas, regulariter non cauſare inuoluntarium ſecundùm quid, quia paruipenduntur, & qui dat eleemoſynam, voluntariè dat, nec vult ſibi fieri reſtitutionem, cum præſertim eleemoſyna eſt paruæ quantitatis. Hinc tamen non ſequitur, alias preces importunas, nunquam cauſare inuoluntarium ſecundum quid; experientia enim conſtat, aliquid aliquando dari, propter illas, cum maximâ repugnantiâ; hæc autem repugnantia, ſignum euidens eſt, inuoluntarij ſecundùm quid; nihil enim eſt aliud, quam nolitio conditionata dandi illud, quod de facto datur.

12 Ad ſecundam reſpondetur; Eſſe diſparem rationem inter ludum, & alios contractus; Nam ludus, quãuis ſic extortus, ſit inuoluntarius ſecundùm quid, eius tamen conſenſus, eſt ſufficiens, vt contractus ſit validus ex parte attrahentis; ſicut eſt ſufficiens, vt ſit validus ex parte attracti. Et quamuis in alijs contractibus onéroſis, coactus reſciſſionem petere poſſit; in ludo tamen non poteſt, quia, cum ſit contractus, lucro, ac iacturæ expoſitus, ſpes lucrandi, & periculum perdendi, vtrinque æqualia ſunt; ideoque coactus, petere hic non poteſt quod dedit, reddendo quod accepit;

cepit; quia nihil propriè dedit, & nihil accepit; hinc ergo fit, vt aliū etiam minis attrahens ad ludendum lucrum reſtituere non teneatur, quia, ratione iniuriæ attractionis, nihil reſtituere tenetur, ſed ſolùm pati pœnam, ſi illi infligatur à Iudice; neque ratione lucri ex ludo acquiſiti; quia fuit acquiſitum per contractum omnino validum.

COROLLARIA.

13 COlligitur ex dictis primò; Quę dicta ſunt de precibus importunis, omnia à fortiori locum habere, in timore reuerentiali; quia hic, eodem modo, cauſat inuoluntarium ſecundùm quid; ex quo, oritur obligatio reſtituendi.

14 Secundò; Impedientem Legatum precibus importunis, quæ cauſent inuoluntarium ſecundum quid; teneri ad reſtitutionem, quia, ratione iniuriæ illatæ Teſtatori, illum in ſuum priſtinum libertatis ſtatum reſtituere tenetur, & conſequenter contractum extortum, vel impeditum reuocare.

15 Tertiò; Licentiam aliquid dandi, vel accipiendi, à Religioſo precibus importunis extortam, quando Superior, voluntate repugnante, & ad importunitatem repellendam, conſentit, non excuſare ipſum à vitio proprietatis, quia illa non eſt licentia, ſed violentia. *Sanch. lib. 4. d. 10. num. 9.*

QVAESTIO LI.

An peccatum ſit eſſentialiter offenſa Dei.

CASVS.

1 RVSTICVS quidam, cum inaduertentia ad Dei legem, ſæpius, in materiâ etiam graui, mentitus eſt. Quęritur; Vtrum mortaliter peccauerit, ac Deum offenderit.

SVMMARIVM.

3 *Grauiter mentiens cum inaduertentia ad Dei legem, mortaliter peccare non videtur.*

8 *Deus, quot modis conſiderari poſſit.*

9 *Quid ſit peccatum mortale, quid veniale.*

10 *Sic mentiens, Deum grauiter offendit.*

Tranſ.

11 *Tranſgreditur legem naturalem cognitam,*
12 *Virtualiter Deum contemnit.*
13 *Mendacium, eſt prohibitum quia malum.*
14 *Etiam antecedenter ad Dei legem, eſt peccatum.*
15 *Dei offenſa, eſt actio contra Dei legem, vel formaliter, vel conſequenter.*
16 *Peccatum, conſtituitur per oppoſitionem cum aliquâ lege.*
17 *Peccatum, eſt inobedientia Deo facta, vel directè, vel indirectè.*
18 *Cur circumſtantia inaduertentiæ, in confeſſione explicanda non ſit.*
19 *Quomodo omnia peccata, ſint contra Dei legem.*
20 *Etiam veniale, eſt legis præuaricatio.*
21 *Omne peccatum reddit actum inordinabilem ad vltimum finem.*
22 *Peccatum veniale, cur dicatur eſſe præter legem.*
23 *Veniale, in quo differat à mortali.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut operatio, legi internæ conformis, appellatur virtuoſa; ita quæ ei eſt difformis, ab eâque deficiens, dicitur defectuoſa, ſiue defectus, ac peccatum; eſtque nobis mala, ſicut aquæ, eſt malus calor; Sicut enim calor, eſt malus aquæ, quia eſt contra eius inclinationem ad frigus, à quo conſeruatur, ac perficitur. Ita peccatum, nobis eſt malum, quia eſt contra dictamen rationis, ſiue legem internam, quæ nos inclinat ad operationem virtuoſam, & per eam ad felicitatem. Cum autem Conſcientia, ſiue lex interna, noſtrarum operationum ſit regula immediata, vt vidimus; eius officium, ac munus eſt, non ſolùm voluntatem dirigere ad rectè operandum, iuxta menſuram libertatis, quæ illi ab ignorantiâ, ac metu relinquitur, ſed ipſarum etiam operationum perfectiones, ac defectus indicare; vtrumque enim hoc munus, eſt proprium regulæ.

3 Vt ergo Conſcientiæ, ſiue legis internæ natura, ac vis ad noſtras operationes dirigendas, melius adhuc cognoſcatur; peccati, quod illi directè opponitur, natura, ſpecies, ac proprietates, quærendæ ſunt; ſic enim fiet, vt oppoſita, iuxta ſe poſita, magis eluceſcant. Quamuis autem, certum ſit, peccati malitiam, ac eſſentiam, conſiſtere in eius oppoſitione cum conſcientiâ, ſiue lege interna, ac regula rationis; adhuc tamen dubitatur; an ſit eſſentialiter offenſa Dei; Aliqui enim hoc negant, aſſeruntque, Ruſticum, dum cum iuaduertentiâ ad Dei legem, grauiter mentitus eſt, nec Deum offendiſſe, nec mortaliter peccaſſe. Ita ſentire videntur. *D. Thom. 1. 2. qu. 71. art. 6. ad. 5. Suar. lib. 2. de legib. c. 6. num.* 17.

4 Primò; Quia offenſa Dei conſiſtit in eo, quod quis ſcienter faciat contra Dei præceptum, ac legem; Sed Ruſticus, dum mentitus eſt, ad

ad Dei legem non aduertit; Ergo mentiendo, non fecit contra illam formaliter, & conſequenter Deum formaliter non offendit.

5 Secundò; Quia *Rom.4. vbi non eſt lex, nec prauaricatio; & 1. Cor.15. virtus peccati lex*; Ergo peccatum formaliter conſtituitur per contrarietatem ad Dei legem. Cum ergo, ad hanc non aduerterit Ruſticus, dum mentitus eſt, contra illam non fecit, & conſequenter nec peccauit.

6 Tertiò; quia peccatum *ex Sancto Ambroſio de Paradiſo c.8.* eſt tranſgreſſio diuinæ legis, & inobedientia cæleſtium mandatorum, & conſequenter offenſio Superiori facta. Sed inobedientia, & offenſio neceſſariò requirunt cognitionem legis ſuperioris, cuius voluntati inobediens repugnat. Ergo ad peccatum, neceſſariò requiritur cognitio legis ſuperioris; ad quam cum ruſticus non aduerterit, conſequenter nec Deum offendit.

7 Quartò; Quia, Si ruſticus aduertiſſet, mendacium lege diuinà eſſe prohibitum, multò grauius peccaſſet, quàm aduertendo ſolùm eſſe dictamini rationis, ſiue legi naturali contrarium. Conſequens autem eſt falſum; ſi enim grauius peccaſſet, hanc circunſtantiam aduertentiæ, tanquam mutantem ſpeciem explicare teneretur, quod tamen à nemine admittitur; Ergò ſignum eſt, peccatum, ſolùm in contrarietate ad Dei legem conſiſtere.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò; Deum conſiderari poſſe, vel quatenus eſt Legiſlator; vel quatenus eſt primum Principium, ac ſupremus omnium creaturarum Dominus; vel denique quatenus eſt vltimus Finis noſter. Certum eſt, peccatum, eo ipſo quod eſt contra dictamen, ac regulam rationis, non propterea eſſe offenſiuum Dei, quatenus Legiſlator eſt; ſi enim Deus, nullum homini præceptum impoſuiſſet, adhuc mendacium, fornicatio, homicidium, & ſimilia, eſſent contra regulam, ac dictamen rationis, & tamen tunc non eſſent contra Dei præceptum, ac legem, & conſequenter neque contra Deũ vt Legiſlatorem. Similiter certum eſt, non omnia peccata, eo ipſo quod ſunt contra regulam rationis eſſe ſimul offenſam Dei, tanquam primi Principij, ac creaturarum omnium Domini, ſed ea ſolùm, quæ ſunt contra Religionem, vt ſunt blaſphemia, idololatria; &c. Deus enim, vt primum Principiũ, ac ſupremus creaturarum Dominus, habet ſolum ius, vt à creaturis colatur; Hic autem cultus, Deo debitus, non tollitur propriè per quodcumque peccatum; ſicut enim cultus, non conſiſtit in quocumque opere bono, ſed ſolùm in quibuſdam actibus; vt, in Oratione, Sacrificio, & alijs ſimilibus actibus Religionis, ita non tollitur per quodcumque peccatum, ſed ſolùm per peccata contra Religionem.

Pec-

Peccatum ergo, eo ipſo, quod eſt contra regulam rationis, eſt offenſiuum Dei, ſolùm quatenus eſt vltimus finis noſter; Eo enim ipſo, quod aliquis actus, eſt contra regulam rationis, eſt inordinabilis ad vltimum finem, ad quem tamen omnia aliquo modo referri debet; Hinc ergo fit, vt Deum offendat, quia violat ius, quod Deus tanquam vltimus finis habet, vt omnia ad eum, aliquo modo, referantur, ac ordinentur.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Non quamlibet Dei offenſam, ſufficere ad eius Amicitiam diſſoluendam, ſed requiri, vt offenſa ſit grauis; ſicut requiritur etiam inter homines. Cum enim amicitia, ſit res grauiſſima, à rebus parui momenti pendere non debet. Quare, quemadmodum, inter homines, qui amicum vel incautè ſolùm, vel in re leui offendit, iuſtam cauſam ſoluendæ amicitiæ dediſſe non cenſetur; nec propter quamcumque offenſiunculam, fit quis ſtatim Amico inimicus, eumque vſque ad mortē perſequitur. Ita inter Deum, & homines, non quælibet Dei offenſa, ſatis eſt, ad eius amicitiam diſſoluendam; neque enim probabile eſt, riſum immoderatum, aut verbum otioſum, hominem cæteroqui iuſtum, perpetuò Dei odio dignum reddere; ſed requiri vt offenſa ſit grauis. Vnde, in Euangelio, quædam peccata, rebus leuiſſimis comparantur, alia verò grauiſſimis; *Matt. 23. excolantes Culicem, Camelum deglutientes*, & *Lucæ 6. quid vides feſtucam in oculo Fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras*. Quæ autem ſint trabes, quæ faſtucæ, colligi poterit primò ex Scriptura; Si enim peccatum aliquod, in eà, dicatur excludere à regno Dei, *vt Galat. 5. Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*. Indicatur, peccatum illud, eſſe mortale, & offenſam Dei grauem. Secundò; Ex qualitate, & quantitate materiæ, quæ præcipitur, vel prohibetur. Si enim hæc, ex ſe, ſit valde vtilis ad Dei, vel proximi charitatem conſeruandam, & quantitas ſit notabilis, peccatum erit ſimiliter mortale, & offenſa grauis. Tertiò; denique, ex virtute, cui peccatum opponitur; ſi enim, per illud, grauiter lædatur aliqua virtus, ex ijs, quæ homini maximè neceſſariæ ſunt, offenſa erit grauis. Si verò peccatum aliquod, vel in Scripturà non magni fiat, vel eius materia leuis ſit, vel aduertentia imperfecta, erit tantùm offenſa leuis, ac venialis. His poſitis.

RESOLVTIO.

10 RESpondetur; Ruſticum, ſic mentiendo, mortaliter peccaſſe, ac Deum offendiſſe. *Vaſq.* 1.2. *d.96.c.2. Azor. tom.* 1. *lib.*4. *c.*1. *quæſt.*4. *Medina* 1.2. *qu.*71. *art.*6. *Aluarez* 1.2. *d.*131. *nu.* 3. *Bonac. d.*2. *quæſt.*2. *p.*1. *nu.*2.

11 Primò, Quia, ad mortaliter peccandum, ſatis eſt, transgredi legem naturalem cognitam, in re graui, alioquin omnes gentes, quæ

Deum

Deum, vel ſpecialem Dei prohibitionem ignorant, mentiendo, aut occidendo, mortaliter non peccarent, & conſequenter propter hos actus malos, non punirentur, pœnâ æternâ; quod non videtur concedendum, ſed Ruſticus ſic mentiendo legem naturalem transgreſſus eſt in re graui, ergo mortaliter peccauit.

12 Secundò; Quia actus humanus eo ipſo, quod eſt moraliter malus, & contra rectam rationem, in re graui, eſt etiam virtualiter contemptiuus Dei, vt vltimi Finis. Hic enim virtualis contemptus, eſt inſeparabilis à malitiâ morali actus, vt dictum eſt. Ergo Ruſticus, ſic mentiendo, virtualiter Deum, tanquam vltimum Finem, contempſit; ideoque illum oſtendit; Et quia materia erat grauis, offendit grauiter.

13 Tertiò; Quia, lex diuina, ideo prohibet mendacium, homicidium, adulterium, & ſimilia, quia mala ſunt. Ergo hæc, antecedenter ad Dei prohibitionem habent malitiam ſufficientem, vt conſtituantur in eſſe peccati. Ergo, quamuis Ruſticus, mentiendo, ad Dei prohibitionem non aduerterit, adhuc tamen peccauit; & Deum offendit, ſaltem quatenus eſt cuſtos legis naturalis.

14 Quartò; Quia, ſecluſa Dei lege, ſi quis mentiatur, verè inhoneſtè, ac indecenter operatur, ideoque peccat. *Rom. enim* 2. dicitur. *cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Et Deus, quamuis ſibi legem imponere non poſſit, mentiri tamen non poteſt, quia malum eſt; Ergo mendacium, antecedenter ad omnem Dei legem, eſt peccatum; ideoque potuit Ruſticus, etiam cum inaduertentia ad Dei legem, mentiendo, peccare.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 Neque obſtant rationes in contrarium; Nam ad primã reſpondetur; Dei offenſam, conſiſtere in hoc, quod quis faciat contra Dei legem, vel formaliter, vel conſequenter, non autem in eo, quod contra illam faciat formaliter; Mendacium enim, antecedenter ad omnem Dei legem, eſt in ſe malum, & peccatum. Imo propterea eſt Diuinâ lege prohibitum; quia peccatum eſt. Vnde ratio formalis, & cauſa principalis, cur ſit peccatum, non eſt lex Diuina, ſed eius contrarietas cum dictamine rationis, ſiue cum natura humana, quatenus ratione vtitur, & eius inordinabilitas ad Deum tanquam ad vltimum finem; Conſequenter verò, & indirectè, eſt lex diuina, eo quod omnia peccata, ſint etiam contra legem Diuinam, quatenus Deus præcipit, iuſtis legibus obedientiam præſtari, & omnia peccata, ſunt contra aliquam legem, vel Diuinam, vel naturalem, vel humanam; imo ideo ſunt peccata, quia aliqua ex iſtis legibus ſunt prohibita.

16 Ad ſecundam reſpondetur; ex illis Scripturæ locis, ſolùm colligi, quod peccatum eſſentialiter conſtituitur, per contrarietatem ad aliquam legem, & quod omne peccatum, eſt malum, quia aliqua lege eſt prohibitum, quod eſt veriſſimum. Nam comeſtio, tempore ieiunij, eſt mala, quia iure humano, eſt prohibita; omiſſio Confeſſionis ante Communionem, eſt mala, quia habenti conſcientiam peccati mortalis, iure diuino, præcepta eſt Confeſſio; & mendacium eſt malum, quia iure naturæ, ſiue lege naturali, eſt prohibitum. Hinc tamen non ſequi, quod omne peccatum ſit malum, quia lege Diuina eſt prohibitum; quamuis enim omnia peccata, de facto lege diuina ſint prohibita; ratio tamen formalis, cur ſint peccata, non eſt, quia lege diuina ſunt prohibita, ſed ſolùm, quia ſunt prohibita aliqua lege, vel Diuinà, vel naturali, vel humanà.

17 Ad tertiam reſpondetur; Peccatum, eſſe inobedientiam, & offenſam Deo factam, non formaliter, ſed ſolùm materialiter, & indirectè, ſiue conſequenter; neque enim ad rationem peccati, requiritur, vt ſit tranſgreſſio legis ex voluntate non obediendi Deo, ſed ſatis eſt, quod ſit contra rationem; ſic enim, eo ipſo, eſt etiam ſaltem mediatè contra Dei legem, & conſequenter inobedientia materialis, quæ ſufficit ad peccatum.

18 Ad quartam reſpondetur; Concedendo, grauius peccare eum, qui aduertenter violat Dei præceptum, quam qui nullam illius aduertentiam habet; quia tamen fere nunquam accidit, vt quis Dei legem ignoret, de ijs, quæ ſunt intrinſecè mala, & ad eam aliquo modo non aduertat; hinc eſt, vt in confeſſione, eam circunſtantiam aduertentiæ, vel inaduertentiæ explicare neceſſe non ſit.

COROLLARIA.

19 Colligitur ex dictis primò; Omne peccatum, eſſe contra Dei legem, vel indicantem, illud eſſe malum, ac peccatum; hoc enim modo, omnia peccata intrinſecè mala, ſunt contra Dei legem eorum malitiam indicantem: vel eſſe contra Dei legem, facientem, illud eſſe malum, ac peccatum: hoc enim modo, omnia, quæ ſunt mala, quia prohibita, ſunt contra Dei legem præcipientem, ſiue facientem, illa eſſe mala; cum ideo ſint mala, quia ſunt Diuinæ legi contraria.

20 Secundò; Non ſolùm peccato mortali, ſed etiam veniali, conuenire, quod ſit legis præuaricatio, ſiue quod ſit voluntas, locutio, aut operatio contra legem; Nam etiam veniale, verè eſt contra legem; Verè enim eſt contra rectam rationem, ſicut mortale; Imo eodem ſæpe præcepto prohibetur, quo mortale, vt patet in furto graui, & leui; Vnde, cum venialia, dicuntur eſſe non contra legem, ſed præter legem, intelligendum eſt, non eſſe contra legem abſolute, ſed ſolùm cum addito, ſcilicet leuiter,

&

& non notabiliter, vel non eſſe contra legem, Diuinæ gratiæ, ac amicitiæ neceſſariam; peccatis enim venialibus, Diuina amicitia non diſſoluitur, nec gratia amittitur, quamuis infirmetur, ac remittatur.

21 Tertiò; Non ſolum peccatum mortale, ſed etiam veniale, ex eo quod ſit contra rectam rationem, reddere actum inordinabilem ad vltimum finem; ad quod tamen tenetur creatura rationalis, eo ipſo, quod vult operari; Vnde etiam veniale, eſt offenſa Dei; leuis tamen, & eius amicitiam non diſſoluens.

22 Quartò; Peccatum veniale dici poſſe, præter legem, quatenus non eſt propriè contra finem legis, ſiue quatenus non priuat hominem charitate, quæ *Rom.* 13. dicitur, finis ac plenitudo legis, eo quod omnia præcepta eo tendant, vt Deum ex toto corde, diligamus, & proximum ſicut nos ipſos.

23 Quintò; Veniale, differre à mortali; primo quo ad modum tendendi in Deum; Veniale enim leuiter opponitur regulæ rationis, & conſequenter etiam legi Diuinæ; mortale verò grauiter; Secundò quo ad effectus; Nam veniale, non priuat gratia, & charitate, quamuis Deo verè diſpliceat, & ſit propriè peccatum; mortale verò, & gratiam aufert, & Diuinam amicitiam diſſoluit, ac deſtruit. Veniale meretur ſolùm aliquam pœnam temporalem; mortale verò perpetuam Diuinæ viſionis carentiam, & pœnas inferni.

24 Sextò; Peccatum mortale; v. g. Fornicationem, dici auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturam, tanquam ad vltimum finem; quia, cum ſit incompoſſibilis cum aſſecutione Dei, ac vltimi finis; eo ipſo, quod illa amatur, neceſſariò Deus, vt finis vltimus virtualiter negligitur, ac contemnitur, eique poſtponitur, atque ita grauiter offenditur. Similiter, quia eſt eſsentialiter deſtructiua amicitiæ diuinæ; eo ipſo, quod illa amatur, amicitia Diuina neceſſariò virtualiter contemnitur. In hoc autem ſenſu, peccatum veniale, dici non poteſt, auerſio à Deo. Tum quia, non tollit charitatem, quæ eſt conuerſio ad Deum; Tum quia, non impedit aſſecutionem finis vltimi. Dici tamen poteſt auerſio à Deo quaſi negatiuè, quatenus peccatum veniale, non eſt referibile ad Deum tanquam ad finem vltimum.

QVÆ-

QVAESTIO LII.

An effectus peccati, ſit peccatum.

CASVS.

1 SACERDOS quidam, aliquot diebus nauigaturus, nauim conſcendens, Breuiarium in mare proiecit. Die tamen ſequenti illum facti pænituit, & actum Contritionis elicuit. Cum autem, abſoluta nauigatione, deſcendiſſet è naui, peccatum ſuum confiteri voluit, ſed ignorabat, quomodo confiteri deberet: Num dicendo, ſe omiſſioni Officij dediſſe cauſam; an verò, ſe, toties Officium omiſiſſe. Quæritur; quomodo peccatum ſuum confiteri debeat.

SVMMARIVM.

3 *Satis eſſe videtur, in Confeſſione cauſam officij omiſſioni datam exprimere.*
6 *Ipſa tamen omiſſio, eſt explicanda.*
7 *Eſt, in ſe, & formaliter peccatum.*
8 *Et volita, ſaltem in cauſa.*
9 *Quamuis tunc in noſtra poteſtate amplius non ſit.*
10 *Vt aliquid ſit peccatum, ſatis eſt, quod ſit volitum in cauſa.*
11 *Non eſt tamen nouum peccatum.*
12 *Proiectio Breuiarij, eſt virtualis omiſſio officij.*
13 *Actus externi, quamuis indirectè ſolùm voliti, inducunt cenſuras, & obligationem reſtituendi.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVæſtio hæc, non ſolùm confert, vt peccati naturam melius cognoſcamus, ſed etiam, vt ſciamus, quomodo ſit in confeſſione explicandum. Senſus autem Quæſtionis eſt; An opus externum malum, præuiſum, ſed eo tempore factum, quo in noſtra poteſtate non eſt, ſit dicendum formaliter peccatum; an ſolùm effectus peccati. Si enim eſt peccatum, erit conſequenter in Confeſſione explicandum; Secus autem, ſi ſolùm ſit eius effectus.

3 Aliqui putant eſſe ſolùm effectum peccati, ſicut, dum homo occiditur, mors eſt ſolùm occiſionis effectus; & conſequenter ſatis eſſe in Cōfeſſione cauſam omiſſioni officij, per Breuiarij proiectionem in

in mare, datam, exprimere. Ita *Vaſq. 1.2. d.94. c.2. Azor. tom. 1. lib. 1. c. 7. quaeſt. 1. Clauis reg. lib. 2. c. 6. num. 15. & probabile putat Sanch. lib. 1. ſum. c. 16. n. 46.*

4 Primò; Quia omnia opera, quæ fiunt, quando iam non manent in noſtrà poteſtate, vt ſunt opera, quę fiunt in ebrietate, informari non poſſunt vllà malitià morali, ideoque non ſunt peccata, neque per dominationem extrinſecam à malitià cauſæ, ſed ſolùm, ſunt quidam effectus peccati præcedentis; eo modo, quo, cum quis hominem occidit, mors, non eſt peccatum, ſed effectus peccati; tandiu enim, actus externus, eſt capax malitiæ moralis exiſtentis in mala voluntate interna, quandiu eſt liber, alioqui iam denominari non poteſt malus, & peccatum, ſed ſolùm effectus malitiæ, ac peccati. Sed omiſſiones officij, conſequentes ad proiectionem breuiarij in mare, non fuerunt liberæ; vitari enim nullo modo potuerunt; Ergo non fuerunt capaces malitiæ moralis; Ideoque denominari nõ potuerunt peccata, ſed ſolùm effectus peccati, ſiue proiectionis breuiarij in mare. Ergo ſatis erit, proiectionem breuiarij in mare, & cauſam omiſſioni ſic datam, in confeſſione explicare.

5 Secundò; Quia, ſi effectus, qui ex cauſà voluntarià ſequuntur, eſſent verè, & formaliter, in ſe peccata, quando in noſtra poteſtate non ſunt; ſequeretur, Ebrium, committendo homicidium antea præuiſum, mortaliter peccare, & conſequenter amittere gratiam, quam per pœnitentiam, vel Confeſſionem antecedentem, poſt cauſam datam, fortè recuperauerat; ſimiliter eũ, qui proijcit breuiariũ ſi ſecunda die confiteatur, & gratiam recuperet, peccare mortaliter omittendo officium tertia die, ſicque gratiam, per pœnitentiam recuperatam, amittere; conſequens autem eſt falſum, quia gratia, abſque actu libero, amitti non poteſt.

RESOLVTIO.

6 Reſpondetur tamen; probabilius videri, quod non ſatis ſit dicere, ſe dediſſe cauſam omiſſioni officij, per proiectionem breuiarij, ſed quod confiteri teneatur ſe officium omiſiſſe. *Sanctus Thomas 2. 2. quaeſt. 79. ar. 3. ad. 3. & quaeſt. 150. art. 4. Sotus in 4. d. 12. quaeſt. 1, art. 7. Sanch. lib. 9. matr. d. 45. num. 28. Salas. 1. 2. quaeſt. 71. tr. 12. d. 2. ſ. 9. Becan. p. 2. tract. 2, c. 3. qu. 6. nu. 8. Comitol. lib. 5. quaeſt. 5. Tanner. 1. 2. d. 4. d. 3. num. 35. & ibi Suar. tract. 5. d. 3. ſ. 4. n. 5.* & alij plures apud illos.

7 Primò; Quia ipſa omiſſio officij verè in ſe, & formaliter, eſt peccatum, quamuis non habeat malitiam diſtinctam à malitià proiectionis breuiarij, ſed dicatur mala, & peccatum, ſolùm per denominationem extrinſecam à malitià proiectionis; Sicut actus externus, eſt in ſe, ac formaliter peccatum, quamuis denominetur tale, ſolùm à malitià voluntatis internæ. Sicut ergo

qui

qui hominem occidit, non ſatis explicat totum ſuum peccatum, dicendo, *Habui voluntatem occidendi hominem*, ſed explicare debet etiam ipſum actum externum, cum hic etiam ſit pars materialis, ac ſubiectum peccati completi; Ita qui breuiarium proiecit, & officium omiſit, non ſatis explicabit peccatum ſuum, dicendo; *Dedi cauſam omiſſioni officij per proiectionem breuiarij in mare*; ſed ipſam officij omiſſionem explicare tenebitur; nam hæc etiam, eſt verè pars materialis, ac ſubiectum peccati.

8 Secundò; Quia, vt aliquid, ſit in ſe, vere ac formaliter, peccatum, non eſt neceſsè, vt ſit, in ſe ac directè, voluntarium, ſed ſufficit, vt ſit voluntarium indirectè, & in causà; Cum quis enim, ex ignorantià culpabili, omittit ieiunium, omiſſio ieiunij, vere ac formaliter, eſt tranſgreſſio præcepti, quamuis non ſit in ſe, ac directe voluntaria, ſed ſolùm indirecte, in ipsà ignorantià, vel negligentià, tanquam in causà. Sed omiſſio officij, fuit indirecte volita, ac voluntaria in causà; Ergo vere, ac formaliter, fuit peccatum: ideoque in Confeſſione, explicanda eſt.

9 Tertiò; Quia, ſi omiſſio officij, non eſſet in ſe formaliter peccatum; hoc ideo eſſet, quia poſtquã proiectum eſt breuiarium in mare, omiſſio officij, iam non eſt amplius in poteſtate Sacerdotis. Sed hoc non obſtat; Nam, non ſolùm, emiſſio ſagittæ, ad inimicum occidendum, eſt peccatum, ſed etiam ipſa vulneratio; licet hæc, poſt ſagittę emiſſionem, non ſit amplius in poteſtate emittentis; alioqui, ſi quis emitteret ſagittam, animo vulnerandi, vel occidendi inimicum, & de facto vulneraret, aut occideret, non eſſet neceſſarium in Confeſſione exprimere, ſe inimicum vulneraſſe, vel occidiſſe, ſed ſatis eſſet dicere, ſe ſagittam emiſiſſe, animo inimicum vulnerandi, vel occidendi; Imo, ſi à Confeſſario interrogaretur, an occidiſſet, ſine mortali, dicere poſſet, ſe non occidiſſe, quia mendacium, eſſet de materià Confeſſionis non neceſſaria, ideoque ſolùm veniale. Conſequens autem, eſt contra communem ſenſum, ac praxim fidelium. Ergo omiſſio officij, vere eſt in ſe formaliter peccatum, ideoque in Confeſſione neceſſariò explicanda.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 AD rationes in contrarium reſpondetur; Ad primam; Negando maiorem; Vt enim, actus externus, dici poſſit peccatum, ſatis eſt, quod fuerit voluntarius, ac liber, in ſuà causà; alioqui peccata, ex ignorantià culpabili, commiſſa appellari non poſſent vera peccata, quod tamen eſt contra communem ſenſum, ac praxim fidelium.

11 Ad ſecundam reſpondetur; Negando ſequelam; Cum enim omiſſio officij, tertia die, non ſit peccatum, ratione ſui, voluntarium, & imputabile, ſed ſolùm per denominationem extrinſecam à volun-

luntario, ac imputabilitate cauſæ, ſiue proiectionis breuiarij in mare; quatenus hæc fuit etiam virtualiter omiſſio Officij; Sequitur, omiſſionem illam non fuiſſe propriè nouum peccatum, nec Sacerdotem gratiam amiſiſſe, quia committere nouum peccatum mortale, ſignificare videtur, ponere nouum voluntarium, nouam malitiam, & nouam imputabilitatem; hanc autem non poſuit Sacerdos, ſed ſolùm actum externum, imputabilem ratione cauſæ antecedenter poſitæ; Dici etiam poſſet, omiſſionem officij, ſecutam tertia die, poſt confeſſionem non fuiſſe amplius formaliter, & in ſe peccatum, ſicut fuerant præcedentes, quia, cum cauſa illius omiſſionis, ſcilicet proiectio breuiarij in mare, ſupponatur iam fuiſſe per pænitentiam retractata, ac interciſa; iam omiſſiones poſtea ſubſecutæ, cenſentur fuiſſe omnino inuoluntariæ, & conſequenter meri effectus neceſſarij proiectionis, antecedenter poſitæ.

COROLLARIA:

12 Colligitur ex dictis primò; Proiectionem breuiarij, non fuiſſe formalem omiſſionem officij, ſed ſolùm cauſam omiſſionis, ſiue omiſſionem virtualem, quatenus in ea formali breuiarij proiectione, includebatur virtualiter voluntas officium omittendi; tunc tamen tota culpa omiſſionis fuit contracta, quia tunc fuit poſita tota malitia; tota enim malitia propriè, eſt in voluntate omittendi officium; hanc autem, cenſetur Sacerdos habuiſſe, quãdo voluntariè dedit cauſam omiſſioni officij per breuiarij proiectionem.

13 Secundò; Actus externos, quamuis indirectè tantum voluntarios, ſiue ſint in ſe formaliter peccata, ſiue ſint ſolùm effectus peccati; inducere irregularitatem, excommunicationem, ac obligationem reſtituendi, perinde ac ſi eſſent in ſe formaliter, ac directè voluntarij; Et hoc, etiam ſi prior voluntas, fuerit per pœnitentiam interrupta. Si enim omiſſioni officij eſſet impoſita excommunicatio, Sacerdos ſingulis diebus, illam incurreret, etiam poſt contritionem; quia ad hæc incurrenda, ſatis eſt, liberam illis dediſſe cauſam, & effectum eſſe ſubſecutum. Vnde, qui hominem lethaliter vulnerauit, & poſtea confeſſus eſt, ſi vulneratus, poſtea moriatur, adhuc irregularitatẽ incurrit, quia tunc ad cauſam liberè poſitã, eſt ſubſecutus effectus.

QVÆ-

QVAESTIO LIII.

An peccati malitia, ex boni finis intentione minuatur?

CASVS.

1 TRES Milites, quandam pecuniæ ſummam furto abſtulerunt; primus, vt ex eà, exiſtenti in graui neceſſitate, ſubueniret; Secundus, vt intra terminos temperantię, lautè comederet; Tertius, vt illam pecuniam, apud ſe haberet. Queritur; Vtrum omnes tres, æque grauiter peccauerint in genere furti; an verò aliqui leuius.

SVMMARIVM.

3 *Bonitas intentionis, furti malitiam minuere non videtur.*
8 *In quo ſenſu debeat hoc intelligi.*
9 *Qui ad dandam eleemoſynam furatur, minus peccat in genere furti, quam qui ſimpliciter furatur.*
10 *Furtum, tunc eſt minus voluntarium.*
11 *Bona intentio, aliquam malitiæ ignorantiam inducit.*
12 *Et minuit rationem voluntarij.*
13 *Non per ſe, ſed per accidens.*
14 *Non directè, ſed indirectè.*
15 *Tendit in furtum ſolùm tanquam in medium.*
16 *Peccatum, non ſemper eſt minus graue, quo intentio, eſt melior.*
17 *Furtum factum ad dandam eleemoſynam, non eſt minus graue, quam factum ad lautè comedendum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 HÆc etiam Quæſtio, confert ad peccati naturam melius cognoſcendam; hinc enim patebit; an peccati malitia, adæquatè conſiſtat in eius oppoſitione cum lege internà, ſiue regulà rationis; an verò includat etiam partialiter rationem voluntarij, ita vt ex eius incremento, vel decremento, ipſa etiam augeatur, vel minuatur. Dum autem quæritur; an peccatum, ex fine bono minuatur, ſenſus eſt; an eius malitia, ex eo præciſè, quod ad aliquem finem bonum ordinetur; (ſicut, in propoſito caſu, furtum à primo milite ordinatur ad

alienam miſeriam ſubleuandam) in ſuo genere, fiat minor?

3 Aliqui putarunt, nullatenus minui; ideoq; omnes tres æquè grauiter peccaſſe. Ita *Io. Medina c. de reſtit. quaeſt. 27. Almain tr. 1. mor. c. 12. ad 2. dub.*

4 Primò; Quia furti malitia ex bonitate finis, ac intentionis, ſecundũ ſe non minuitur: *c. enim forte.* 14. *quaeſt.* 5. habetur; *ſi totum tribuat pauperibus, quod abſtulerat; addit potius peccatum, quam minuat.* Ergo omnes tres, æque grauiter peccarunt.

5 Secundò; Quia, ſi bonitas intentionis, furti malitiam minueret ſequeretur, quod, quo bonitas intentionis eſſet maior, eo etiam furti malitiã magis minueret; imo adeo creſcere poſſet intentionis bonitas, vt ex toto, furti malitiam auferret; Sicut enim, quia frigus in aquà, per introductionem caloris, ſemper minuitur, ita creſcere poteſt calor, vt ex aquà, totum auferat frigus; ita, ſi per intentionis bonitatẽ minueretur malitia in furto, adeo creſcere poſſet bonitas intentionis, vt totam à furto malitiam tandem auferret. Conſequens autem, apud omnes eſt falſum. Ergo bonitas intentionis, minuere non poteſt malitiam furti, ideoque omnia illa furta, in genere furti, æque grauia fuerunt.

6 Tertiò; Quia, ſi bonitas finis, ac intentionis, furti malitiam minueret, ideo minueret, quia furto aliquid bonitatis communicaret; ſicut ignis, minuit frigus in aquà, quia aliquid caloris illi communicat, ratione cuius, frigus remittitur. Sed impoſſibile eſt, operi malo, ex intentione, ac fine bono, aliquid bonitatis communicari; Tum quia bonitas, ac malitia in nullo gradu poſſunt eſſe ſimul, vt fusè probat *Vaſq.* 1. 2. *d.* 70. Tum quia, opus malum, reddit potius intentionem malam, quam ab ipsà bonitatem accipiat. Ergo impoſſibile eſt, minui malitiam furti, ex bonitate intentionis.

7 Quartò; Quia bonitas operis, non minuit malitiam finis intenti; Qui enim orat in Eccleſià ex intentione res Eccleſiæ furandi, non propterea, ex hoc, furti malitiam minuit, ſed potius aggrauat. Ergo è contra, neque bonitas finis intenti, minuet malitiam ipſius operis; eadem enim vtrobique videtur eſſe ratio.

NOTABILE.

8 ADuertendum eſt, non quæri hic; an ille, qui furatur ex intentione boni finis; v. g. ad dandam eleemoſynam; minus peccet, quam ille, qui furatur, ex intentione finis mali; v. g. ad fornicandum; Certum eſt enim, hunc Secundum, magis peccare extenſiue: quia furtum, non ſolùm habet malitiam furti, ſed etiam fornicationis, quã malitiam non habet furtum Primi, factum ad dandam eleemoſynam, Quæritur ergo ſolùm; an furtum, quod ſecundùm ſe, habet tantam malitiam, ſi fiat ex intentione boni finis, per hanc intentionem, reddatur minus malum, in genere furti; hoc poſito.

RE-

RESOLVTIO.

9 AD Caſum, Reſpondetur: furtum illius, qui furatus eſt, ad dandam eleemoſynam, fuiſſe minus graue, in genere furti, quam furtum illius, qui ex cupiditate alienæ pecuniæ, furatus eſt. *Vaſq.* 1.2. *d.69. Salas* 1.2. *tract.7. d.3. ſ.*11. §.5. *Azor. tom.*1. *lib.* 2. *c.*5. *quæſt.*8. *Filliuc. tom.*2. *c.*9. *num.* 339. *Caiet.* 2.2. *quæſt.*148. *art.*2. & alij communiter.

10 Primò; Quia bonitas intentionis, per accidens, ac indirecte minuere poteſt malitiam operis, Opus enim, eo ipſo, quod fit, & eſt volitum propter alium finem, eſt minus voluntarium, quam, ſi fieret, & expeteretur propter ſe; nam, eo ipſo, amatur ſolùm, quatenus vtile eſt ad alium finem; ſicque eius malitia, eſt minus voluntaria, quàm ſi gratiâ ſui appeteretur; & ideo *Ariſt.* 5. *Ethic. c.*2. dicebat; qui furatur ad mæchandum, magis eſſe mæchum, quam furem; *& D. Aug. lib. contr. mendac. c.* 8. ſtuprum ex luxuriâ, grauius eſſe, quàm ex miſericordia; quia ex luxuriâ, appetitur propter ſe; ex miſericordiâ verò appetitur propter aliud; ſi enim Virgo, ex libidine peccet, magis peccat, quam ſi ex intentione Parentum neceſſitatibus ſuccurrendi. Cum ergo furtum, factum ex bono fine pauperi ſubueniendi, ſit minus voluntarium, quàm factum ex cupiditate pecuniæ, ac propter ſe; ſequitur, quod etiam ſit malum minus graue in genere furti; operis enim malitia ex voluntarij diminutione, cenſetur minui.

11 Secundò; Quia, cum aliquod opus malum, fit ex intentione finis boni, intentio illa regulariter aliquam cauſare ſolet ignorantiam malitiæ ipſius operis; ſimplices enim, ac ignorantes, facile exiſtimare poſſunt, opus aliàs malum, factum tamen ob bonum finem, licitum eſſe, vel ſaltem eſſe minus malum; & hoc, eo facilius credere poſſunt, quo finis eſt melior; Hæc autem ignorantia malitiæ peccati, ſicut minuit rationem voluntarij, ita minuit rationem malitiæ. Imò, ſi ignorantia eſſet vincibilis, malitiam operis omnino tolleret. Cum ergo, qui furatus eſt ad dandam eleemoſynam, ratione bonæ intentionis, aliquam habuerit ignorantiam malitiæ furti, ſequitur, furtum illius, fuiſſe minus graue, quia etiam ob ignorantiam illam, fuit minus voluntarium.

OBIECTIONVM SOLVTIO:

12 NEque obſtant rationes in contrarium: Ad primam enim Reſpondetur; malitiam furti, per ſe, ac directe, minui non poſſe ex intentione boni finis; malitia enim furti, non ideo minuitur ex bono fine, quia finis bonus aliquẽ gradum bonitatis illi communicet, quo ipſa veluti remittatur, ac minuatur, ſicut remittitur frigus in aquâ, dum aliquis gradus caloris in illam introducitur; ſed quia, eo ipſo, quod furtum appetitur

propter bonum finem; eſt minus voluntarium; ideoque etiam minus malum; diminuta enim ratione voluntarij, neceſſe eſt, vt minuatur etiam malitia furti. dum autem in iure dicitur; eum, qui dat pauperibus, quod furto abſtulit, augere peccatum; hoc ideo dicitur, quia dando pauperibus, reddit ſe impotentem, ad rem ablatam, ſaltem in ſpecie reſtituendam.

13 Ad ſecundam Reſpondetur; illud argumentum, probare ſolùm, quod bonitas finis, non minuit per ſe, ac directè malitiam furti, ſicut calor in aquam introductus, minuit in eà frigus, ſed quod illam minuit ſolùm indirectè, & per accidens, quatenus furtum ordinando ad finem bonum, minuit in eo rationem voluntarij, & conſequenter etiam malitiæ; eo enim ipſo, quod aliquid appetitur propter aliud; eſt minus voluntarium, quam ſi appeteretur propter ſe.

14 Ad tertiam Reſpondetur; hoc etiam argumentum, probare ſolùm quod bonitas finis, per ſe, ac directè, furti malitiam non minuat, ſed ſolùm indirectè, ac per accidens, vel quatenus intentio bona inducit malitiæ ignorantiam, quæ illam minuit in ratione voluntarij, & conſequenter etiam in ratione malitiæ; vel quatenus ordinando furtum ad finem bonum, minuit in eo rationem voluntarij, & conſequenter etiam rationem malitiæ, quod nos non negamus.

15 Ad quartam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia intentio finis, cum ſit ratio eligendi media, fertur in finem propter ſe, vt docet *S. Thom. 1.2. quæſt. 19. art. 7.* Vnde quando intentio eſt bona, voluntas malum medium eligendi, virtute prioris intentionis, tendit in illud quaſi per accidens; ſicque eſt illi minus voluntarium, quam, ſi propter ſe, eſſet volitum, & conſequenter etiam minus malum. At, quando intentio, ſecundum ſe, eſt mala; cum ſemper voluntas tendat in finem propter ſe, quodcunque medium, ad hoc eligat, ſemper remanet eadem ratio voluntarij reſpectu finis, nec vnquam minuitur; ſi autem non minuitur ratio voluntarij, neque minuetur ratio malitiæ.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; quamuis peccatum factum ex bono fine, ſit minus graue, quam ſi fieret propter ſe ipſum; non ſemper tamen reddi minus graue, quo finis ſecundùm ſe fuerit melior; ideoque neque ex optimo fine extinguendam omnino peccati malitiam; niſi ex tali fine oriretur ignorantia inuincibilis malitiæ peccati; tunc enim per accidens ab hac, omnis malitia auferretur ab opere. Ratio autem huius rei eſt, quia, ex eo, quod finis ſit melior, ſequitur ſolùm, quod ſit magis appetibilis, non verò quod de facto magis appetatur; ex eo autem ſolùm, quod finis de facto magis appetatur; ſequitur quod opus malum, electum vt medium, ſit minus

nùs voluntarium, & conſequenter etiam minus malum.

17 Secundò, Furtum factum ad dandam eleemoſynam, non eſſe peccatũ magis graue, quã factũ ad lautè comedendum; ſiue enim fiat propter vnum, ſiue propter alium finem, ſemper eſt æque minus voluntarium, quam ſi propter ſe fieret. Ad hoc autem, parum conducit, quod finis ſit honeſtus, vel indifferens. Per accidens tamen, intentio melioris finis, poteſt eſſe cauſa minoris malitiæ, quia poteſt eſſe cauſa alicuius ignorantiæ, ratione cuius, opus factum ex intentione talis finis, apprehendatur tanquam licitum, vel minus malum, vt dictum eſt.

QVAESTIO LIV.

An peccatum ex ſe mortale, ex imperfectà libertate, fieri poſſit veniale.

CASVS.

1 DVM Titius ſeminam quandam curioſius aſpiceret, occurrit illi turpis cogitatio, & aliqui etiam motus in appetitu ſenſitiuo. Et quamuis ad eorum malitiam, aliquam habuerit aduertentiam, ob vehementem tamen diſtractionem ad alia, fuit negligens & in cogitatione repellenda, & in motibus reprimendis. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Quæ ad peccatum mortale requirantur.*

3 *Imperfecta libertas, non videtur reddere poſſe veniale peccatum, quod alias eſſet mortale.*

7 *Nec videtur explicari poſſe, in quo conſiſtat hæc ſemiplena libertas.*

8 *Quid ſint motus primo primi; quid ſecundo primi.*

9 *Quid conſenſus directus, quid indirectus.*

10 *Semiplena libertas, peccatum alias mortale, reddit veniale.*

11 *Peccatum mortale, plenam deliberationem requirit.*
12 *Ne nimis ſit difficilis ad cœlum via.*
13 *Debet eſſe plenè voluntarium.*
14 *Conſenſus imperfectus, reputatur communiter ſolùm veniale.*
15 *Homo, iuxta diuerſum ſtatum, præcepta grauiter, vel leuiter violat.*
16 *Semiplena libertas, eſt ſufficiens ad veniale.*
17 *Ideo ab eo non excuſat.*
18 *Semiplena aduertentia, in quo conſiſtat.*
19 *Ad peccatum mortale, requiritur aduertentia ad malitiam actus.*
20 *Sufficit aduertentia ad malitiam in genere.*
21 *Indicia ſemiplenæ aduertentiæ, ac libertatis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm peccatum mortale ſit eſſentialiter ſeparatiuum hominis ab vltimo fine, qui eſt Deus, diſſolutiuum amicitiæ Diuinæ; & & illatiuum pœnæ æternæ, & conſequenter offenſa Dei grauis; tria ad illud neceſſariò requiruntur. Primò, vt in eius obiecto ſit talis malitia, quæ cum vltimo fine repugnet; ſi enim malitia non eſſet talis, refundere non poſſet in actum deformitatem ſufficientem ad hominem ab eo fine ſeparandum. Quæ autem obiecta, ſint hoc modo mala, colligitur vel ex ſcripturà; vel ex mente Legiſlatoris; vel ex grauitate ipsà rei, quæ præcipitur, aut prohibetur; vel denique ex communi ſenſu Doctorum. Secundò, vt hæc obiecti malitia, perfectè cognoſcatur; ſi enim non cognoſcatur, actus in ratione mali, non erit liber. Tertiò denique, vt voluntas, in illam perfectè, vel directè, vel indirectè conſentiat; ſi enim non conſentiat, actus, in ratione mali, non erit voluntarius. Cum autem aliquod ex huiuſmodi requiſitis deeſt, peccatum, quod alias ex genere ſuo, eſſet mortale, vel nullum eſt, vel ſit veniale.

3 Dubium tamen eſt; an imperfecta libertas, quæ oritur, vel ex imperfectà aduertentià, vel ex imperfecto conſenſu, ſit ſufficiens ad reddendum veniale peccatũ, quod aliàs, ex ſe, eſſet mortale. Aliqui enim putant, non ſufficere; Ideoque Titium, turpem cogitationem non expellendo, nec motus reprimendo, vel mortaliter, vel nullo prorſus modo, peccaſſe. Ita *Ioan. Sanch. in ſelect. d 18. Medina 1.2. quæſt. 74. art. 6. docum. 5.*

4 Primò; Quia Deus ſua præcepta non imponit ſemihomini, ſed homini integro, & ſuarum potentiarum Domino, ſed Titius, dum erat ad alia vehementer diſtractus, non erat ſuarum operationum integrè Dominus, magis quam ſemidormiens, vel ſemiebrius. Ergo nullam à Deo obligationem habebat; ideoque neque venialiter peccauit.

5 Secundò; Quia Titius, dum in turpi cogitatione expellenda, & ſenſualibus motibus reprimendis, erat

erat negligens, vel plenè deliberare potuit, vel non; ſi non potuit, nullo modo peccauit; ſi potuit, iam videtur mortaliter peccaſſe. Ergo vel mortaliter, vel nullo modo peccauit.

6 Tertiò; Quia, ſi ſemiplena aduertentia potuit negligentiam alias mortalem excuſare à mortali, & facere venialem; poterit etiam, ſi feratur circa peccatum veniale, v.g. circa mendacium iocoſum, ab illo excuſare; alioquin ſemiplena deliberatio fauorabilior eſſet peccato mortali, quam veniali, quia à mortali excuſaret, & non à veniali. Cum ergo à veniali non excuſet, neque excuſabit à mortali.

7 Quartò; Quia explicari non poteſt in quo conſiſtat hæc ſemiplena aduertentia in peccato; nam conſiſtere non poteſt in difficultate ceſſandi à peccato; quia hanc experitur homo valde ad malum inclinatus, etiam cum plena deliberatione; neque in cognitione, ſiue aduertentia remiſſa ad obiectum, quia in gradu quantumcumque remiſſo dari poteſt cognitio ſufficiens ad reddendam voluntatem perfectè liberam; ergo hæc ſemiplena aduertentia proprie non datur.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò; Aliquos in nobis dari motus, qui dicuntur primo primi, quia omnem rationis vſum, ac malitiæ conſiderationem præueniunt; ideoque voluntarij non ſunt, cum voluntas non feratur in incognitum; vt cum quis die ieiunij comedit, apprehendens cibum, vel ſibi vtilem, vel ſenſui delectabilem, ſed ad prohibitionem, ac ieiunij præceptum non aduertens; Tunc enim comeſtio, cum omnem turpitudinis, ac malitiæ aduertentiam præueniat; dicitur motus primo primus. Præter hos autem, dantur etiam in nobis alij, qui dicuntur ſecundo primi, quia primis ſuccedunt, & cum aliqua malitiæ cognitione, ac aduertentiâ coniuncti ſunt; vt, cum quis aliquam habens ieiunij, ac prohibitionis cogitationem, ſiue aduertentiam comedit. Primi motus, cum voluntarij non ſint, ad culpam imputari non poſſunt; Secundi verò, cum ratione aduertentiæ ad malitiam, præcaueri poſſint, ac repelli, aliquo modo voluntarij ſunt, ideoque imputantur ad culpam iuxta menſuram ipſius aduertentiæ; Sicut enim ad peccatum, aliqua requiritur aduertentia, ita ad peccatum mortale, requiritur aduertentia perfecta; ad veniale verò ſufficit imperfecta.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Duplicem dari voluntatis conſenſum; Primus, dicitur directus, ac expreſsus, quia voluntas, per illum, directe tendit in obiectum, illud volendo; vt, cum quis, experiens aliquos motus in appetitu ſenſitiuo, illos vult ibi eſſe, in ijſque delectatur. Secundus dicitur indirectus, ſiue interpretatiuus, ac virtualis, quia, per illum, voluntas non directe fertur in ipſum obiectum, ſed vel in eius cauſam; vt, cum quis, vult curioſe legere, vel ioco-

ſe loqui, aut immoderate aſpicere; ex quibus excitari regulariter ſolent motus illi in appetitu ſenſitiuo; vel illud non impedit, cum poſſit, ac teneatur; vt, cum quis eoſdem motus experiens, illos non impedit, aut reprimit, animum ad alia diuertendo. Quamuis autem ad peccatum non ſit neceſſarius conſenſus directus in obiectum malum, ſed ſufficiat indirectus, eo quod, in moralibus, idem ſit, voluntatem velle cauſam, vel non impedire effectum, cum poteſt, ac debet, ac velle ipſum effectum; aliquis tamen neceſſariò requiritur, cùm nihil ſit peccatum, niſi ſit voluntarium; & voluntarium dicatur id, cui voluntas conſentit. Ad peccatum autem mortale, requiritur conſenſus plenus ac perfectus; ſicut ad veniale ſufficit imperfectus; nimis enim durum eſſet, hominem, propter conſenſum ſolùm imperfectum, Diuinà amicitià priuari, ac pœna æternà puniri, ſicut punitur propter mortale. His poſitis,

RESOLVTIO.

10 Reſpondetur; Titium, propter ſemiplenam libertatem, venialiter ſolùm peccaſſe. *Vaſq. 1. 2. d. 107. Nauar. in ſum. prælud. 9. Bonac. de pecc. d. 2. quæſt. 2. pun. 3. num. 2. Sanch. lib. 1. ſum. cap. 10. num. 10. Leſſius lib. 4. c. 3. d. 5. nu. 116. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 5. qu. 2. Reginal. lib. 11. cap. 5.* & alij apud iſtos.

11 Primò; Quia ex vno capite, qui ſemiplenà libertate in peccatum conſentit, liberè conſentit, & conſequenter peccat; ſed Titius cum ſemiplenà libertate turpem cogitationem, ſaltem indirecte in ipsà negligentià voluit. Ergò peccauit. Ex alio verò, peccatum non potuit eſſe mortale, quia peccatum mortale, cum Diuinam amicitiam diſſoluat, & hominem æternæ pœnæ reum conſtituat, plenam deliberationem, ac libertatem requirit, ſicut illam requirunt Diuina amicitia, ac finis vltimi adeptio, cum ſint res grauiſſimæ. Sicut ergo amicitia Diuina, per actum contritionis ſolùm ſemiplene liberum, recuperari non poteſt; ita nec per actum malum, ſolùm ſemiplene liberum, amitti; neque enim minor libertas requiritur ad gratiam amittendam, quā ad illam recuperandam.

12 Secundò; Quia, ſi quælibet aduertentia ad peccatum mortale, ſufficeret, nimis ardua, ac difficilis eſſet ad cælum via, nec Chriſti iugum ſuaue dici poſſet, ac leue. Ergo, ſicut ad peccandum, aliqua aduertentia requiritur, ità ad peccandum mortaliter, requiritur aduertentia plena.

13 Tertiò; Quia conſenſus imperfectus, imperfectè ſolùm eſt voluntarius. Ergo etiam imperfecte ſolùm erit peccatum, ideoque ſolùm veniale; Ratio enim peccati, ſicut eſſentialiter requirit rationem liberi, ac voluntarij, ita illi commenſuratur.

14 Quartò; Quia omnes communiter dum leuem negligentiam inten-

tentationibus repellendis committunt, venialiter ſolùm ſe peccare exiſtimant. Negligentia autem illa, eſt conſenſus quidam interpretatiuus, ac virtualis. Ergo conſenſus imperfectus, ex communi hominum ſenſu, eſt peccatum ſolùm veniale.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 NEque obſtant rationes in contrarium. Nam ad primam Reſpondetur; Deum homini præcepta imponere abſolutè, ipſum verò hominem, iuxta diuerſum ſtatum, in quo reperitur, illa grauiter, vel leuiter violare; Cum ergo Titius ea, ad alia vehementer diſtractus, violauerit, leuiter ſolum violauit, & non integrè.

16 Ad ſecundam Reſpondetur; Titium tunc non potuiſſe plene deliberare; hinc tamen non ſequi, quod nullo modo peccauerit, ſed ſolùm quod non peccauerit mortaliter; cum enim ſemiplenam deliberationem haberet, habebat etiã libertatem ſufficientem ad venialiter peccandum.

17 Ad tertiam; Negatur conſequentia; ſemiplena enim aduertentia excuſare poteſt à mortali; quia ad hoc ſufficit, vt opus, plena libertate, legi Dei non opponatur. At ad excuſandum à veniali, requireretur, vt libertate omnino careret; Cum ergo opus ſupponatur ſemiliberum, erit etiam ſemipeccatum, hoc eſt peccatum veniale, ac imperfectum.

18 Ad quartam Reſpondetur; ſemiplenam deliberationem, conſiſtere in cognitione confusà malitiæ, orta vel ex eo, quod quis nõdum ſit integre à ſomno excitatus: vel ex eo, quod ſit ſemiebrius, vel ex eo, quod ſit ad alia notabiliter diſtractus, vel denique ex eo, quod animum, paſſione aliqua vehementi, adeo occupatum, habeat, vt ad id, quod agit, vix attendat. Cum cognitione enim adeo confuſa dari non poteſt perfecta libertas, ſed ſolùm imperfecta.

COROLLARIA.

19 COlligitur ex dictis primò; Ad peccatum mortale non ſufficere aduertentiam ad actum malum, ſed requiri aduertentiam, & cogitationem malitiæ ipſius actus. Vt quis enim contra ieiunij præceptum peccare dicatur, non ſatis eſt, vt in die ieiunij, aduertat ſe comedere, ſed præterea requiritur vt aduertat, comeſtionem illam eſſe prohibitam; nam, ſi ad hoc non aduertat, dici non poteſt amplecti malum, ac peccatum, cum voluntas non feratur in incognitum; *Reginaldus lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 31.

20 Secundò; Vt aliquod opus ſit mortale, non requiri plenam conſiderationem malitiæ obiecti, quatenus mortalis eſt, ſed ſufficere conſiderationem, & aduertentiam ad malitiam in genere; poſità enim hac aduertentia, poteſt quis, ac tenetur inquirere, an malitia ſit grauis, vel leuis; niſi enim hoc inquirat, mortaliter peccandi peri-

riculo ſe exponit, cenſeturque, opus illud velle, quacumque malitia ſit affectum. *Vaſq.1.2. d.117. num.*14.

21 Tertiò; Aliquas aſſignari coniecturas ad cognoſcendum in dubio, num quis plenam, an verò ſemiplenam tantum aduertentiam, ac libertatem habuerit. Primò enim; ſi quis dubitet, an perfectè à ſomno fuerit excitatus, vel ebrietatem depulerit, vel cogitatione, aut paſſione aliqua vehementi, animum occupatum habuerit, iudicare poterit, ſe perfecte non aduertiſſe, nec conſenſiſſe. Hæc enim, ſicut, quando ſunt perfecta, libertatem tollunt, ita cum imperfecta ſunt, illam minuunt. Secundò, cum quis rei malæ tentationem aduertens, ſe ita diſpoſitum ſentit, vt, quamuis poſſet, non exequeretur; tunc enim ſignum eſt, vel nullum, vel imperfectum ſolùm adfuiſſe conſenſum; quia, cum potentia executiua, voluntati omnino obtemperet, ſi homo ſit ita diſpoſitus, ſignum eſt, etiam in voluntate, aut fuiſſe diſſenſum, aut imperfectum conſenſum: cum de conſenſu aliunde non conſtat. Tertiò denique, ſi homo timoratæ ſit conſcientiæ; tunc enim præſumere poterit, ſe plene non conſenſiſſe; ſicut e contra, ſi perditis ſit moribus, plene conſenſiſſe, quia à communiter contingentibus deſumitur fortiſſima præſumptio, &, ſi peccato conſenſiſſet, facile cognoſceret, cum noſtrorum actuum nobis ſit debita cognitio. *Sanchez lib.* 1. *in dec. c.*1. *num. vlt.*

QVAESTIO LV.

An peccatum ex ſe mortale, ex Superioris voluntate, fieri poſſit veniale.

CASVS.

1 IN quadam Religione, erat Conſtitutio obligans ad audiendum, ſingulis diebus, ſacrum ſub veniali. Vnus autem ex Religioſis, integro menſe, Sacrum diebus ferialibus omiſit. Queritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVM-

SVMMARIVM.

2 *Legiſlator, non videtur obligare poſſe leuiter in materiâ graui.*

7 *Sicut non poteſt lex Diuina, ac naturalis.*

10 *Nec Confeſſarius, dum pænitentiam imponit.*

11 *Poteſt tamen.*

12 *Lex, totam obligandi vim habet à voluntate Legislatoris.*

13 *Sicut Votum à Voluntate Vouentis.*

14 *Modus obligandi leuiter in materiâ graui, eſt poſſibilis, & ſæpe conueniens.*

15 *Superioris voluntas requiritur, & ad obligationem, & ad qualitatem obligationis.*

16 *Quomodo à Superioris voluntate peccati grauitas pendeat.*

17 *Virtus, non ſemper grauiter læditur.*

18 *Cur Legislator, in materiâ leui, grauiter obligare non poſſit.*

19 *Cur lex naturalis, in materia graui; leuiter obligare non poſſit.*

21 *Quomodo obligatio ſit legis effectus.*

22 *Cur Confeſſarius, leuiter obligare non poſſit in materia graui.*

23 *Lex, à Legislatoris voluntate totaliter pendet.*

24 *Materia de ſe leuis, quomodo fieri poſſit grauis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm ad peccatum mortale, requiratur in obiecto malitia grauis, vt *Quæſt. præced;* dictum eſt. Certum eſt, omiſſionem Sacri diebus feſtis, grauem malitiam continere; opponitur enim Eccleſiæ præcepto, quod Sacri auditionem præcipit ſub mortali Quæſtio igitur eſt; an hæc omiſſio, quæ ex ſe, eſt ſufficiens ad mortale, ex ſolà Legiſlatoris voluntate, fieri poſſit, materia ſolùm peccati venialis.

3 Ratio autem dubitandi eſt primò; quia, cum quodlibet peccatum mortale, ſit tranſgreſſio legis, & hæc tranſgreſſio ex Legislatoris voluntate pendeat, non videtur Legislator, poſſe in materiâ graui, obligare ſolùm ſub culpà leui; Superioris enim voluntas requiritur ſolùm ad obligationem imponendam; qualitas verò ipſius obligationis, ex rerum præceptarum grauitate, vel leuitate deſumi debet. Ergo hanc obligationem extendere, vel coarctare, à Superioris voluntate non pendet.

4 Secundò; Quia, quod peccatum ſit veniale, vel mortale, non pendet à voluntate Superioris præcipientis, ſed ex ipſis rebus præceptis; hæ enim, poſito præcepto, grauem, vel leuem deordinationem deinde ex ſe habent. Ergo ex Superioris voluntate, fieri non poteſt veniale, quod alias eſſet mortale.

5 Tertiò; Quia Superior, per ſuū præceptum, conſtituit rem præceptam

ptam in materia alicuius virtutis; ſi enim præcipiat ieiunium, illud conſtituit in materià temperantiæ; ſi Sacrum, in materia Religionis &c, Ergo qui hæc omittit, ſi grauia ſint, virtutem illam grauiter lædit, ideoque venialiter ſolùm, peccare non poterit.

6 Quartò; Quia non poteſt Legiſlator, in materià leui, obligare ſub culpà graui; talis enim obligatio, irrationabilis eſſet, ac iniuſta. Sed etiam irrationabilis, ac iniuſta eſt obligatio leuis, in materià graui; non enim proportionatur materiæ. Ergo etiam obligare nō poteſt leuiter in materià graui.

7 Quintò; Quia lex Diuina, ac naturalis, in materià graui obligare nō poteſt ſolū ſub veniali. Ergo neque lex humana; ex præcepto enim, in materià graui, naturaliter, ac neceſſario ſequi videtur obligatio grauis, cum hæc ſit illi proportionata.

8 Sextò; Quia nemo Voto ſe obligare poteſt ſolū ſub veniali, in materià graui. Ergo neque Legiſlator in materià graui obligare poteſt ſolùm ſub veniali; ideo enim voto nemo obligare ſe poteſt ſub veniali in materia graui, quia quāuis voti, ac promiſſionis obligatio ex Vouentis intentione pendeat; quantitas tamen obligationis ſumitur ex naturà rei iuxta materiæ qualitatem; totum hoc autem militat etiam in lege, cum Votum ſit lex quædam priuata.

9 Septimò; Quia obligatio, eſt quaſi effectus, qui ad legem neceſſariò conſequitur, ideo enim ſubditi, legibus obligantur, quia leges, legitimæ ſunt, ac validæ. Sed effectus, qui ad cauſam neceſſariam conſequitur, impediri non poteſt. Ergo neque obligatio grauis, poſità lege in materià graui.

10 Octauò; Quia in Sacramento Pænitentiæ, pænitens, ſub mortali pęnitentiam grauem implere tenetur, quamuis Confeſſarius illi dicat, ſe intendere illum obligare ſolùm ſub veniali; Ergo etiam, quamuis Legiſlator obligare intēdat ſolùm ad veniale, ſi materia ſit grauis, ſubditus adhuc obligabitur ſub mortali; Atque ita tenent: *Vaſquez 1.2. tom.2. d.158. c.3. num. 17. & c.4. nu.32. Bellarm. to.1. controu. p.2. contr.5. lib. 3. de Eccl. milit. c.11. in ſolut. ad pen. Aragon.2.2. quæſt.62. art.3.col.5. Reginald. lib. 15. num. 44. Sotus lib.1. de iuſt. quæſt.6. art.4.*

RESOLVTIO.

11 Reſpondetur tamen; Religioſum, ſacrum præceptum omittendo, venialiter ſolùm peccaſſe. Ita *Suar.lib.3. de legib.cap. 27. num.7. Sanch. lib.1. matr. d.9. num.6. & lib.6. ſum. c.4. num.25. Salas de legib. d. 10. ſ.7. num. 33. Valentia 1.2. d.7. quæſt.5. pun.2. quæſtiunc.2. Ioan. Sanch. in ſelect. d.15. num.16. Nau. c.73. ſumm. num.49. Bonac. d.1. de legib. qu. 1. pun.7. §.4. num.23. Leſſius lib. 2. c.41. d.9. num. 96.* & alij apud iſtos.

12 Primò; Quia legis obligatio pendet totaliter à voluntate Legiſla-

giſlatoris. Ergo, ſi Legiſlator obligare nolit ad mortale, lex ad mortale obligare non poteſt; obligatio enim extendi non poteſt vltra mentem Legiſlatoris; *ex L. ſi quis, nec cauſam*; & actus, in moralibus, non excedit intentionem Agentis; *L. non omnis. ff. ſi certum petatur*. Cum ergo conſtitutio, ſupponatur non obligare ad mortale; ſequitur, Religioſum mortaliter non peccaſſe, ſed ſolùm venialiter.

13 Secundò; Quia Votum ac promiſſio, eſt lex quædam priuata, quam promittens ſibi imponit; promittens autem, etiam in materià graui, ad ſolam culpam venialem obligare ſe poteſt; ſi enim ex ſolo defectu voluntatis ſe obligandi, ad nullam culpam obligare ſe poteſt, cum ſola voluntas ſe obligandi totius obligationis ſit menſura; cur ad ſolam culpam venialem ſe obligare non poterit, ſi ad illam ſolam velit ſe obligare. Ergo etiam lex, ad ſolam culpam venialem obligare poterit, etiam in materià graui, ſi Legiſlator ad illam ſolam velit obligare; menſura enim obligationis in lege, eſt voluntas Legiſlatoris non minus, quam voluntas Vouentis in Voto.

14 Tertiò; Quia hic modus obligandi ſolùm ſub veniali etiam in materia graui, poteſt aliquando eſſe conueniens, præſertim in Religionibus; In his enim, Superiores, ne multiplicentur obligationes graues, & cum leues ſufficiant, aliqua grauia præcipere poſſunt ſub veniali; quæ enim indecentia, aut iniuſtitia, aut exceſſus in hoc appareat? Cum ergo modus hic obligandi, & poſſibilis ſit, & ſæpe etiam conueniens; non apparet, cur negari debeat; ideoque Religioſus obligari potuit ſolùm ad veniale, & conſequenter conſtitutioné tranſgrediendo, venialiter ſolùm peccauit. Atque ita dari de facto, in aliquibus Religionibus ſimiles conſtitutiones, aſſerit *Suar. lib. 3. de legib. c. 27*.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 NEque obſtant rationes in contrarium; Nam ad primã Reſpondetur; Voluntatem Superioris, requiri non ſolùm ad imponendam obligationem, ſed etiam ad eius qualitatem; Ipſe tamen regulariter, cum aliter non explicat, cenſetur velle obligare iuxta qualitatem materiæ, & tunc ex materiæ grauitate, vel leuitate, penſanda eſt obligatio.

16 Ad ſecundã Reſpondetur; Quãuis à Superioris voluntate immediatè non pendeat, quod peccatum ſit veniale, vel mortale, pendet tamen mediatè, quatenus voluntas Legiſlatoris intendentis obligare ſolùm ad veniale facit, vt omiſſio rei præceptę, quamuis grauis, legem tamen grauiter non lædat.

17 Ad terriam; Negatur conſequentia; Virtus enim, grauiter non lęditur, niſi cum eius omiſſio grauiter eſt prohibita. In præſenti autem, auditio Sacri, eſt præcepta ſolùm leuiter, & ſub veniali.

18 Ad quartam; Negatur conſequen-

quentia; Quamuis enim Legiſlator, in materiâ leui, obligare grauiter non poſſit, quia illa voluntas obligandi, eſſet iniuſta, & ſubdito iniurioſa; poteſt tamen in materiâ graui leuiter obligare, quia ſic nullam ſubdito iniuriam infert, & aliunde obligationis diminutio legem reddit magis ſuauem, & eſt actus benignitatis in Superiore, qui, ſicut totam obligationem tollere poſſet, ita illam poteſt minuere, ac de facto minuit vt ſubdito reddatur ſuauior.

19 Ad quintam Reſpondetur; Legem naturalem obligare non poſſe leuiter in materiâ graui, quia obligatio legis naturalis, oritur ex re ipſa. Ergo, ſicut res ipſa grauis eſt, ita grauis eſſe debet obligatio. At obligatio legis poſitiuæ, totaliter pendet à voluntate Legiſlatoris. Ergo ſicut ab eo auferri pro libito poteſt, ita poteſt limitari.

20 Ad ſextam; Negatur Antecedens, ſicut enim omnis obligatio, ortum habet ab intentione Vouentis, ita oriri ab illa poteſt modo limitato, & non ſecundum omnem materiæ proportionem, ac capacitatem.

21 Ad ſeptimam Reſpondetur; Quãuis obligatio ſeruandi legem, ſit effectus legis; hunc tamen effectum coarctari poſſe pro voluntate Legiſlatoris; Legiſlator enim, ferre poteſt legem obligantem, vel quantum poteſt, vel ſolùm ſecundum minorem obligationem, quam poteſt imponere, cum hoc ab eius voluntate omnino dependeat.

22 Ad octauam; primò; Negatur Antecedens. Confeſſarius enim, pro ſuà voluntate, coarctare poteſt obligationem pęnitentiæ, nam, cum pænitentia, lex quædam ſit, ac præceptum; humanæ legis, ac præcepti conditiones ſortiri debet. Reſpondetur tamen ſecundò; Negando conſequentiam; Ratio autem diuerſitatis eſt, quia Confeſſarius, pænitentiam non imponit nomine proprio, ſed nomine Chriſti, & tanquam eius Viceſgerens. Chriſtus autem, non præſumitur velle ad grauem pænitentiam leuiter ſolùm obligare.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò; Peccatum, quod aliàs, attentà materiæ grauitate, deberet eſſe mortale, ex ſolà Legiſlatoris voluntate fieri poſſe veniale; quia poteſt Legiſlator, rem illam, quamuis grauem, præcipere ſolùm ſub veniali; in hoc autem caſu, talis legis tranſgreſſio, eſt ſolùm venialis, cum totaliter pendeat à voluntate Legiſlatoris.

24 Secundò; Etiam peccatum, quod alias, attentà materiæ leuitate, deberet eſſe veniale, ex Legiſlatoris voluntate, fieri poſſe mortale; Silentij enim violatio, vel ingreſſus in alienam cellam, quæ ſecundum ſe conſiderata eſſent ad ſummum peccata venialia; ſi accedat Superioris præceptum ſub pænà excommunicationis, fient mortalia. Tunc tamen, materiæ iſtæ, à fine præcepti redduntur graues, cum ob grauem aliquem finem prohibeantur; ſicut

ſicut eſus pomi, quamuis ſecundum ſe, res leuiſſima videretur, quia tamen prohibitus fuit in recognitionem Diuinæ Auctoritatis, & humanæ ſubiectionis, ab hoc fine, fuit redditus res grauiſſima. Et in hoc ſenſu *Clem. exiui. de verb. ſignif. & c. ex his: de verb. ſignif. in 6.* dicitur, verba præceptiua, *in reg. S. Franciſci*; indicare obligationem ſub mortali, quia præcipiunt ob finem grauem.

QVAESTIO LVI.

An peccatum ex genere mortale, ex materiæ leuitate, fieri poſſit veniale.

CASVS.

1 LEX erat in quodam Regno, ne vllus, ex eo triticum extraheret, ad vitandam famem, quæ ibi timebatur. Titius tamen nihilominus quinque tritici modios extraxit. Quęritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

3 *Quinque Tritici modiorum extractio, videtur materia grauis.*

7 *Materiæ grauitas, & leuitas, vnde deſumatur.*

8 *Eadem materia reſpectu diuerſorum, poteſt eſſe grauis, & leuis.*

9 *Quinque Tritici modios extrahere, non eſt mortale.*

10 *Lex, per hoc, grauiter non violatur.*

11 *Sicut, ſi extraheretur quantitas longe minor.*

12 *Quinque modij, reputantur materia leuis.*

13 *Eorum extractio, leuiter prohibetur.*

14 *Et Reipublicæ infert damnum leue.*

15 *Finis legis eſt, vitare damnum graue.*

17 *Quænam materia cenſenda ſit, graue damnum afferre.*

18 *Materiæ paruitas, non rectè deſumitur per comparationem ad totam rem præceptam.*

19 *Deſumitur ex fine præcepti.*

20 *Aquam, in Calice, vino non miſcere, eſt mortale.*

21 *Vna, aut altera vncia, ieiunium non frangit.*

22 *Materiæ grauitas, prudentis arbitrio penſanda eſt.*

23 *Duarum horarum labor, diebus feſtis, videtur materia leuis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut ſemiplena libertas, & Legiſlatoris voluntas, peccatum alias ex genere ſuo mortale, reddere poſſunt veniale; ita à fortiori, hoc poteſt materiæ leuitas; licet enim furtum, ex genere ſuo, ſit peccatum mortale; ſi quis tamen alteri rem modicam ſurripiat, non cenſetur communiter peccare mortaliter, quia illi graue damnum non infert. Difficultas eſt, in quo hæc materiæ grauitas, ac leuitas conſiſtat. Propterea Titius quinque tritici modios extrahendo, mortaliter peccaſſe videtur. Ita *Sanch. lib. 1. ſum. c. 4. num. 8. Victoria de poteſt. ciuili. nu. 19. Clauis reg. lib. 3. c. 7. num. 14.*

3 Primò; Quia quinque modij videntur materia grauis; Quamuis enim, ex illa Titij contrauentione Regno graue damnum non ſequatur; ſequeretur tamen, ſi idem à multis & communiter fieret. Spectari autem non debet damnum, quod ex illius contrauentione præcisè ſequitur, ſed quod ſequeretur ſi idem à multis & communiter fieret. Sed tunc eſſet materia grauis; Ergo abſolutè eſt materiæ grauis; ideoque ſufficiens ad mortale.

4 Secundò; Quia in furto datur quantitas notabilis, etiamſi quantitas illa, alicui parum noceat; centum enim aurei, ſunt materia grauis, etiamſi Regi ablati paruum illi nocumentum afferant. Ergo ſimiliter quinque modij, erunt materia grauis, quamuis Reipublicæ notabile damnum non afferant; in his enim, attendendum non videtur damnum, ſed quantitas; alioquin ſurripere mille aureos diuerſis, ſingulis vnum iulium auferendo, non eſſet peccatum mortale.

5 Tertiò; Quia, ſi quinque modij, non eſſent materia grauis, & ſufficiens ad mortale, ſequeretur, finem legis fruſtrari; nunquam enim quilibet, tantam tritici quantitatem extrahit, vt ex eà ſolà ingens Reipublicæ damnum ſequatur. Ergo nunquam violaretur finis legis, ſicque fruſtraretur.

6 Quartò; Quia, ideo, Latro Viatori quinquaginta aureos ſurripiens, iuſtè ſuſpenditur, quia, quamuis hoc damnum illatum ſemel, non ſit notabile, expedit tamen illud grauiter puniri, ne paſſim fiat; Sicque fiat notabile; Ergo ſimiliter, quamuis quinque modij, ſemel extracti, Reipublicæ, damnum notabile non afferant, expedit tamen hoc grauiter prohiberi, ne paſſim fiat, ſicque damnum fiat notabile.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; materiæ, ſiue rei præceptæ grauitatem, vel leuitatem deſumendam eſſe, non ex re ipsâ ſecundùm ſe, ſed quatenus conducit ad finem à Le-

à Legiſlatore intentum;ita vt,ſi res quæ præcipitur, vel prohibetur, ad Legiſlatoris finem grauiter conducat, eius transgreſſio ſit peccatum graue, quamuis in ſe ſit leuis; Si verò leuiter conducat,ſit peccatum veniale, quamuis materia in ſe ſit grauis: ſic enim, quía finis præcepti prohibentis furtum,eſt,ne dominus damnum in bonis ſuis patiatur, ablatio quinquaginta aureorum, eſt materia grauis, quia Dominum grauiter lædit; ablatio verò ſemiiulij, eſt materia leuis, quia Dominum notabiliter non lædit. Similiter, geſtare comam, quamuis ſecundum ſe, videatur materia leuis, ſi tamen à Prælato, propter decentiam ſtatus Eccleſiaſtici, ſub excommunicatione prohibeatur, ſit materia grauis, per ordinem ad finem à Prælato intentum. Ratio autem à priori eſt; quia, cum res præcepta, à Legiſlatore per præceptum aſſumatur tanquam medium ad obtinendum finem præcepti; in ipsà nihil aliud attenditur, quam vtilitas, & conducentia ad talem finem; hoc enim eſt, quod in medijs attenditur, & non aliud. Hinc ergo fit, vt ea, quæ ad eum grauiter conducunt, vel illum notabiliter lædunt, dicantur materia grauis, quæ verò leuiter,materia leuis. Quænam autem in particulari,grauiter, vel leuiter conducant ad finem legis, colligi poterit, vel ex re ipsà præceptà, vel ex fine, vel ex circunſtantijs, vel ex communi ſenſu Fidelium, aut Eccleſiæ, vel ex iudicio prudentum, itaut,res illa dicatur ad finem præcepti grauiter conducere, quæ iudicio Prudentum reputatur talis.

8 Aduertendum eſt ſecundò; eandem rem, quæ reſpectu vnius finis, ac præcepti, eſt materia grauis, poſſe reſpectu alterius finis, ac præcepti, eſſe materiam leuem. Si enim in aliqua Religione extaret conſtitutio ſtrictè obligans ad Sacrum ſingulis diebus audiendum, omiſſio vnius Sacri, eſſet materia grauis, quia auditio Sacri ab illà Religione ordinaretur ad ſpiritualem ſingulorum profectum, ac fructum, quo fructu priuaretur, qui Sacrum omitteret. At verò, ſi extaret ſimilis conſtitutio in Vniuerſitate aliquà, vel Academià; omiſſio vnius Sacri, non eſſet materia grauis, ſed leuis, quia tunc auditio Sacri ordinaretur, non ad fructum ſpiritualem ſingulorum, ſed ad rectam Academiæ gubernationem, pacem, ac decorem, qui finis non grauiter læditur, etiamſi Sacrum aliquando prætermittatur. Ita *Vaſq.* 1.2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *d.*158. *c. 6. num.*60. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 Reſpondetur; Titium, quinque tritici modios è Regno extrahendo, mortaliter non peccaſſe. Ita *Suar. tom.*5. *in.* 3. *p. d.* 4. *ſ.*6. *num.*11. *& d.*18. *ſ.*3. *n.*16. *& de legib. lib.* 3. *c.*25. *nu.*7. *Valent.* 1.2. *d.*7. *qu.* 5. *p.*6. *col.* 957. *Bonac. d.*2. *quæſt.*3. *p.*3. *num.* 12. *Reginald. lib.*15. *num.*30. *Vaſqu. loco cit. Molina tom.* 1. *tract.* 2. *dub.*88. *circa finem. Azor. to.* 1.

*lib.*5. *cap.* 28. & alij communiter.

10 Primò; Quia tota ratio hanc extractionem prohibendi, eſt vitatio damni Reipublicæ. Ergo, dum Reſpublica, ex tali extractione graue damnum non patitur; non fit grauiter contra illius prohibitionem: Tunc enim lex grauiter violatur, quando grauiter violatur eius finis intrinſecus. Sed finis iſtius legis, grauiter non violatur; hic enim, alius non eſt, quam vitatio damni, quod ex tali extractione non ſequitur; Ergo lex, in hoc caſu, grauiter non violatur; ideoque Titius mortaliter non peccauit.

11 Secundò; Quia ſi lex iſta grauiter violaretur, quinque modios extrahendo, ſequeretur, grauiter etiã violari, extrahendo quantitatem de ſe ſufficientem ad furtum; talis enim quantitas, de ſe grauis eſt, & ſi paſſim, ac communiter extraheretur, Regnum inde damnum pateretur; conſequens autem à nemine conceditur. Ergo, ſicut extrahere ſemimodium, non cenſetur materia grauis, quia inde Reipublicæ graue damnum non ſequitur; ita neque extrahere quinque modios, erit materia grauis, cum neque ex iſta extractione, graue damnum Reipublicæ ſequatur.

12 Tertiò; Quia Aureus, qui pro furto, reputatur communiter materia grauis, pro donatione prohibita, non reputatur materia grauis, ſed leuis; Imo, cum, in donatione, attendatur qualitas donatoris, ac donatarij, & aliæ circunſtantiæ, fieri poteſt, vt etiam donatio equi, reputetur donatio leuis, ſicuti reputatur *in c. Etſi quæſtionibus: de Simonia*. Ergo, ſicut aureus, & equus, licet reſpectu furti ſint materia grauis, reſpectu donationis prohibitæ poſſunt eſſe materia leuis, quia finem prohibitionis leuiter lædunt; ita quinque tritici modij, licet reſpectu furti, vel alterius præcepti, poſſint eſſe materia grauis, reſpectu *præcepti* extractionem prohibentis, poterunt eſſe materia leuis, cum eorum extractio, leuiter opponatur fini, in eà prohibitione, à Republicà intento, qui eſt, ne Regnum inde damnum patiatur.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes autem in contrarium Reſpondetur. Ad primam; Finem Legiſlatoris fuiſſe, vitare damnum, quod ex tritici extractione ſequi poſſet Reipublicæ, non tamen intendiſſe Legiſlatorem prohibere grauiter tritici extractionem factam ab vno, dum graue damnum Reipublicæ non cauſat, quamuis illud cauſaret, ſi à multis paſſim fieret; alioquin etiam extractio ſemimodij, imo etiam quartæ, aut quintæ partis vnius modij, eſſet mortalis, eo quod hæc etiam, ſi paſſim, ac communiter à multis fieret, notabile damnum Reipublicæ cauſaret. Cum ergo lex non obliget vltra intentionem, ac voluntatem Legiſlatoris, ſequitur, legem hanc, in hoc caſu, grauiter non obligare; ideoque Titium grauiter non peccaſſe.

14 Ad ſecundam Reſpondetur; ex fur-

furto centum aureorum, quemlibet etiam Regem, graue damnum accipere; poſſet enim plures milites, vel pediſſequos alere, quo commodo, ac vtilitate priuatur; & cum à multis eadem ſumma ſurripitur, toti illi Communitati per modum vnius damnum notabile infertur. Verùm, quamuis damnum graue non inferretur; adhuc graue furtum committeretur, quia retineretur alienum Domino notabiliter inuito, qui eſt finis immediatus iſtius prohibitionis potius, quam damnum Domini.

15 Ad tertiam Reſpondetur; Negando, finem legis adæquatè & perfectè fruſtrari; ex illà enim extractione, Reſpublica graue damnum non patitur. Finis autem Legislatoris eſt, hoc ſolum damnum vitare, vt ſuppono.

16 Ad quartam Reſpondetur; Latronem iuſtè ſuſpendi, non tam ob damnum illatum, quam ob actionem iniurioſam. At in præſenti, finis legis adæquatus eſt, vitare damnum. Hoc autem, cum graue non ſit, non apparet, vnde culpa mortalis naſci poſſit.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; nullam certam regulam ſtatui poſſe, ad definiendum, quænam mercium extractio cēſenda ſit graue damnum Reipublicæ inferre, ſed hoc penſandum eſſe prudentis arbitrio; regulariter tamen loquēdo, centum aurei, vel merces eiuſdem valoris, videntur eſſe materia grauis, ex quà, Reſpublica, damnum pati poſſit; ſicut pro donatione, materia grauis, duos vel tres aureos excedere debet. Niſi tamen Reſpublica, vel eſſet ab inimicis oppreſſa, vel magnam penuriam pateretur: Nam tunc, etiam quantitas longè minor cenſeretur materia grauis. *Molina tract.2. d.89. circa finem. Azor. tom. 1. lib.5. c.28.*

18 Secundò; Materiæ paruitatem & grauitatem, non rectè deſumi per ordinem ad totam quantitatem præceptam; ita vt, illa dicatur materia leuis, quæ, reſpectu totius quantitatis præceptæ, leuis eſt, & è contra; Nam, ſi quis quingentos, vel mille aureos in eleemoſynam diſtribuere teneatur, & retineat viginti; hæc retentio, reſpectu totius ſummæ, leuis eſt, & tamen cenſetur materia grauis, & peccatum mortale; quia grauiter conducit ad finem intentum, qui eſt alienæ miſeriæ ſubleuatio, vel pietatis exercitium. Contra verò, ſi quis ex Voto, Officium B. Virginis recitare teneatur, & duas horas omittat; hæc omiſſio, quamuis in comparatione totius officij, ſit materia grauis, cum ſit ferè tertia illius pars; abſolutè tamen cenſetur omiſſio, & materia leuis, quia non videtur grauiter, ſed ſolùm leuiter conducere ad deuotionem excitandam, & Virginem colendam, qui eſt finis intentus; idemq; dicendum videtur de tertià parte cuiuslibet horæ minoris in officio Diuino. *Bonacina d.2. de pecc. quæſt.3. pun.3. num.14.*

19 Tertiò; Ad ferendum iudicium de alicuius materiæ grauitate, vel leuitate, attendendum præcipuè eſſe finem præcepti, an ſit grauis, vel leuis, & an res præcepta ad illum ſit neceſſaria, vel non neceſſaria; res enim, quæ in ſe leuis eſt, aliquando fit grauis ratione finis, quem ſubditus ignorat. Hoc autem colligi poterit ex circunſtantijs, quibus Legislator ad præceptum ferendum motus eſt, quales ſunt; vitare ſcandalum, aut damnum commune, aut periculum vota violandi &c. In dubio tamen, an finis ſit grauis, vel res præcepta ſit ad illum neceſſaria; præſumi debet, & finem eſſe grauem, & rem neceſſariam; quia præſumptio ſtat pro communiter contingentibus; & ferè ſemper præceptum imponitur ſolùm ob finem grauem, & de materià ad illum neceſſaria. *Sanch. lib.* 1. *c*.4. *num*.3.

20 Quartò; Mortaliter peccaturum, qui aquæ guttam, vino non miſceret in Calice; quia quamuis aquæ gutta, ſecundùm ſe conſiderata, ſit materia parua; at non eſt parua, ſed magna in ordine ad myſterium, ac ſignificationem, propter quam ab Eccleſià præcipitur. Ex leui autem vel magnà vtilitate, quam res præcepta habet ad finem à Legislatore intentum, eius grauitas, vel leuitas deſumitur vt dictum eſt *Card. de Lugo de Sacr. Euch. d.*15.*ſ*.2. *num*.21.

21 Quintò; In materia ieiunij vnam aut alteram vnciam cibi communis non ſufficere ad peccatum mortale, ſed cenſeri materiam leuem, non ex eo, quod duæ vnciæ, ſint quarta pars collatiunculæ ſerotinæ, vt vult *Diana p*.5. *tract*.5. *reſ*.11. Nam paruitas materiæ non rectè deſumitur per ordinem ad totam quantitatem præceptam, vel prohibitam, vt dictum eſt. Sed quia vna, vel altera vncia leuiter ſolùm conducere videtur ad corpus alendum & eſt quid leue in genere alimenti. Eccleſia autem, per præceptum ieiunij, præcipit ſolùm abſtinentiam eorum, quæ per ſe, ac principaliter ordinantur ad corpus alendum. Vnde non præcipit abſtinentiam potus, quia hic principaliter non ordinatur ad corpus nutriendum, ſed ad ſitim ſedandam; nec abſtinentiam medicamentorum, quia hæc principaliter non ordinantur ad corporis nutritionem, ſed ad ſanitatem. *Turrianus* .*p*.1.*ſum*.*c*. 296. *d*.27. *num*.2.

22 Sextò; Etiam, quando præceptum, certam aliquam materiam, vel tempus præſcribit, materiæ grauitatem vel leuitatem, penſandam eſſe, non ex eo, quod ſit tertia, vel quarta, aut alia ſimilis pars materiæ præceptæ; ſed ex eo, quod ratione ſuæ magnitudinis, vel grauitatis, abſoluta eius omiſſio, ſecundum prudentem exiſtimationem, leuem vel notabilem afferat deformitatem in materià adæquata præcepti. Sic enim in officio Diuino, omiſſio, quæ quantitatem vnius horæ paruæ v.g. tertiæ, ſextæ, nonæ, & completorij, non attingit, cenſetur materia leuis, quia non cenſetur communiter mutilatio notabilis, nec in diuino officio, cuius

eſt

eſt pars, notabilem deformitatem afferre; hoc tamen totum ex prudenti arbitrio deſumendum, ac æſtimandum eſt, Penſatis perſonarum conditionibus, & alijs circunſtantijs, reſpectu talis materiæ. Vnde, dum communiter dicitur, illam eſſe materiam grauem, cuius violatio charitati Dei, vel proximi intelligitur contraria, hoc ipſum ad prudentis arbitrium neceſſariò reducendum eſt; ſic enim ſolùm, & non aliter diſcerni poteſt, an materia, charitati ſit contraria, nec ne. *Suar. tom. 2. de relig. lib. 5. de voto c. 4. num. 15. Caſtrop. to. 2. d. 2. p. 5. num. 1.*

23 Septimò; In diebus feſtis, in ordine ad opera ſeruilia, duas horas cenſeri materiam leuẽ, nec ſufficere ad peccatũ mortale, nõ quia ſint pars leuis reſpectu totius diei; nam materiæ leuitas, ex hoc ſolùm non rectè deducitur, vt dictum eſt; ſed quia non grauiter, ſed leuiter tantum opponuntur cultui diuino, qui eſt finis intentus à præcepto, opera ſeruilia diebus feſtis prohibente: quod totum ex communi fidelium ſenſu, ac Eccleſiæ vſu colligitur. In operibus tamen forenſibus, ac iudicialibus, materiæ grauitas, nõ ex temporis quantitate, ſed ex operis qualitate deſumitur; ſi quis enim aliquem contractum venditionis, aut locationis, ſolemniter celebraret, mortaliter peccaret, quia faceret actum irritum, quod ex ſe grauem habet deformitatem, præſertim ſi fiat à Iudice. Si verò rem aliquam parui momenti, vel ad vſum neceſſariam, venderet, venialiter ſolùm peccaret, quia iam conſuetudo obtinuit, vt hoc non ſit graue peccatum, &, ſi adſit iuſta cauſa; vt ementium, vel vendentium neceſſitas; nullum. *Caſtropalaus tom. 1. tract. 9. d. 2. pun. 3. num. 4.*

QVAESTIO LVII.

An quodlibet peccatum, ex genere mortale, fieri poſſit veniale ex leuitate materiæ.

CASVS.

1 IN Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. c.18. reform. Examinatoribus Synodalibus prohibetur, ne aliquid prorſus, occaſione examinis ad concurſum beneficiorum Parochialium, nec ante, nec poſt accipiant; alioquin Simoniæ vitium, tam ipſi, quam alij dantes incurrant. Quidam autem Sacerdos, poſt peractum examen, pomum, & quædam alia munuſcula leuia Examinatoribus donauit; Quæritur; Vtrum Sacerdos ille dando, & examinatores recipiendo, mortaliter peccauerint.

SVMMARIVM.

3 *Examinatores Synodales munuſcula recipiendo, videntur mortaliter peccaſſe.*
7 *Aliqua præcepta, admittunt materiæ paruitatem, aliqua non.*
8 *Quænam illam admittant, quæ non.*
9 *Simonia, alia iuris Diuini, alia Eccleſiaſtici.*
10 *Examinatores, mortaliter non peccarunt.*
11 *In Simonia Iuris Eccleſiaſtici, datur paruitas materiæ.*
12 *Sicut in furto, ac contumelia.*
13 *Et ſicut datur in Voto.*
14 *Eſt mala, quia prohibita, & non è contra.*
15 *In Simonia iuris naturalis, cur materiæ paruitas non detur.*
16 *Leuia munuſcula, nullo modo ſunt ſimonia.*
17 *Quæ quantitas requiratur, & ſufficiat ad mortale.*
18 *Vendens officium Sacriſtæ, an peccet contra iuſtitiam.*
19 *Ex quo argui poſſit materiæ leuitas.*
20 *In materià blaſphemiæ, non datur paruitas.*
21 *Neque in Sortilegijs.*
22 *Neque in fractione ſigilli Confeſſionis.*
23 *Neq; in formis Sacramentorũ.*

Ne-

24 *Neque in Ieiunio ad Eucharistiam prærequiſito.*
25 *Neque in ætate ad Profeſſionē, Sacros Ordines, & Matrimonium requiſitâ.*
26 *In vſura datur paruitas materiæ.*
27 *Et in Iuramento promiſſorio.*
28 *Et in operibus ad lucrandas Indulgentias iniunctis.*
29 *Et in Perſonarum acceptione, quo ad beneficia.*
30 *Et in Interruptione anni probationis, alÿſque ſimilibus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis peccatum ex genere ſuo mortale, ex materiæ paruitate fieri poſſit veniale, vt *Quæſt. præced.* probatum eſt; Quia tamen aliqua præcepta, hanc materiæ paruitatem admittunt; aliqua non admittunt; ſupereſt inquirendum, cur aliqua non admittant, & ex quo ſigno dignoſcenda ſint.

3 Aliqui enim putant, tam Sacerdotem, quam Examinatores peccaſſe peccato Simoniæ. Ideoque mortaliter. Ita *Suar. tom.* 1. *de relig. lib.*4. *c.*3. *num.* 5. *& c.* 14. *num.* 11. *Sanch. lib.* 1. *ſum. c.* 4. *num.*1. *Laym. lib.*4. *tract.*10. *c.*8. *num.*4. *Nauar. in extrau. de dat. & accept. notab.*10. *num.*20.

4 Primò; Quia ex Trid. ſimoniam commiſerunt; In materiâ autem ſimoniæ, ſicut non datur paruitas materię, ita nec datur peccatum ſolùm veniale.

5 Secundò; Quia, ſi quis vnicum *Agnus Dei*, vel Salutationem Angelicam vendat, mortaliter peccat; cuiuſcũque enim quantitatis ſit id quod ab altero recipit pro ipſo *Agnus Dei*, ſi illud recipit tanquam pretium, iam rem ſacram grauiter vilipendit, ac contemnit; nam illam pretio ſiue magno, ſiue modico, æquiparare, eſt paruam, ac vilem æſtimare: quod ſine graui ipſius rei ſpiritualis iniuria fieri non poteſt. Ergo eodem modo, quidquid Sacerdos examinatoribus donauit, fuit ſatis ad mortaliter peccandum, peccato Simoniæ.

6 Tertiò; Quia in eâ materiâ reperitur culpa mortalis, in quâ reperitur integra ratio iniuriæ, ac offenſæ; ſic enim, qui iurat, in Domo ſua pulices non reperiri, cum ſciat reperiri, grauiter peccat, quia adducit Deum in Teſtem falſitatis, non minus quam ſi mendacium grauiſſimum iuraret; & qui articulum fidei leuiſſimum negat, grauiſſimè peccat, quia æquè negat infinitam Dei veracitatem, ac ſi negaret myſterium Trinitatis; ideo enim, vterque articulus creditur, quia Deus verax, vtrumque reuelauit. Cum ergo dentur multæ materiæ, in quibus, licet paruæ ſint, reperitur integra ratio iniuriæ, ac offenſæ, vt in enumeratis, & in omnibus, quæ immediatè Deum, eiuſque honorem reſpiciunt; ſequitur, in his, non dari leuitatem materiæ. Inter iſtas autem enumerari ſolet ſimonia.

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; certum eſſe apud omnes, darī ali-

aliqua, in quibus non admittitur paruitas materiæ, & aliqua, in quibus admittitur; in iuramento enim aſſertorio, in idololatria, in ſimonià, in odio Dei, in infidelitate; & vniuerſaliter, in omnibus, quæ Deum, eiuſque honorem immediatè reſpiciunt, nulla datur materiæ paruitas, quia in his omnibus quantumuis materia ſit parua, in illa tamen inuenitur integra ratio grauis irreuerentiæ, ac iniuriæ; nam qui falſum iurat, Deum facit eſſe mendacem; qui ſimoniam committit, rem ſpiritualem pretio temporali æſtimat &c. Idemque dicendum eſt de pollutione, fornicatione, homicidio, ac ſimilibus, quæ materiæ paruitatem non admittunt, neque ratione materiæ variant iudicium, ac indecentiam. Contra verò furtum, mendacium, & ſimilia, quamuis ex genere ſuo, grauia ſint, non ſemper tamen æqualem habent indecentiam; hæc enim, ſi fiant in magnà, vel parua quantitate, variant iudicium. Denique verbum otioſum, curioſitas, ſcurilitas, & ſimilia, ex ſe ita leuia ſunt, vt non niſi ex aliquo accidente extrinſeco, grauia eſſe poſſint.

8 Aduertendum eſt ſecundò; Rationem, cur aliqua, materiæ paruitatem admittant, aliqua non admittant, deſumendam eſſe ex fine, ac motiuo præcepti, quo prohibentur; finis enim, eſt menſura cæterorum, quæ ſunt ad finem. Duo autem dantur præceptorum genera; aliqua, quæ pro fine, ac motiuo habent aliquid omnino indiuiſibile, vt præceptum prohibens periurium, ne Deus fiat teſtis falſitatis; falſitas enim, formaliter conſiſtit in indiuiſibili, nec ſuſcipit magis, aut minus. Et aliqua quæ pro motiuo, ac fine habent aliquid diuiſibile; vt præceptum prohibens furtum, ne Dominus in rebus ſuis damnum patiatur; Damnum enim habet latitudinem, & poteſt eſſe maius, aut minus. Illa ergo præcepta, quæ habent pro fine aliquid indiuiſibile, materię paruitatem non admittunt, quia quælibet materia, ſiue magna ſit, ſiue parua, æquè eſt cum illo incompoſſibilis; quælibet enim falſitas æquè Deum reddit teſtem falſitatis; ideoque æquè etiam grauiter eſt prohibita. Illa verò, quæ pro fine habent aliquid diuiſibile, materię paruitatem admittunt; quia, ſicut finis ipſe latitudinem habet, & ſuſcipere poteſt magis, ac minus; ita illud ſuſcipere neceſſario debet etiam materia, cum reſpectu illius habeat rationem medij, vt dictum eſt; Ex eo enim, quod damnum ex furto conſequens, poſſit eſſe maius, vel minus, fit, vt etiam furtum ipſum, poſſit eſſe maius, aut minus; ſicque iuxta menſuram damni, grauiter, vel leuiter prohiberi. Neque hoc fortaſſe differt in re à communi doctrina, ſi rectè explicetur, quod ſcilicet illa non admittant paruitatem materiæ, in quorum materià quantumuis parua, inuenitur integra ratio grauis offenſę, ac iniuriæ.

9 Aduertendum eſt tertiò; Duplicem dari ſimoniam, aliam, in quà ven-

venditur, vel permutatur res ſpiritualis cum temporali, tanquam cum pretio; vt ſi aliquid detur, vel accipiatur pro Sacramentis, vel pro Sanctorum reliquijs, vel pro calice, eo quod ſit conſecratus &c. & hæc, non ſolùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, ac diuino, eſt prohibita; maxima enim irreuerentia, ac iniuria fit rei ſacræ, & ſpirituali, eam temporali pretio æſtimando, cum illi æquiparetur, Aliam verò, in qua venditur, vel permutatur res annexa rei ſacræ; cum re, vel pretio temporali; vt, ſi quis aliquid det pro conſequendo officio Æconomi, vel Sacriſtæ alicuius Eccleſiæ, vel Rectoris, aut Gubernatoris alicuius Hoſpitalis; aut aliquid det, vel accipiat occaſione examinis &c. & hæc, iure ſolùm Eccleſiaſtico, eſt prohibita; Eccleſia enim, ſicut reddere poteſt aliquem immunem à Laicà poteſtate, prohibendo, ne capiatur in Eccleſia, ita vt, ſi capiatur, ſarilegium committatur; ita prohibere poteſt, ne res aliqua rei ſacræ annexa vendatur, in ipſius rei ſacræ reuerentiam; atque ita prohibuit permutationem vnius beneficij cum alio ſine Superioris auctoritate, & reſignationem beneficij propria auctoritate factam, cum reſeruatione penſionis, & acceptionem alicuius rei occaſione examinis. His poſitis.

RESOLVTIO.

10 Reſpondetur; neque dantem munuſcula occaſione examinis neq; accipientes mortaliter peccaſſe. *Molina tract.2. d.92. Reginald. tom. 2. lib.23. cap.11. q.5. num.166. & c. 15. ſec.3. nu.210. Azor. p.3. lib.12. c.28. p.1. qu. 3. Bonac. de legib. d.10. quæſt.2. p.8. §. incid. num.12. Nauar. loc. cit. & notab.3. ad finem Sanch. lib.2. ſum. cap.8. num. 17.* & alij apud iſtos.

11 Primò; Quia hæc ſimonia non eſt iuris naturalis, cum in eà non vẽdatur aliquid ſpirituale pro pretio temporali; ſed ſolius iuris Eccleſiaſtici, cum in ea intercedat ſolùm permutatio rei temporalis cũ temporali. In hac autem, nulla eſt ratio, cur non admittatur paruitas materiæ; ratio enim, quod res ſpiritualis, & ſacra æquipararetur temporali, ac vili, hic non militat, cum hic permutetur res temporalis cum temporali; neque hæc permutatio eſt prohibita, quia mala, ſed potius eſt mala, quia eſt ab Eccleſià prohibita. Cum ergo munuſcula data, & accepta, ſupponantur leuia, ſequitur, eorum dationem, & acceptionem, fuiſſe ſolùm venialem ex paruitate materiæ.

12 Secundò; Quia, peccatum ex genere ſuo mortale, fieri poteſt veniale ex leuitate materiæ, cum nihil obſtat; atque hæc eſt regula generalis. Sic enim furtum ex genere ſuo mortale, in materià leui eſt

ſo-

ſolùm veniale; idemque dicendum eſt de contumelia, detractione, percuſſione, &c. Ergo etiam ſimonia iuris poſitiui Eccleſiaſtici, quamuis ex genere ſuo ſit mortalis, ex leuitate tamen materiæ fieri poterit venialis; nihil enim magis hic obſtat, quam in furto; imo, ſi in furto, quod iure naturali negatiuo eſt prohibitum, paruitas materiæ admittitur, nulla eſt ratio, cur non admittatur in ſimonià iuris Eccleſiaſtici, quæ, iure tantum humano eſt prohibita.

13 Tertiò; Quia in Voto admittitur leuitas materię; qui enim vouit dare centum pauperibus; ſi vnum, aut alterum iulium omittat, non propterea mortaliter peccabit. Ergo à fortiori admittenda erit in ſimonia iuris tantum Eccleſiaſtici; non minus enim violatio Voti, eſt ſacrilegium, quam Simonia; nec minus Votum, eſt factum ex motiuo religionis, quam ex eodem motiuo ſit prohibita Simonia iuris Eccleſiaſtici; neque vlla apparet ratio, cur in vno admittenda ſit materiæ paruitas, & non in alterà. Cũ ergo munuſcula, ſupponantur fuiſſe materia leuis, tam qui dedit, quam qui acceperunt, venialiter ſolùm peccauerunt.

OBIECTIONVM SOLVTIO:

14 NEque obſtant rationes in contrarium. Nam ad primam, & ſecundam; Reſpondetur; argumenta illa optimè probare de ſimonia iuris naturalis, & Diuini, in quà aliquid ſpirituale, ac ſacrum permutatur pro temporali; ſecus autem de ſimonia iuris tantum poſitiui Eccleſiaſtici, in quà aliquid temporale permutatur pro temporali, & quæ non eſt prohibita, quia mala, ſed potius mala, quia prohibita; in hac enim, nulla apparet ratio, cur non admittenda ſit materiæ paruitas, *ſicut in* alijs iuxta regulam generalem.

15 Ad tertiam Reſpondetur; In caſibus quidem enumeratis, non dari paruitatem materiæ, quia præcepta illa habent finem indiuiſibilem, vt conſideranti patebit; & ideo in quacunque paruà materià reperitur integra ratio irreuerentiæ, ac iniuriæ grauis, & propter eandem rationem, nec dari in ſimonià iuris naturalis, ac diuini, quia ſemper, pretio temporali, res ſpiritualis æſtimatur. At ratio iſta, non militat in ſimonia iuris poſitiui Eccleſiaſtici; hæc enim, ideo ſolùm eſt mala quia prohibita; ideoque in illa, nulla eſt ratio, cur non admittatur materiæ paruitas, ſicut in ieiunio, alijſque ſimilibus præceptis Eccleſiaſticis. Sicut ergo, comedere tantillum carnis in Quadrageſima, ob materiæ paruitatem excuſatur à mortali; ita donare Examinatoribus munuſcula, ob eandẽ materiæ paruitatem à mortali excuſabitur.

COROLLARIA.

16 COlligitur ex dictis primò; Paruitatem rei temporalis, quæ datur, vel accipitur pro re ſpirituali, excuſari à quacumque ſimonià

nià, etiam ex alio capite, quia ſcilicet id, quod modicum eſt, pro nihilo reputatur, nec dari ſolet in pretium, ſed ſolùm beneuolentiæ, ac honeſtatis gratia; ſic enim habetur *in c. Etſi Quæſtiones: de ſimonia* §. *finali*; Huiuſmodi autem paruitas, non eſt æſtimanda ex eo, quod non ſufficiat ad furtum, ſed ex eo, quod non ſit tanta, vt probabiliter præſumatur, recipientem motura ad aliquid iniquum faciendum.

17 Secundò; Licet dari poſſit quantitas tam magna, vt ſit ſufficiens ad peccatum mortale ſimoniæ, per ius Eccleſiaſticum introductæ, & tam parua, vt à mortali excuſet; nihilominus ſtatui non poſſe regulam aliquam generalem ad dignoſcendum, quænam ſit illa quantitas, quæ ſufficit ad peccatum mortale, ita vt minor non ſufficiat, ſed in caſibus particularibus, arbitrio prudentis viri iudicandum eſſe; ſicut accidit etiam in materia furti.

18 Tertiò; Si quis vendat officium Sacriſtæ, vel Æconomi, acceptà pecunià; mortaliter nõ peccare contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra Religionem; ideoque nihil teneri reſtituere; quia officium illud, ſecundum ſe, eſt pretio æſtimabile, & qui illo ſe ſpoliat, temporale incommodum ſubit; & ſi non eſſet Eccleſiæ prohibitio, talis venditio, neque iniuſta eſſet, neque illicita. Quamuis ergo, ob Eccleſiæ prohibitionẽ, officium illud vẽdendo, peccet contra Religionem, & ſimoniam committat; non tamen peccat contra iuſtitiam, & conſequenter nihil reſtituere tenetur. Idemque dicendum eſſet, de Examinatoribus Synodalibus, ſi aliquid acciperent per modum liberalis donationis; illud enim reſtituere non tenerentur, quia illud accipiendo, peccarent ſolùm contra Religionem, non verò contra iuſtitiam.

19 Quartò; Ad cognoſcendum, an in tranſgreſſione alicuius præcepti detur materia leuis, quæ culpam tantummodo venialem conſtituat, hanc ſtatui poſſe tanquam regulam vniuerſalem. Vt, quoties finis alicuius præcepti, conſiſtit in indiuiſibili, toties in eius tranſgreſſione, non detur materiæ leuitas, propter rationem ſuperius *num.* 8. indicatam, quoties verò finis eſt diuiſibilis, & habet moralem latitudinem, ac ſuſcipere poteſt magis & minus; toties, in eius tranſgreſſione, detur materiæ paruitas, & venialiter tantum peccari poſſit. An verò finis aliquis conſiſtat in indiuiſibili, aut moralem habeat latitudinem; vel ex naturà ipſius finis, vel ex circunſtantijs, vel ex communi Eccleſiæ, ac Fidelium ſenſu, vel ex Doctorum, ac prudentum iudicio, colligendum erit. Quia tamen hæc regula melius apparebit, ſi materijs particularibus applicetur; ideo.

20 Quintò; Deducitur in materià blaſphemiæ, non dari paruitatem materiæ; Tum quia, in qualibet blaſphemia, reperitur integra ratio grauis iniuriæ Diuinæ, quæ propterea conſiſtit in indiuiſibili; Blaſphe-

ſphemia enim, eſt verbum contumelioſum in Deum, vel falſa ei tribuens, vel vera negans, vel creaturis tribuens, quod Deo ſoli debetur, cum animo eum directè, vel indirectè inhonorandi; æque autem inhonoratur Deus, ſiue illi falsò tribuantur res magnæ, ſiue paruæ. Tum quia, ſi quælibet maledicta à perſona vili in Magiſtratum, aut Senatorem prolata, cenſentur iniuria grauis. *L. Prætor. §. atrocem ff. eodem.* quanto magis cenſenda erit grauis iniuria, quæ Deo ab homine, per blaſphemiam infertur. *Valentia tom. 3. d. 1. qu. 13. par. 1.*

21 Sextò; Neque in ſortilegijs, dari paruitatem materiæ; quia, cum ſortilegium, tacitā vel expreſſam Dęmonis inuocationē cōtineat, eſt de ſe ſemper mortale, ſiue deinde in re ludicrà, & parua, ſiue in magna inuocetur Dęmon. Ratione tamen ignorantię, excuſari poteſt à mortali; Vt, ſi quis tacitam inuocationem aut ignoret, aut non aduertat; quod aliquando contingere poteſt, eo quod inuocatio ſit valde occulta. Si tamen occurrat aliqua ſuſpicio; tunc datur obligatio abſtinendi, donec res melius cognoſcatur; quod ſi non fiat, erit veniale, vel mortale iuxta menſuram negligentiæ in inquirendo; vt patet ex dictis ſupra de ignorantià *Leſſius lib. 2. c. 44. d. 4. num. 26.*

22 Septimò; Neque in fractione ſigilli Confeſſionis, dari paruitatem materiæ; Tum quia, obligatio celandi peccata in Confeſſione audita, non oritur ex eo, quod peccata audita, ſint magna; ſed ex eo, quod ſecretum, ſit maximi momenti, ne homines à Confeſſione retrahantur. Æque autem violatur ſecretum, per reuelationem venialium, ac per reuelationem mortalium. Tum quia, non ſolùm mortalium, ſed etiam venialium reuelatio, eſt abſolutè reuelatio Confeſſionis; ſicut non ſolùm mortalium, ſed etiam venialium confeſſio, eſt abſolutè Sacramentalis confeſſio. *Baldell. lib. 3. d. 14. num. 13. Malderus de ſigillo c. 3.*

23 Octauò; Neque in formis Sacramentorum, dari paruitatem materiæ quoad mutationem, aut omiſſionem verborum eſſentialium; Quia, Sicut quælibet omiſſio, vel mutatio tollens ſenſum formæ, ſufficit ad Sacramentum irritandum: ita ſufficit ad mortaliter peccandum. Si tamen omittantur aliqua verba non neceſſarià, vt, in conſecratione hoſtiæ, particula; enim; vel in formà baptiſmi particula; ego; tunc, ex genere ſuo, & ſecluſo ſcandalo, non erit niſi veniale quia hæc cenſetur materia leuis. *Hurtadus de Sacr. in genere d. 1. diffic. 14.*

24 Nonò; Neque dari paruitatem materiæ, in ieiunio ad Euchariſtię ſumptionem præreguiſito; quia Eccleſia præcipit, ne Euchariſtia, poſt cibum, vel potum ſumatur, vt ſignificetur, Chriſtum eſſe primum cibum fidelium. Eodem autem modo violatur hoc præceptum, ſiue cibus, aut potus in paruà, ſiue in magnà quantitate ſumatur; quamuis enim vnica mica panis, aut

aut aquæ gutta ante Euchariſtiam ſumeretur, hoc ſufficeret, vt Euchariſtia diceretur, poſt cibum, aut potũ ſumpta; ſi quis tamen per modum reſpirationis, tabacchi fumum aut carnium vaporem ex ollà aſcẽdentem attraheret, ieiunium naturale non violaret; ſicut nec violaret, qui aliquid per modum ſaliuæ traijceret, vel lignum, aut lapillum, & ſimilia, quæ à ſtomaco alterari non poſſunt; quia, cum hæc omnia non habeant rationem cibi, vel potus, Euchariſtia, poſt illa, ſumpta, dici non poteſt, poſt cibum vel potum ſumpta. *Card. de Lugo de Euch. d. 15. ſ. 2. num. 22.*

25 Decimò; Neq; dari paruitatem materiæ in ætate ad Profeſſionem, Sacros Ordines, ac Matrimonium requiſità; Quia ætas, in his, cum à iure præſcribatur, ac taxetur, cõſiſtere debet in indiuiſibili, ſicut conſiſtit pretium, cum à iure taxatur. Regulæ autem illæ. *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; parum pro nihilo reputatur*, & ſimiles; valent ſolùm in ijs, quæ à iure non præſcribuntur, quia tunc, illud parum, non requiritur ad præceptum implendum; nam, quando requiritur, non eſt amplius moraliter parum; alioquin, ſi quis, poſt mediam noctem diei Iouis, per Orationem Dominicam, carnes comederet, mortaliter non peccaret, quia parum pro nihilo reputatur, quod tamen nemo concedit. Requiritur ergo ad profeſſionem, annus 16. omnino completus; ad Sacerdotium 24. poſt hunc enim ordinandus ſtatim dici poteſt attingere. 25. Et ad Matrimonium, in Viro, annus 14. & in Fœmina, 12. Quod autem dictum eſt de ætate, dicendum eſt etiam de probationis anno, ad profeſſionem prærequiſito. Nam hic etiam *ex Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de regul.* debet eſſe completus, antequam emittatur profeſſio. Ad Matrimonium tamen, docent communiter Doctores, ſufficere, quod vltima dies anni 12. in fæmina, & 14. in Viro, ſit inchoata, quamuis non ſit completa, quia in fauorabilibus, dies cœptus habetur pro completo. *L. quà ætate. ff. de teſtam. ita Nauarr. conſ. 6. Sanch. lib. 7. de matr. d. 104 num. 2.*

26 Vndecimò; In Vſura dari paruitatem materiæ, non minus quam in furto, quia tota Vſuræ malitia conſiſtit in hoc, vt aliquid accipiatur vltra ſortem; ſicut malitia furti conſiſtit in hoc, vt ſurripiatur alienum; ſicut ergo in furto datur paruitas materiæ, quia alienum, quod ſurripitur, poteſt eſſe notabile, vel leue; ita dabitur in vſura, cum in ipsà quoque illud aliquid, quod accipitur vltra ſortem, poſſit eſſe notabile, vel leue.

27 Duodecimò; Licet in iuramento aſſertorio, non detur materiæ paruitas, quia ſiue mendacium ſit leue, ſiue ſit graue, ſemper eodem modo Deus adducitur in teſtem falſitatis; In promiſſorio tamen dari; Tum quia, in eo, obligatio æſtimari non poteſt independenter à qualitate materiæ, ſicut in aſſertorio, ſed ſolùm dependenter ab illa; ſi enim res ſub iuramento pro-

promiſſa, ſit mala; eam non implere, nullum erit peccatum; Materia autem poteſt eſſe grauis, vel leuis; in quo caſu, ſi ſit grauis, grauiter obligabit, leuiter, ſi ſit leuis, & nullo modo, ſi ſit mala. Tum quia violatio voti circa materiam leuem, non eſt niſi peccatum veniale, cum ſit parua materia fidelitatis, ac religionis, nec ſimilis promiſſio facta homini, imo neque lex ipſa, ſiue diuina, ſiue Eccleſiaſtica de ſimili materià, obliget niſi leuiter; ergo à fortiorì etiam violatio iuramenti promiſſorij de re leui, erit peccatum ſolùm veniale; maior enim eſt obligatio Voti, quam iuramenti, vt docet *D. Thomas*. 2. 2. *quæſt*. 89. *art*. 8. Tum denique, quia iuramentum, eſt acceſſorium promiſſioni. Ergo non magis obligat, quam promiſſio. Acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. *Sanch. lib. 3. ſum. c. 4. num*. 23.

28 Decimotertiò; In operibus iniunctis ad lucrandas indulgentias, dari materiæ paruitatem, Si enim opus iniunctum, ſit vna miſſa, v. g. quamuis quis minimam eius partem omittat, adhuc indulgentiam probabiliter lucrabitur, quia moraliter loquendo, totum opus præſcriptum poſuiſſe cenſetur, eo quod in moralibus, parum pro nihilo reputetur. Si tamen pars illa, quamuis in ſe minima, reſpectu totius operis iniuncti, ſit pars notabilis; vt, ſi quis veſpere, dum datur ſignum trinæ Salutationis Angelicę, vnam ex illis omitteret, plenariam indulgentiam *ab Adriano VI*. recitantibus conceſſam, nō lucraretur, quia totum opus iniunctum moraliter non poneret; idéque contingeret, ſi plura tanquam conditio indiuiſibilis imponerentur; vt, ſi imponeretur quatuor, aut ſeptem Eccleſiarum viſitatio, aut quid ſimile, tunc enim, qualibet earum omiſsà, indulgentia non obtineretur, quia non poneretur opus iniunctum. *Suar. tom*. 4. *in tertiam partem diſp*. 52. *ſ*. 4. *n*. 4.

29 Decimoquartò; Probabile eſſe quod in Perſonarum acceptione quoad beneficia conferenda, dari poſſit paruitas materię; ſi quis enim omiſſo digniori, beneficium aut cathedram conferat digno, iuſtitiam diſtributiuam grauiter violare non videtur, ſi dignitatis exceſſus modicus ſit. Tum quia, quamuis electio dignioris ſit materia præcepti; hæc tamen non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, ſicut illam habet res aliena. Sicut ergo res aliena, poteſt eſſe notabilis, vel leuis, ita maior dignitas, eſſe poteſt leuiter, vel notabiliter maior, ſicque venialiter, vel mortaliter peccari, iuxta quantitatem exceſſus. Idem autem dicendum eſt etiam, dum quis, in graui neceſſitate, eleemoſynam largitur propinquo, omiſſo propinquiore, & in alijs ſimilibus; omnium enim eadem eſt ratio. *Sotus de ruſt. lib. 3 quæſt. vlt. art*. 2. Contraria tamen ſententia, quam tenet *Turrianus tom*. 2. *de iuſt. d*. 21. *d*. 1. *num*. 6. Eſt etiam valde probabilis; quia materia pręcepti non eſt exceſſus dignitatis, ſed ele-

ctio

ctio dignitatis, cui conferendum eſt beneficium. Hæc autem conſiſtere videtur in indiuiſibili, & eſſe materia grauis; fundat enim ius ad beneficium, quod ius, eſt aliquid graue; ſicut in materiâ furti, vnica acus, quia Sartori eſt notabiliter vtilis, cenſetur materia grauis.

30 Decimoquintò; Dari leuitatem materiæ, in interruptione anni probationis; in ingreſſu, ac egreſſu clauſuræ Religioſæ; in Officij recitatione; in Miſſæ auditione, & actione; in celebratione poſt meridiem, & cum veſtibus ſacris; in violatione interdicti; in Clerici percuſſione, in reliquiarum furto; in præcepto correctionis fraternæ; in inuidia; iudicio temerario, ac detractione; In Patrimonio ad Ordines requiſito; in debiti coniugalis negatione; in rerum Eccleſiaſticarum alienatione; in librorum prohibitorum retentione, aut lectione; in communicatione, cum excommunicato, & in alijs ſimilibus; quia in his omnibus, finis præcepti, eſt aliquid diuiſibile habens moralem latitudinem, ideoque admittit etiam leuitatem materiæ, ac tranſgreſſionis.

QVAESTIO LVIII.

An peccatum veniale, fieri poſſit mortale ratione periculi proximi.

CASVS.

1 TITIO, ludus erat proxima occaſio, ac periculum blaſphemandi, ideoque ſępius à Confeſſario monitus fuerat, vt ludum vitaret; accidit tamen, vt die quadam, ab amico inuitatus prius, deinde etiam minis, ludere coactus ſit. Quæritur; Vtrum ludendo mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

1 *Titius, ludendo, ratione periculi blaſphemandi, videtur mortaliter peccaſſe.*

7 *Veniale, ſi fiat occaſio proxima mortalis, fit mortale.*

8 *Quot modis, poſſit aliqua actio, eſſe occaſio proxima.*

9 *Titius, ludendo mortaliter non peccauit.*

10 *Non temere, blaſphemandi peri-*

riculo ſe expoſuit.

11 *Non cenſetur amaſſe periculum.*

12 *Nec illi fuiſſe voluntarium.*

13 *Periculum longè maius, permittitur Coniugatis.*

14 *Temere ſe periculo exponere, eſt intrinſecè malum.*

15 *Eſt contemptus, ſaltem interpretatiuus ſalutis.*

16 *Periculum peccati, non eſt peccatum.*

17 *Tenetur quis aliquando, ſe illi exponere.*

18 *Poteſt quis, ad infideles conuertendos, ſubuerſionis periculo ſe exponere.*

19 *Et Pater, ad alendos filios ex Concubina.*

20 *Filius, paternam domum deſerere non tenetur, propter occaſionem proximam ibi exiſtentem.*

21 *Nec Parochus proprium Officium.*

22 *An Concubina, Domini domum.*

23 *An Catholicus, ducere poſſit Hæreticam.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Sicut peccatum ex genere ſuo mortale, ex imperfecta libertate, Superioris voluntate, ac materiæ leuitate, fieri poteſt veniale; ita è contra, peccatum ex genere ſuo veniale, pluribus titulis, ſed præcipuè ratione periculi proximi incidendi in mortale, vel ſcandali, vel multiplicationis, ac frequentię fieri poteſt mortale. Et de periculo quidem proximo, dubitari ſolet; an ſemper, ratione illius veniale fiat mortale, Videtur enim ſemper fieri, ideoque Titium, ludendo, mortaliter peccaſſe. Ita *Lorca. 2. 2. d. 28. ſec. 3. num. 9. Graſſius lib. 1. deciſ. c. 28. Lopez p. 1. inſtruct. c. 21. & 22.*

3 Primò; Quia, Titius ludendo, probabili blaſphemandi periculo ſe expoſuit; probabili autem peccandi periculo ſe exponere, videtur intrinſecè malum, ac peccatum iuxta illud *Eccleſiaſt. 3. qui amat periculum, peribit in illo.*

4 Secundò; Quia qui probabili ſe periculo exponit amittendæ ſalutis ſpiritualis, eam contemnere conuincitur; propriam autem ſalutem contemnere, eſt intrinſecè malum.

5 Tertiò; Quia, Bona ſpiritualia, cuicumque bono temporali præferenda ſunt. Ergo vitatio periculi peccandi, cuicumque alteri bono præferenda eſt, & conſequenter, neque ad famam propriam, vel alienam conſeruandam, licitum erit peccandi ſe periculo exponere. Ergo neque ad minas vitandas, potuit Titius licitè, tali periculo ſe exponere.

6 Quartò; Quia, ſi propria, & proximi ſalus periclitaretur, non eſſet ordo legitimus charitatis, propriam deſerere, & alienam reſpicere. Sed, ſi quis, ad alienum peccatum vitandum, peccandi periculo ſe exponeret, propriam deſereret. Ergo faceret contra rectum, ac legitimum ordinem charitatis: ſic autem feciſſe videtur Titius.

NO-

NOTABILIA.

7 ADuertendum eſt primò; certum eſſe apud omnes, non ſolùm peccatum veniale, ſed etiam actionem quamlibet indifferentem fieri mortaliter malam, ſi ſit proxima, ac moralis occaſio incidendi in mortale; eodem enim præcepto quo peccatum mortale vitare tenemur, eius etiam periculum proximum cauere iubemur, Nam qui illud non vitat, cum poteſt, conuincitur amare peccatum, cuius amat periculum, & ſalutem contemnere, cuius amittendæ periculo ſe exponit. Ex quo *Sanchez lib.* 1. *c.*8. *num.* 5. deducit; Concupiſcentem fœminam, cuius ſtatum ignorat, aut fœminam in communi; teneri, hoc ipſum in Confeſſione explicare; Quia, quantum eſt ex parte ſui deſiderij, fertur in fœminam cuiuſcumque ſtatus ſit, ſeque periculo exponit, eius circunſtantiæ peccatum committendi. Illud autem dicitur periculum pro, ximum, ac morale, quod vel ex ſe. vel attentà fragilitate perſonæ, frequenter, aut plerumque ad peccandum inducit.

8 Aduertendum eſt ſecundò; Actionem aliquam, poſſe eſſe occaſionem proximam peccandi, aliquando in materià aliquà determinatà, in quà ſe quis fragilem expertus eſt; Vt, cũ Chirurgus, quaſdam fœminæ partes curat, cum periculo mali conſenſus, quem ſæpius expertus eſt: Aliquandò verò, in alià materià, vel genere; Vt, cum Confeſſarius, peccata carnalia mulierum in confeſſione audit, cum periculo, vel alicuius mali conſenſus in genere, vel pollutionis. Ad excuſandam expoſitionem in primo caſu, longe maior cauſa requiritur, quam in ſecundò; quia periculum, eſt longè maius. Imo periculum, attentà fragilitate, poteſt eſſe tale, vt vix vlla inueniatur cauſa ſufficiens ad illam excuſandam; quæ verò cauſa, ſit ſufficiens, determinari non poteſt, ſed ex circunſtantijs, ac prudentũ iudicio, colligendum eſt. Occaſio autem, dicitur proxima, non ſolùm, quando eſt occaſio peccati externi, ac conſumati, ſed etiam, quando eſt occaſio ſolius peccati, ac conſenſus interni; Vt, cum quis domi retinet fœminam, ex cuius præſentià mouetur ad eam turpiter deſiderandam. Non minus enim vnum, quam aliud, eſt peccatum mortale. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 REſpondetur; Titium, ludendo mortaliter non peccaſſe. *Suar. tom.* 4. *in* 3. *p. d.*32. *ſect.*2. *Nauar. c.*3. *ſum. num.*14. *Sanch. lib.*1. *ſum. c.*8. *num.*1. *Salas* 1. 2. *tract.*3 *d.*3. *ſ.*1. *num.* 31. *Sotus lib.*5. *de iuſtit. quæſt.*1. *art.*6. *concluſ.*2. *Henriq. lib.*4. *de pœn. c.*24. *num.* 4. *S.Thom.* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.*9. & alij apud iſtos.

10 Primò; Quia, quamuis Titius à ludendo, probabili periculo ſe expoſuerit blaſphemandi, non temere tamen, ſed ex vrgenti, ac ratio-

tionabili causà, ſe illi expoſuit; periculum autem peccandi, non ita eſt malum, vt ex aliquà iuſtà causà honeſtari non poſſit; non enim eſt formaliter peccatum, ſed ſola illius occaſio; neque peccatum neceſſario trahit. Ergo non eſt, cur ex iuſtà causà honeſtari non poſſit; videtur autem fuiſſe cauſa ſufficiens, in Titio, vitare minas.

11 Secundò; Quia, in tantum peccandi periculo ſe exponere, eſt peccatum, in quantum hæc expoſitio, eſt interpretatiuè, ac virtualiter amor periculi. Sed, quando, ex causà vrgenti, periculo ſe quis exponit, non amat periculum, ſed potius illud bonum, ad quod ſine periculo perueniri non poteſt; Ergo ex vrgenti causà, periculo ſe exponere, non eſt peccatum. Titius autem, ex ſimili causà, blaſphemandi periculo ſe expoſuit.

12 Tertiò; Quia, in tantum peccati periculum, eſt peccatum, in quantum eſt integrè voluntarium, ſiue in quantum quis cenſetur, illud gratis amare. Dum autem quis, ex aliquà graui, vel vrgenti neceſſitate, illi ſe exponit, tale periculum non eſt illi moraliter voluntarium, cum illud moraliter, ſine graui periculo, vitare nequeat; Vnde *S. Baſil. in conſtit. Monaſt. c.4. pag.*489. docuit. qui, vrgente aliquà causà, ſe periculo obijcit, vel permittit ſe eſſe in illo, cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quam inuitus illud ſubire; & ideo magis prouidebit Deus, ne in illo pereat. Cum ergo Titius, non temere, ſed ad vitandas minas, ſimili periculo ſe expoſuerit, non tam videtur illud voluntariè aſſumpſiſſe, quam coactè ſubijſſe; ideoque mortaliter non peccaſſe.

13 Quartò; Quia *C. conſultationi: de frigidis*: permittuntur Coniugati, quorum Matrimonium eſt occultè irritum, habitare tanquam fratres, quamuis cum periculo tactuum; & hoc ratione ſcandali, & ad propriam infamiam vitandam; Ergo potuit etiam Titius, ad vitandas amicorum minas, ludere, quamuis cum probabili periculo blaſphemandi; longe enim maius, ac probabilius periculum tactuum imminet coniugatis ex eorum cohabitatione, quam Titio blaſphemiæ ex ludo. Ergo, ſi illis poteſt eſſe nihilominus licita cohabitatio, potuit etiam eſſe licitus ludus Titio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim Reſpondetur; exponere ſe temere peccandi periculo, eſſe intrinſece malum, quia tunc periculum eſt aſſumptum, ac plene voluntarium; ſecus autem, illi ſe exponere ex iuſtà, ac rationabili cauſa; tunc enim non cenſetur aſſumptum, ſed ſolùm permiſſum; quod ex rationabili causà, non eſt illicitum, cum peccandi periculum, non ſit ex ſe peccatum, nec illud neceſſariò trahat. Titius autem, periculo ſe expoſuit, non temere, ſed ex rationabili causà.

Ad

15 Ad ſecundam Reſpondetur; Eũ qui temere propriæ ſalutis amittendæ periculo ſe exponit, conuinci, quod illam contemnat, quia tunc voluntariè illi periculo ſe exponit; non verò qui ex iuſtà causà, & inuoluntarià, illud potius permittit, quam aſſumat.

16 Ad tertiam Reſpondetur; Bona quidem ſpiritualia cuicũque bono temporali eſſe præferenda; At hinc non ſequitur, vitationem periculi præferendam eſſe cuicumque damno certo temporali; nam periculum peccati, non eſt in ſe peccatum niſi quatenus, ſine neceſſitate, amatur; nec inducit neceſſariò ad peccatum; damnum verò temporale eſt certum, vt ſuppono.

17 Ad quartam Reſpondetur; Si propria, & aliena ſalus, æquè periclitentur, tunc propriam non eſſe periculo exponendam; at ſi aliena certò periclitetur, propria verò ſolùm contingenter; vt, cum infans apud infideles moriturus eſt ſine baptiſmo, ſi tu non baptizes, ſi verò accedas imminet tibi periculum ſubuerſionis; tunc non ſolùm poteſt quis, ſed etiam tenetur, ob infantis ſalutem, illi periculo ſe exponere; non enim ſpoliandus videtur infans iure, quod habet ad baptiſmum, vel propter malitiam infidelium, vel propter fragilitatem illius, à quo eſſet baptizandus.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò; Poſſe aliquem ad infideles accedere ad eos conuertendos quamuis cum periculo propriæ ſubuerſionis; & ad prædicandum Meretricibus, præſertim ex officio, quamuis cum periculo peccandi, quia tunc datur ſufficiens cauſa honeſtandi periculum, cui ille ſe exponit; neque cenſendum eſt, fore vere periculum, ſed Diuino auxilio facilè vincendum. *Salas* 1. 2. *tract.* 8. *d. vnic. ſect.* 5. *num.* 60.

19 Secundò; Poſſe, imo teneri Parentem, alere filios ex concubinà, qui ſeparari non poſſunt à concubinà, quamuis immineat periculum lapſus cum concubinà, quia damnum, quod ex omiſſione alimentorum prouenit, eſt graue, & ineuitabile; periculum verò; quod Pater incurrit, Dei auxilio vitare poteſt, quod auxilium non deerit, cum, non ex proprià voluntate periculum illud aſſumpſerit, ſed ad propriæ obligationi ſatisfaciendũ, in illud inciderit. *Io. Sanch. d.* 10. *ſelect. num.* 9.

20 Tertiò; Filium non teneri paternam domum deſerere, in quà adeſt occaſio peccandi, nec Mercatores, aut Scribas teneri à proprijs officijs abſtinere, quamuis in illis habeant occaſionem peccandi; Quia occaſio non eſt illis voluntaria, & illam permittunt potius, quàm aſſumant, nec illam cum graui detrimento vitare tenentur. *Nauarr. c.* 3. *ſum. num.* 4.

21 Quartò; Neq; Parochum teneri, officium deſerere, quãuis experiatur voluntariam pollutionem, occaſione deſumptà ex auditis in Confeſſione; quia periculum cum

tam graui detrimento vitare non teneatur; ſed ſatis erit, ſi firmiter proponat, amplius non conſentire. Idemque dicendum eſſet etiam de quocumque alio Cõfeſſario, ſi ei ex deſertione officij, aliqua nota honoris, aut famæ immineret. *Nauar. c.3. num.26.*

22 Quintò; Neque teneri concubinam, exire è Domo Domini, ſi exiens, non recuperatura eſt, quæ ſibi debentur, & hac ſit, aliqua ſumma notabilis; quamuis enim quilibet teneatur propriæ ſaluti conſulere, etiam cum aliquo detrimento temporali; nemo tamen cum graui detrimento, peccandi periculum vitare tenetur, cum etiam non vitando periculum, vitare poſſit peccatum. *Io. Sanch. d.10. ſelect. num.20.*

23 Sextò; Poſſe Catholicum ex aliqua graui causà, Matrimonium cõtrahere cum hæreticà; Tum quia peruerſionis periculum, in Viro, non cenſetur ita moraliter proximum, ſicut cenſeretur in fœmina: Tum quia peruerſionis, ac ſalutis periculum, non eſt ex ijs peccatis, quæ, quauis circunſtantià poſità, vel detractà, ſuam retinent deformitatem, ſed eius malitia pendet à circunſtantijs; Ergo, ſi adſit cauſa iuſta, poterit non eſſe peccatum. *Baſil. Pont. de matr. in Append. c.6. Sanch. lib.7. d.72. num.5.*

QVAESTIO LIX.

An peccatum veniale fieri poſſit mortale ratione ſcandali.

CASVS.

1 TITIVS, cum multam pecuniam haberet, timeretque, eam ſibi ſurripiendam, ſi domi retineret; apud Vſurarium eam depoſuit, quamuis ſciret, illi fore materiam vſuræ exercendæ, & hoc eſſet ſub minori excommunicatione prohibitum. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVM-

SVMMARIVM.

2 *Pecunias apud Vſurarium deponere, videtur peccatum ſcandali.*

6 *Quid ſit, Proximi peccato directè cooperari.*

7 *Quid ſit cooperari indirectè.*

8 *Quæ ſit obligatio, Proximi peccato non cooperandi.*

9 *Pecunias, ex iuſtâ causâ, apud Vſurarium deponere, ſcandali peccatum non eſt.*

10 *Qui iuſtam habet cauſam, habet ius deponendi.*

11 *Pecuniæ depoſitio, non eſt ex ſe mala, ſed indifferens.*

12 *Nec eſt directa cooperatio ad vſuras.*

13 *Imo, quando datur iuſta cauſa nec indirecta.*

14 *Eſt solùm permiſſio vſuræ.*

15 *Non datur tunc obligatio vſuras impediendi.*

16 *Pecuniæ depoſitio, non eſt inductiua ad vſuras.*

17 *Quæ præſtare poſſit Famulus, ſine ſcandalo, & ex quâ causâ.*

21 *Meretrici domum locare, non eſt peccatum ſcandali;*

22 *Quid poſſint Caupones.*

23 *Quæ aliæ actiones excuſentur à ſcandalo.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut peccatum ex genere ſuo veniale, ſi ipſi Operanti ſit occaſio proxima peccati grauis, fieri poteſt mortale. Ita fit mortale, ſi ſimilis peccati, ac ruinæ ſpiritualis, ſit occaſio Proximo. Idem enim præceptum charitatis, quod obligat ad vitandum peccatum proprium, obligat etiam ad vitandum quantum fieri poteſt, peccatum Proximi; ergo, ſicut obligat ad vitandum periculum proximum peccati proprij, ita obligat etiam ad vitandum ſimile periculum peccati proximi. Ideoque Titius, pecuniam apud Vſurarium deponendo, mortaliter peccaſſe videtur. *S.Thom.* 2.2. *quæſt.*78.*ar.*4. *ad.*3. *Sotus lib.* 6. *iuſt. qu.*1. *ar.*6. *in fine*. *Nau. c.*14. *nu.*40. *Azor. tom.*1. *lib.* 12. *c.vlt. quæſt.* 2. *Leſſ. lib.*2. *c.*20. *d.*21. *num.*184. *Salon.* 2.2. *qu.*78. *ar.*4. *controu.*4. quod tamen limitant, quando aliunde, pecuniæ defuturæ erant ad vſuras exercendas, vel exercendas in tantâ quantitate; eo quod tunc depoſitio, ſit collatio inſtrumenti ad irrogandam iniuriam Tertio.

3 Primò; Quia ſcandalum eſt dictum, vel factum, præbens alteri occaſionem ruinæ. Sed Titius per depoſitionem pecuniæ apud Vſurarium, præbuit illi occaſionem vſuræ exercendæ, & conſequenter ruinæ ſpiritualis, ſiue peccati; Ergo pecunias apud Vſurarium deponendo, peccauit peccato ſcandali.

4 Secundò; Quia qui cooperatur peccato alterius, quamuis eius ruinam non intendat, reus eſt peccati quod alter committit; Eſt enim cauſa illius, cū ita ad illud inducat, vt ſine eius inductione alter peccatum non commiſiſſet. Sed Titius

pecunias apud Vſurarium deponendo, cooperatus eſt illius vſuræ; ſi enim pecunias apud eum non depoſuiſſet, ille vſuram non exercuiſſet. Ergo reus eſt ſimilis peccati; eadem enim virtus, quæ obligat ad non peccandum contra illam, obligat etiam ad non dandam alteri occaſionem peccandi contra illam.

5 Tertiò; Quia, ſi Titius, conſilio, aut perſuaſione, Vſurarium explicitè induxiſſet ad vſuram exercendam, certè peccaſſet peccato ſcandali; fuiſſet enim tunc vera cauſa illius vſuræ: Sed etiam, pecunias apud illum deponendo, induxit implicitè ad vſuram exercendam; miniſtrauit enim illi materiam vſuræ; Ergo etiam pecunias deponendo, peccauit peccato ſcandali; inductio enim implicita, ad eandem ſpeciem pertinere videtur, ad quam pertinet explicita; cum implicitum, & explicitum ad eandem pertineant ſpeciem.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; per hoc, quod quis præbeat alteri proximam peccandi materiam ex ſe indifferentem ad vſum bonũ, vel malum, eius peccatum non intendendo, ſed vel propriam vtilitatem, vel aliquid aliud; dici non poſſe directè cooperari peccato illius; nemo enim cenſetur cauſa moralis directa illius, quod nec præcipit, nec conſulit, nec intendit, nec re ipſa efficit. Qui autem ſic præbet peccandi materiam, nec conſulit, nec præcipit, nec intendit, nec cum altero actionem peccaminoſam efficit. Ergo non cooperatur directè peccato alterius, ſed ad ſummum indirectè.

7 Aduertendum eſt ſecundo; Vt quis per hanc exhibitionem materiæ indifferentis, cenſeatur indirectè cooperari peccato alterius, neceſſario requiri, vt poſſit, ac teneatur eius peccatum, & illius materiæ abuſum, impedire; vt enim quis cenſeatur indirectè cooperari peccato alterius, neceſſario requiritur, vt alterius peccatum ſit illi indirectè voluntarium, alioquin rationabiliter illi tribui non poteſt tanquam cauſæ. Vt autem quis cenſeatur indirectè velle peccatum alterius, neceſſario requiritur, vt illud impedire poſſit, ac teneatur; ſi enim illud impedire nõ tenetur, nulla eſt ratio, cur dicatur illud indirectè velle; Vnde Deus non dicitur, noſtra peccata indirectè velle, ſed ſolùm permittere, quia, quamuis poſſit, ea impedire non tenetur.

8 Aduertendum eſt tertio; Omnes teneri, proximo occaſionem peccandi non præbere, & eius peccatum, cum commodè poſſumus, impedire. Hæc autem obligatio oritur, & ex generali præcepto charitatis, quo proximi malum non ſolùm temporale, ſed etiam ſpirituale, vitare tenemur; & ex virtute, cui ſpecialiter opponitur peccatum, ad quod alter inducitur; eadem enim virtus, quæ obligat ad vitandum peccatum, obligat etiam ad vitandam occaſionem illius peccati

cati, tam paſſiuam, quàm actiuam: quia tamen hæc obligatio non eſt abſoluta, ſed velut conditionata, cum ſcilicet commodè, & ſine graui noſtro incommodo poſſumus; hinc fit, vt quando adeſt iuſta aliqua cauſa proprij detrimenti vitandi; ceſſet obligatio; ideoque tunc licitum nobis ſit, res indifferentes miniſtrare, & earum abuſum permittere. Hęc autem cauſa eò debet eſſe grauior, primò; quò grauius eſt peccatum, cui datur occaſio. Secundò; quò probabilius eſt, nobis non cooperantibus, alterum non peccaturum. Tertiò; Quò cooperatio propinquius peccatum attingit. Quartò; Quò minus iuris habetur ad tale opus indifferens ponendum. Quintò denique, quò magis peccatum, iuſtitiæ eſt oppoſitum; & hoc propter damnum tertij. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum Reſp. Titium, pecunias ſuas apud Vſurarium deponendo, non peccaſſe mortaliter peccato ſcandali. *Sanchez lib.1. ſom. c.7. num.36. Valentia 2.2. d.5. quęſt.21. p. vlt. in fine. Molina tom.2. dub.331. colum.2. Rebell. p.2. de iuſt. lib* 8. *qu.* 16. *ſ.*4. *num.*20. *Caiet.* 2.2. *quæſt.*78. *ar.*4. *Arag. p.*62. *ar.*5. *in ſolut. ad vlt.* & alij plures apud iſtos.

10 Primò; Quia Titius, ius habebat, & iuſtam cauſam, talem pecuniam apud Vſurarium deponendi, cum alius modus tunc non occurreret, eam non amittendi, Ergo, quamuis præuideret, Vſurarium ea abuſurum ad vſuras, non peccauit deponendo; nullus enim peccat vtendo iure ſuo ex iuſtà causà; nam eo ipſo quod adeſt iuſta cauſa, obligatio vitandi peccatum proximi ceſſat, licitèque poteſt permitti.

11 Secundò; Quia, ea pecuniæ depoſitio, cum non ſit, ex ſe, res mala, ſed indifferens; & ſola circunſtantia peccati proximi vitandi eã vitiet; tunc ſolùm eſt mala, quando Titius peccatum Vſurarij impedire tenetur. Sed poſità iuſtà cauſa proprij damni vitandi, Titius nõ tenebatur amplius Vſurarij peccatum impedire; Ergo depoſitio illa, non fuit mala; ſupponitur autem cauſa ſufficiens; metus illam pecuniam alias amittendi; nam cum tanto ſuo detrimento, Vſurarij peccatum impedire non tenebatur.

12 Tertiò; Quia, Cum ea pecuniæ depoſitio, non ſit cooperatio directa ad vſuras, ſed ad ſummum indirecta, tunc ſolùm moraliter imputabilis eſt, quando commodè poteſt non poni, vt dictum eſt; ſed à Titio commodè, & ſine periculo grauis detrimenti, non poterat non poni; Ergo illi imputari non potuit ad culpam.

13 Quartò; Quia tunc ſolùm, qui facit opus indifferens, quo credit, alios abuſuros ad peccatum, mortaliter peccat, quando hoc facit ſine causà iuſtà, ac ſufficienti; tunc enim ſolùm non præcauet proximi peccatum, ac damnum, quantum commodè poteſt, ſicut tenetur ex charitate, ſed potius cenſetur illud velle indirectè, cum in moralibus

bus idem ſit, malum non præcauere, ac illud poſitiuè velle. Sed Titius, iuſtam ac ſufficientem cauſam habuit pecuniam apud Vſurarium deponendi, ne ſcilicet eam amitteret; Ergo eam deponendo mortaliter non peccauit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 Neque obſtant rationes in contrarium; Ad primã enim Reſpondetur; Titium non tam præbuiſſe occaſionem vſuræ, quàm illam permiſiſſe, cum haberet cauſam ſufficienté pecunias apud Vſurarium deponendi, & depoſitio eſſet aliquid ex ſe indifferens ad bonum, ac malum vſum, & ex ſolà malitià Vſurarij determinata eſſet ad malum. In hoc autem, nulla apparet culpa.

15 Ad ſecundam; Negatur minor; non enim propriè cooperatus eſt vſuræ per pecuniæ depoſitionem apud Vſurarium; nam, cum haberet iuſtam cauſam illam deponendi, Vſurarij peccatum vitare non tenebatur; quod tamen neceſſario requiritur ad cooperationem indirectam, vt dictum eſt.

16 Ad tertiam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia conſilium, & ſimilia, ſunt ex ſe inductiua ad malum; ideoque intrinſecè mala. At pecuniæ depoſitio, non eſt ex ſe inductiua ad vſuras; ſed aliquid ex ſe indifferens ad bonum, vel malum vſum, & à ſolà malitià Vſurarij determinata eſt ad vſuras, ac vſum malum; Sicut autem nunquam licet id, quod eſt intrinſecè malum, ita, quando adeſt iuſta cauſa, licet ponere id, quod eſt ex ſe indifferens; quia tunc nulla eſt ratio, cur ſit illicitum, cum iuſtà causà excuſet, & tollat omnem moralem cooperationem ad malum.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; poſſe famulos ſternere equum, & Dominum comitari, ac expectare, quamuis certò ſciant, ipſum ad fornicandum abire; quia hæc miniſteria, ex ſe ſunt indifferentia, & exhibentur à famulo, vrgente neceſſitate obſequendi Hero, rem indifferentem præcipienti. Si tamen famulus Herum comitaretur, vt riualem illius mulieris inuaderet, nulla ratione liceret, quia, inuadere alium, eſt intrinſecè malum. Si vero ſolùm, vt à riualibus aggredientibus Dominum tueretur vel admoneret, vt ſic incolumis, euaderet; adhuc rariſſimè, & è vrgenti ſolùm neceſſitate liceret; quia, quamuis hæ actiones ſint ex ſe indifferentes, eo quod bono, ac malo vſui poſſint deſeruire; ideoque poſſint aliquando eſſe licitæ; cum tamen ita proximè accedant peccato Domini, vt ſint quaſi poſitiua, ac directa cooperatio, maximà indigent cauſa, vt excuſentur; *Sanchez lib.* 1. *ſum. cap.* 7. *num.* 22.

18 Secundo; Licere famulis cibos condire, & ad menſam miniſtrare, ac lectum ſternere concubinæ Heri; quia hæc omnia miniſteria ſunt

ex

ex ſe indifferentia, & valde remotè ad peccatum concurrunt; vnde ſola obſequendi neceſſitas ſufficit ad illa excuſanda. Si vero Herus aſcendere velit per feneſtram; ob ſolam rationem famulatus, non licebit humeris ſuſtinere, vel ſcalam admouere, vt aſcendere poſſit, ſed alia grauior cauſa requiretur, qualis eſſet vitatio alicuius magni damni, quod alias timeret; cum enim hæc miniſteria, valde proximè peccato accedant, ſola ratio famulatus non videtur ſufficere ad excuſandum; *Nauar. ſum. c.20. num.16.*

19 Tertiò; Probabilius eſſe, quod ex graui cauſa liceat famulo, ſcribere tantùm litteras amatorias cócubinæ, nomine Heri; eas tamen non deferendo, quia proferre, vel ſcribere verba turpia, non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, eorumque honeſtas, vel inhoneſtas, pendet à fine proferentis, vel ſcribentis; Cum enim verba, vel ſcriptura, ſint ſigna conceptuum; in tantum erunt praua, vel honeſta, in quantum conceptus erunt praui, vel honeſti; ſed rei turpis conceptus, indifferens eſt; poteſt enim bonum finem ſpectare; vt inueſtigationem ipſius malitiæ; & malum, vt fomitem libidinis; Ergo dari poterit aliquis caſus, in quo famulo, huiuſmodi verba turpia ſcribere liceat; vt ſi alias immineret periculum alicuius nocumenti grauis. *Sanchez lib. 9. Matr. d.46. num. 34.*

20 Quartò, Non eſſe etiam improbabile, quod famulus ex graui cauſa poſſit deferre litteras amatorias ad concubinam, quia deferre litteras ita materialiter, non videtur directa cooperatio ad peccatum, tanquam proximum inſtrumentum ſed magis remotè ſe habere; Internuncium autem de eiſdem rebus turpibus deferre, nunquam licet, quia famulus per tale internuncium cenſetur directè, ac proximè Heri peccato cooperari tanquam inſtrumentum, quo mediante Herus mulierem inducit ad peccandum.

21 Quintò; Licitum eſſe, domum meretrici, aut Vſurario, locare, modo locetur ad habitandum, & non ad turpiter agendum, quia ſic locans, vtitur iure ſuo, nec cenſetur eorum peccato cooperari, cum locus, extrinſecè ac nimis remotè ad peccandum ſe habeat. Imo licitum etiam videtur, cubiculum commodare petenti ad fornicandum, quando abſque graui detrimento negari non poteſt; quia commodare cubiculum, ex obiecto non ex intrinſecè malum, ſed indifferens, & ex ſolà prauà abutentis intentione, ad malum determinatur.

22 Sextò; Non peccare mortaliter Caupones, vendentes vinum bibere volenti, vt inebrietur, ſi aliquod damnum ex talis vini non venditione illis obueniat; ſecus verò, ſi nullum inde damnum paterentur; Ea enim vini venditio, non eſt ex ſe, & ex obiecto mala, ſed indifferens; Ergo ad vitandum aliquod incommodum, poterit eſſe licita; Idemque dicendum videtur

detur etiam, cum cibos miniſtrant die ieiunij, ſcientes, alios petere ad ieiunium ſoluendum; Cum enim, miniſtrare cibos alteri, non ſit ex obiecto malum, ſed indifferens, & ſola circunſtantiâ ſcandali generalis, & occaſionis ruinæ proximi, illam vitiet; tunc ſolùm erit mala, quando miniſtrans, ſcandalum vitare tenetur; tunc autem ſolùm ad hoc tenetur, quando iuſtam cauſam excuſantem non habet; qualis eſſet in hoc caſu, amiſſio Heri, aut aliud ſimile damnum. *Leſſius lib.4. c.2. d.4. num.24.*

23 Septimò; Mortaliter non peccare, qui facit aliquod opus indifferens, quo alter iam paratus ad peccandum, abutetur, & quod opus alter faceret, ſi ipſe non faceret; Tum quia, hæc videtur leuis cooperatio, quæ ſufficere non videtur ad mortale, Tum quia, etiamſi ipſe abſtineret à tali opere, adhuc peccatum non euitaretur; adhuc enim adeſſet alius, qui illud faceret. Hinc excuſantur artifices, qui vendunt ornamenta mulieri, quibus credunt, ipſam abuſuram ad malum; quia eadem ornamenta illi venderentur ab alio; & caupones, qui cænam parant nolentibus ieiunare; quia nolentibus ipſis parare cibos, adhuc peccatum non impediretur; alibi enim hoſpites, cibos inuenirent, & ipſi interim damnum paterentur; cum præſertim, concurrere non videantur ad cœnam, quatenus eſt fractio ieiunij, ſed ſolùm prout eſt aliquid deſeruiens ad refectionem, quod non eſt intrinſecè malum. *Valentia 2. 2. d.9. quæſt.2. p.3.*

QVAESTIO LX.

An peccatum veniale fieri poſſit mortale, ratione multiplicitatis, ac frequentiæ.

CASVS.

1 TITIVS initio Quadrageſimę propoſuit, ſingulis diebus, parum aliquid carnis comedere, & de facto comedit. Quęritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Plura venialia, conſtituere videntur vnum mortale.*
6 *Venialia, alia ſunt vnibilia, alia non.*
7 *Propoſitum committendi plura venialia, quando ſit mortale.*
8 *Regula ad dignoſcendum, quæ venialia ſint vnibilia.*
9 *Plura venialia committens, per ſe loquendo, venialiter ſolùm peccat.*
10 *Plura venialia, ratione frequẽtia, ſpeciem non mutant.*
11 *Sola multiplicatio, non auget malitiam.*
12 *Nec reddit venialia incompoſſibilia cum gratiâ.*
13 *Plura mortalia, non conſtituunt vnum mortale maius.*
14 *Quæ venialia, fiant tandem mortale.*
15 *Sola frequentia venialium, non eſt legis contemptus.*
16 *Cur plura furta leuia, conſtituant tandem vnum graue.*
17 *Sæpius comedens die Ieiunij, tandem mortaliter peccat.*
18 *Et eodem die feſto ſæpius laborans.*
19 *Pluribus, modicum panis tribuens, die ieiunij, mortaliter non peccat.*
20 *Pluribus diebus, ſalutationem Angelicam omittens, quando mortaliter peccet.*
21 *Religioſus minima vſurpans, quando mortaliter peccet.*
22 *Furtum de ſe leue, quando ſit mortale.*
23 *Plura furta leuia, diuerſis facta, quando fiant mortale.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm peccatum ex genere ſuo veniale, ratione periculi proximi incidendi in mortale, & ratione ſcandali, aliquando ſaltem fiat mortale. Quæritur; an fieri poſſit mortale, etiam ratione conſuetudinis, ac frequentiæ; aliqui enim *cum S. Auguſtino epiſt.* 108. *ad Seleuc.* dicente; *ſi venialia collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, ſicut vnum aliquod grande peccatum*; id aſſeruerunt, & conſequenter Titium peccati mortalis condemnarunt. Vt *Angelus v. inobedientia. Fagundez de præc. Eccl. p.*1. *lib.*1. *c.*14. *num.* 3. *Tolet. lib.*6. *ſum. c.* 25. *num.*1. *Valent.* 2.2. *d.*6. *qu.*6. *p.*4. *Clauis reg. lib.*2. *c. vlt. nu.*21. *Rodrigu. p.*2. *ſum. c.*99. *num.*1.

3 Primò; Quia ex *S. Auguſtino tr.*1. *in ep. D. Io.* multa peccata leuia faciunt vnum grande, ſicut multæ guttæ, implent flumen, & multa grana faciunt maſſam; & *ſer.* 41. *de Sanct.* non ſolùm maiora, ſed etiam minuta, ſi nimium plura ſint, mergunt. Cum ergo Titius, ſingulis diebus, parum aliquid carnis comederit, videtur ratione multiplicationis, ac frequentiæ mortaliter peccaſſe.

4 Secundò; Quia, qui ex conſuetudine contra legem delinquit, hoc ipſo peccare videtur ex legis contemptu; ipſa enim peccandi conſuetudo, contemptus quidam legis

gis cenſetur. Qui autem peccat ex contemptu, mortaliter peccat.

5 Tertiò; Quia, qui, per plures dies, ex vineà alienà vnum racemum furaretur, licet ſingula furta eſſent ſolùm venialia, poſt multa tamen furta, tandem peccaret mortaliter. Ergo ſimiliter, quamuis ſingulæ carnis comeſtiones fuerint ſolùm veniales, poſt multas tàmen, Titius tandem mortaliter peccauit.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; Peccata venialia, quæ, ratione paruitatis materiæ, talia ſunt, duplicis eſſe generis; aliqua enim, vel ratione materiæ, ſiue obiecti, vel ratione effectus, quem poſt ſe relinquunt, continuari poſſunt, & vniri; aliqua verò non. Illa, quorum materia, vel effectus vniri moraliter poteſt, ita vt pro vno reputetur, conſtituere tandem poſſunt vnum peccatum mortale, non quia plura venialia efficiant vnquam vnum mortale, ſed quia vltimus actus, verſatur circa materiam, vel producit effectum, qui cum præcedentibus continuatus, eſt ſufficiens ad peccatum mortale. Sic qui poſt leuia furta, peruenit ad tantam quantitatem, quæ coniuncta cum præcedentibus, conſtituat materiam notabilem, per vltimum furtum mortaliter peccat, quia peruenit ad quantitatem notabilem, & quæ infert proximo damnum graue. Similiter, qui ſæpius intemperanter cibum capit, tandem mortaliter peccat, quia vltima comeſtio ſimul cum alijs præcedentibus, tandem eſt cauſa adæquata notabilis infirmitatis; præcedentes autem comeſtiones moraliter vniuntur, non ratione temporis, ſed ratione effectus, qui à præcedentibus comeſtionibus relictus eſt; illæ enim fuerunt via, ac diſpoſitio ad grauem corporis infirmitatem, quam vltima deinde comeſtio, ſuppoſitis præcedentibus, cauſauit. Illa verò, quorum materia, vel effectus continuari non poteſt, nunquam conſtituere poſſunt vnum peccatum mortale; quia ſingulæ materiæ, & ſinguli effectus, ſunt parui, & cum ſemper remaneant diuiſi, abſque morali continuatione, ſemper remanent parui, & conſequenter vltimum peccatum, retinet qualitatem peccati venialis, ſicut primum. Sic quantumuis multiplicentur mendacia iocoſa, ſemper remanent venialia, quia ſemper eandem malitiam retinent; ſola enim multiplicatio, ſicut non conſtituit actum in alia ſpecie, ita nec auget peccati grauitatem intenſiuè, ſed ſolùm extenſiuè, conſtituendo ſolùm plura peccata eiuſdem rationis.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Propoſitum committendi plura peccata venialia ſecundi generis, nunquam per ſe loquendo eſſe mortale; cum enim modicæ illæ materię non coaleſcant in vnam, ita coniungi non poſsunt, vt vnam quantitatem notabilem efficiant; Vnde propoſitum illud, nunquam feretur in rem grauem, ac ſufficientem ad mortale. Propoſitum verò committendi

plu-

plura peccata venialia primi generis, poteſt eſſe mortale; quia, cum modicæ illæ materiæ, coaleſcant in vnam, conſtituere tandem poterunt materiam notabilem, & ſufficientem ad mortale, in quam propterea ſi feratur propoſitum, erit mortale.

8 Aduertendum eſt tertiò; Hanc tradi poſſe regulam generalem *ex Vaſq.* 1. 2. *d.*146. *c.* 2. *n.* 3. Quotieſcumque materia, vel obiectum, vel effectus vltimi peccati venialis, continuari poteſt cum materiâ, vel obiecto, vel effectu actuum præcedentium, tunc vltimum peccatum, in quo materia illa, vel effectus completur in ratione notabilis, eſt mortale, quamuis aliàs eſſet veniale; quia iam verſatur circa materiam notabilem. Quando verò materia, vel effectus vltimi peccati venialis, moraliter continuari non poteſt cum materiâ venialium præcedentium; tunc vltimum peccatum non eſt mortale; quia ſingulæ materiæ, ſunt paruæ, & remanent diuiſæ, abſque morali coniunctione; Vnde vltimum peccatum verſatur circa materiam paruam, ſicut alia; ideoque remanet veniale. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum Reſpondetur; Titium, carnes in modica quantitate, ſingulis diebus Quadrageſimæ, comedendo, venialiter ſolùm peccaſſe. Ita *Sanch. lib.* 1. *ſumm. c.* 4. *num.* 15. *&* *c.* 5. *nu.* 2. *Azor. lib.* 4. *c.* 9. *quæſt.* 11. *Sotus lib.* 7. *iuſt. qu.* 2. *art.* 1. *Suar. to.* 2. *de relig. lib.* 5. *de voto c.* 5. *num.* 2. *&* 10. *Vaſq.* 1. 2. *d.* 146. *c.* 2. *in fine*. *Garzias tom.* 1. *de benef. p.* 3. *c.* 1. *num.* 169. *Becanus p.* 2. *tr.* 2. *c.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 2. & alij communiter.

10 Primò; Quia comeſtiones illæ replicatæ, erant omnes eiuſdem ſpeciei cum primâ, non minus quàm plura mendacia iocoſa ſint eiuſdem ſpeciei, cum primo. Sed prima comeſtio fuit ſolùm venialis; Supponitur enim in materiâ leui. Ergo etiam reliquæ fuerunt ſolùm veniales.

11 Secundò, Quia ſola replicatio, & multiplicatio, non conſtituit per ſe loquendo actum in aliâ ſpecie diuerſa, nec auget peccati grauitatem intenſiuè, ſed ſolùm extenſiuè; ex eo enim, quod plures actus in vnum collecti ſint, naturam non mutant; ſi ergo ſingulæ comeſtiones, ſeorſim, erant tantum venialia, etiam omnes ſimul fuerunt ſolùm venialia.

12 Tertiò; Quia multa venialia proximè, ac immediatè non priuant nos gratia, nec ſunt incompoſſibilia cum illa. Ergo conſtituere non poſſunt vnum mortale; hoc enim ſtare non poteſt cum gratiâ, ſed illam omnino expellit.

13 Quartò; Quia plura peccata mortalia eiuſdem ſpeciei non conſtituunt vnum peccatum mortale maius, nec alterius ſpeciei. Ergo neque multa venialia conſtituere poterunt vnum mortale.

OBIE-

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 AD rationes in contrarium, Reſpondetur; Ad primam; S. Auguſtinum loqui, non de quibuſcumque venialibus, ſed de illis, quorum materia continuari poteſt, & facere vnam materiam maiorem ſicut guttæ aquæ continuantur, & faciunt vnam aquam maiorem; in his enim, materia talis eſt, vt per partes minutas maior facta, tandem ſit materia peccati mortalis, eo quod facta ſit grauis; vt, ſi quis furtum vnius oboli centies repetat, vel ſi ex dolio parum vini effundat, & ita ſubinde parum, vt totum tandem vinum exhauriat; vel ſi promittat, ſingulis diebus erogare pauperibus vnum obolum, & millies deneget: At in illis, in quibus materia per partes non creſcit, eo quod ſingula peccata ex ſe integram, ac completam materiam, & obiectum habeant; vt ſunt mendacia iocoſa, verba otioſa, leues nugæ, riſus immoderatior, ſermo inurbanus, & ſimilia; nullum poteſt dari peccatum, quod tandem ſit mortale; quia quantumuis repetantur, ſemper ſunt eiuſdem ſpeciei, cuius fuit primum, & finis Legiſlatoris, eodem modo læditur per actus repetitos, ac ſi repetiti non eſſent.

15 Ad ſecundam Reſpondetur; Solam frequentiam, ac conſuetudinem venialium, non eſſe propriè contemptum legis, vel præcepti; contemptus enim, in ſolà voluntate interius perficitur, non verò in opere externo, cum conſiſtat in transgreſſione legis, facta ex intentione, Superiorem, eiuſque poteſtatem contemnendi; quæ intentio hic non reperitur.

16 Ad tertiam Reſpondetur; Negando conſequentiam; Diſparitas autem eſt, quia plures illæ comeſtiones, nihil habent, in quo vniantur, ac continuentur, ita vt efficere poſſint vnam materiam grauem, & ſufficientem ad mortale, ſicut efficere poſſunt plura furta; quæ tamen conſtituunt peccatum mortale, non quia multa furta parua conſtituant vnum furtum magnum, ſed quia, re alienà per minimas partes furtim ſublatà, tandem graue damnum Domino infertur.

COROLLARIA.

17 COlligitur ex dictis primò; Comedentem ſæpius in die ieiunij, tandem vltima illa comeſtione, quæ peruenit ad quantitatem notabilem, violare ieiunium; quia illa vltima comeſtio, quamuis per ſe ſumpta, leuiter ſolùm læderet temperantiam, coniuncta tamen cum alijs, & alijs ſuppoſitis, eam grauiter lædit; moraliter autē coniungitur, ratione prohibitionis, quæ ſe extendit ad totam diē; ſicut, propter eamdem rationem, plures particulæ eiuſdem diei, vniuntur ad conſtituendum tempus notabile, ideoque reputari debet, ac ſi eſſet ſimul cum alijs facta; Contra vero, ſi quis, diuerſis diebus, parum aliquid comedat, quia vnum ieiunium, cum alio non continua-

tinuatur, ſed ſunt præcepta diuerſa, neque comeſtio, vno die facta, cum comeſtione alterius diei, ideo nunquam, niſi venialiter peccat; neque propoſitum aliquid comedendi ſingulis diebus, excedit culpam venialem, quia, cum feratur in omnes illas comeſtiones, non coniunctim ſumptas, ſed ſeparatas, & diſtributiuè, prout ſunt ſingulis diebus debitæ; ſequitur, quod nunquam ſit propoſitum de mortali. *Suar. lib. 5. de Voto c. 5. n. 16.*

18 Secundò; Sæpius eodem die feſto laborantem, ſed modico tempore ſingulis vicibus; peccare mortaliter, cum ad quantitatem notabilem; v. g. duarum horarum peruenerit, quia omnes illi labores, cum fiant eodem die, moraliter continuantur, & reputantur quaſi facti in eodem tempore; Verum enim eſt dicere, eum vltra duas horas, eodem die, laboraſſe; cum obligatio, totam diem reſpiciat. Contra verò, ſi ſingulis diebus feſtis, per quadrantem laboraret, venialiter ſolùm peccaret, quia, ſicut feſta diuerſa ſunt, ita & labores ſunt diuerſi, nec inter ſe vllo modo continuantur. *Sanch. lib. 3. ſum. c. 4. num. 12.*

19 Tertiò; Mortaliter non peccare, qui die ieiunij, quattuor panes, ita in multos diſtribuit, vt ſingulis modicum fruſtulum obtingat, quia, cũ materia non ſit ſufficiens ad ieiunij violationem; diſtribuens non magis peccat, quàm comedentes: Hi autem, mortaliter non peccant, eo quod eorum comeſtiones moraliter non vniantur; idemque dicendũ eſſet, etiam, ſi eſſet in cauſa, vt plures, eodem die feſto, per quadrantem laborarent.

20 Quartò; Si quis, pluribus diebus, omittat Salutationem Angelicam, vel paruam eleemoſynam, quam per Votum ſingulis diebus dare promiſit, mortaliter peccare (ſi tempus determinauit non ad finiendam obligationem, ſed potius ad illam augendam, eo modo, quo tempus præfigitur debito ſoluendo, non vt debitum extinguatur, ſi in illo non fiat ſolutio, ſed ne ſolutio vlterius protrahatur, & adueniente termino, ſit magis debitor;) quia tunc, non ſolùm omittitur recitatio, vel eleemoſyna illius diei, ſed etiam omnium dierum præcedentium, quæ tunc debita eſt, & conſequenter grauis; Contra verò ſi tempus determinauit ad finiendam obligationem, eo modo, quo dies præfigitur recitationi Officij diuini, ita vt res promiſſa, ſit onus diei, nunquam mortaliter peccat; quia quælibet omiſſio, moraliter non continuatur cum aliâ, neque cum illâ vnum quid efficit. In Votis autem perſonalibus, tempus ſemper cenſetur appoſitum ad finiendam obligationem; quia Vouens, nullo modo cenſetur velle obligationem in diem ſequentem prorogare, niſi aliud conſtet. In votis verò realibus, facilius præſumi poteſt intentio prorogandi obligationem, quia attendi videtur, non ſolùm religioſum aliquod obſequium, ſed etiam alicuius neceſſitatis remedium, quod eandem ſemper habet opportunitatem.

Suar. lib. 5. de Voto c. 5. n. 12.

21 Quintò; Religioſum, minima recipientem, vel expendentem, aut vſurpantem ex bonis monaſterij, abſque Superioris licentià, mortaliter peccare contra paupertatem, quando peruenit ad notabilem quantitatem; quia illa modica, vniuntur ad conſtituendam quantitatem ſufficientem ad mortale. Si tamen modica, quæ accipit Religioſus, ſint comeſtibilia, & ad proprium vſum accepta, probabilius eſt, furta illa minima non continuari, ſicque non eſſe peccatum mortale, quamuis perueniatur ad notabilem quantitatem, quia hæc furta, facta à famulis, & ancillis, etiamſi paulatim perueniant ad quantitatem notabilem, non ſunt peccatum mortale, eo quod Domini, in iſtorum acceptione, non ſint ita rationabiliter inuiti, nec tam rigidè velint iſta prohibere, cum valde difficile ſit, famulos interdum modicum quid non accipere. Hæc autem ratio, multò fortius militat in religioſis, cum hi, non ad inſtar famulorum, ſed tanquam filij ex bonis monaſterij alantur. *Sanch. lib. 7. ſum. c. 21. num. 31.*

22 Sextò; Eum, qui modicam quantitatem poſtremo loco furatur Sépronio, poſtquam hic ab alijs paſſus eſt damnũ leue, ſi eo furto, damnum præcedens fiat notabile, peccare mortaliter, ſi conſcius erat damni præteriti; quia illo vltimo furto poſito, poſitum eſt notabile damnum proximi. Quicumque autem ſciens, ex ſuo actu leui ſequi damnum notabile proximi, mortaliter peccat, eum actum faciendo. Si verò conſcius non erat damni præcedentis, mortaliter non peccat; quia, ſi non ſit conſcius damni præcedentis, damnum illud liberè, ac moraliter continuari, non poteſt cum præcedentibus. *Vaſqu. 1. 2. d. 146. c. 2. num. 4.*

23 Septimò; Eum, qui furatur à diuerſis, à ſingulis quidem modicam quantitatem, ſed ita tamen, vt omnia furta ſimul ſumpta, quantitatem notabilem efficiant; mortaliter peccare; quia, licet ſingulis damnum notabile non afferat, affert tamen toti Communitati, & materiæ illæ moraliter continuantur ad conſtituendam quantitatem notabilem: Vſurpatio autem rei alienæ in notabili quantitate, eſt peccatum mortale furti; Et quamuis, in hoc caſu particulari, ceſſaret finis præcepti, qui eſt, vitatio damni notabilis proximi; quia tamen non ceſſat in communi, non propterea ceſſat vis ipſius præcepti; Ceſſante enim fine legis in aliquo caſu particulari, non ceſſat lex, etiam in eo, obligare.

QVAESTIO LXI.

An plura venialia diuerſæ rationis, conſtituere poſſint vnum mortale.

CASVS.

1 IN vna ex Dominicis Quadrageſimæ, Clericus quidam in Sacris, parum aliquid carnis comedit; per quadrantem laborauit; partem modicam Sacri non audiuit; & in Officij recitatione vnum pſalmum omiſit. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Clericus plura præcepta leuiter violans, videtur mortaliter peccaſſe; & cur.*

7 *Probabilius tamen venialiter ſolùm peccauit.*

8 *Materia illorum præceptorum, in vnum coaleſcere non poſſunt.*

9 *Quodlibet præceptum ſpecialem ac proprium finem reſpicit.*

10 *Leues detractiones de pluribus ſunt ſolùm veniales.*

11 *Ad conſtituendum mortale, non ſufficit vnio in motiuo aut virtute.*

12 *Debent poſſe eſſe materia eiuſdem præcepti.*

13 *Plures modicæ pecuniæ quomodo vniri poſſint.*

14 *Præcepta diuerſæ rationis, nihil habent commune, in quo continuari poſſint.*

15 *Eadem eſt ratio de pluribus Votis, ac de pluribus præceptis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm ex dictis *Quæſt. præced.* conſtet; plura furta venialia, conſtituere tandem poſſe vnum furtum mortale; Quia eorum materiæ, licet ſeorſim ſint leues, ſimul tamen ſumptæ, conſtituunt vnam materiam grauem, & ſufficientem ad mortale. Hinc oritur difficultas; an quoties plurium venialium materiæ, conſtituere ſimul poſſunt materiam grauem, toties ex pluribus venialibus, fieri poſſit vnum mortale. Videtur enim poſſe; ideoque Clericum, plura illa præcepta leuiter violādo mortaliter peccaſſe. Ita *Vaſq.d.146. c. 2. n.4. Clauis reg. lib.2. c. vlt. num.20. Salas 1.2.tract.13. d.16. ſ. 26. in fine. Bonacina dub. 2.*

de pecc. quæſt.3. p.5. n.29. Sanchez l.b.1. c.4 num.16.

3 Primò; Quia omnia iſta præcepta, videntur eſſe eiuſdem rationis; omnia enim obligant in materià religionis; Ergo Clericus, illa violans, virtutem religionis grauiter violauit, ideoque mortaliter peccauit.

4 Secundò; Quia per accidens eſt, omnes illas operationes pluribus præceptis eſſe imperatas, vnico enim præcepto imperari poterant; Sed, ſi vnico præcepto imperatæ fuiſſent, omnes illæ omiſſiones leues, conſtituerent vnum peccatum mortale; Ergo etiam, ſi ſint pluribus præceptis imperatæ, adhuc modicæ illæ omiſſiones, vnum peccatum mortale conſtituunt.

5 Tertiò; Quia, ſi quis Sempronio magnam pecuniæ ſummam promiſiſſet, promiſſionibus diuerſis, quarum ſingulæ leuem materiam continerent, eodem modo peccaret omittendo pecuniæ ſolutionem, ac ſi vnica promiſſione, totam illam ſummam promiſiſſet; Ergo ſimiliter, per plures illas paruas omiſſiones, eodem modo peccauit, ac peccaſſet, ſi vnico præcepto omnes illæ operationes fuiſſent imperatæ; Cum enim ad Dei cultum & honorem, omnia illa præcepta ordinentur, parum referre videtur, vnicone an multiplici præcepto, omnes illæ operationes fuerint imperatæ.

6 Quartò; Quia, omnes obligationes ſunt onus eiuſdem diei; ideoque earum materiæ videntur continuari moraliter, & in vnum coaleſcere, ſicque conſtituere materiam grauem, & ſufficientem ad mortale.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen; probabilius videri, quod Clericus, per illas plures paruas omiſſiones, mortaliter non peccauerit, ſed ſolùm plura venialia commiſerit. *Suar. tom. 2. de relig. lib. 5. de Voto c.15. num.16. Garzias de benef. tom.1.p.3. c. 1. num. 174. Lorca de pecc. d. 60. Caiet. 2. 2. quæſt.88. art.3. Nau. c.12. n.65. Valentin. 2. 2. dub. 6. quæſt. 6. p. 4. quæſtiunc. 2.* & alij communiter.

8 Primò; Quia operationes illæ, cum ſint materia, & obiectum diuerſorum præceptorum, in vnum coaleſcere non poſſunt, nec moraliter continuari, nec Clericus vllum præceptum in materia graui violauit, ſed multa, & ſingula in materia leui; Ergo plura tantum venialia commiſit.

9 Secundò; Quia, quamuis plura illa præcepta Eccleſiaſtica obligent ex eadem virtute religionis, eo quod Eccleſia, ex motiuo religionis, omnes illas operationes videatur præcipere, per hoc tamen non tollitur, quin ſint præcepta omnino diuerſa, & ita diſtincta, ac ſi quodlibet eorum, quolibet diſtincto die, implendum eſſet; quodlibet enim ad ſpecialem aliquem Dei cultum ordinatur, ad quem non ordinatur aliud, ideoque cum eo non conuenit. Ergo Clericus violans plura iſta præcepta

pta

pta in materiâ leui, mortaliter non peccauit, ſed plura tantum peccata venialia commiſit.

10 Tertiò; Quia, ſi quis detrahat Petro in materia leui, eius leuem defectum occultum aperiendo, & eodem modo detrahat Paulo, Franciſco, & alijs, mortaliter non peccabit, ſed tantum tot venialia committet, quot ſunt detractiones, ſiue homines, quibus detrahit; & tamen obligatio nō detrahendi, eſt eiuſdem rationis, & ad virtutem iuſtitiæ ſpectat; Ergo ſimiliter, quamuis obligatio omnium præceptorum, ſpectet ad eamdem virtutem religionis, eorum violatio in materiâ leui, non erit vnum mortale, ſed ſolùm plura venialia; non minus enim ſingula præcepta, ſunt inter ſe omnino diuerſa; & non vnibilia, quam in detractione, ſint perſonæ, quibus detrahitur.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primã enim Reſpondetur; Non ſufficere vnionem in virtute, ac motiuo religionis; ſicut in detractionibus non ſufficit vnio in virtute, ac motiuo iuſtitiæ; requiritur ergo præterea continuatio moralis, vel in materia præcepta, vel in effectu relicto; quæ, ſicut non datur in pluribus detractionibus leuibus de diuerſis perſonis, ita non datur in pluribus operationibus, vel omiſſionibus leuibus diuerſorum præceptorum.

12 Ad ſecundam Reſpondetur; Impoſſibile eſſe, vnico formali præcepto, omnes illas operationes imperari; quamuis enim vnicò actu præciperentur; ille tamen actus, eſſet virtualiter multiplex, & de re multiplici; ſicut, cum quis promittit ſingulis ſabbatis Angelicam ſalutationem recitare; Quare, ſicut quolibet ſabbato abſoluitur promiſſio illius diei, neque vltra progreditur, neque recitatio vnius ſabbati cum recitatione alterius ſabbati coniungitur; ita qualibet omiſſione leui, violatur leuiter præceptum omiſſum, nec vnius violatio cum alterius violatione coniungitur.

13 Ad tertiam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe; quia, cum omnes pecuniæ promiſſæ cedant in vtilitatem illius, cui fuerunt promiſſæ, omnes in hunc finem, qui eſt immediatus, adunantur, & moraliter continuantur, ſiue vnica, ſiue multiplici promiſſione promiſſæ ſint; ſiue vnico die, ſiue pluribus diebus ſoluendæ ſint. At plures operationes, ſiue omiſſiones non habent, in quo vniantur, cum quælibet, reſpiciat finem immediatum ſui præcepti, qui eſt omnino diuerſus à fine immediato alterius præcepti.

14 Ad quartam Reſpondetur; Operationes illas præceptas, per accidens, eſſe onus eiuſdem diei; æquè enim benè poterant poni in diuerſis diebus; neque ex eo, quod omnia præcepta occurrant eodem die feſto, ſequitur, quod eorum materiæ poſſint continuari; nam, cum ſint præcepta omnino diuerſæ rationis, nihil habent commune, ratione

ne cuius , vel in materià , vel in effectu continuari poſſint , & in vnũ coaleſcere ; ſicq; ſemper, remanent præcepta diuerſa, & qui illa tranſgreditur , ſemper plura præcepta tranſgreditur in materià leui .

COROLLARIVM.

15 Colligitur ex dictis , quæ dicta ſunt de præceptis diuerſis eodem die occurrentibus, valere etiam de pluribus Votis eodem die obligantibus; vt, ſi quis vno Voto promitteret , in honorem Virginis ſepties Salutationem Angelicam recitare; & alio Voto in honorem Dominicæ Paſſionis , quinquies Orationem Dominicam , & alijs Votis alias Orationes in honorem alicuius Sancti ; Quamuis enim omnium Votorum obligatio , pertineat ad virtutem Religionis;adhuc tamen ipſa Vota ſunt ita inter ſe diuerſa , vt nihil habeant commune , in quo eorum materiæ moraliter continuentur , ſicut dictum eſt de pluribus præceptis Eccleſiaſticis eodem die occurrentibus .

QVAESTIO LXII.

An omnes actus cum Re præceptà incompoſſibiles ſint peccatum mortale.

CASVS.

1 TITIVS, die quodam feſto, cum plueret , decreuit propter pluuiam domi manere, ac Sacrum omittere ; domi verò poſtea, partim ſtuduit; partim ambulauit, partim officium, ac coronam recitauit . Queritur ; Vtrum omnibus iſtis actionibus mortaliter peccauerit .

SVMMARIVM.

3 *Omnes actiones incompoſſibiles cum auditione Sacri, videntur eſſe cauſa omiſſionis Sacri .*

8 *Quænam actiones , ſint cauſa omiſſionis Sacri .*

9 *Quot modis comparari poſſint cum Sacri omiſſione .*

10 *Non omnes actiones incompoſſibiles , ſunt peccata .*

Non

11 *Non omnes fuerũt cauſa omiſſionis Sacri.*
12 *Reliquæ præter primam, ſe habuerunt concomitanter.*
13 *Sicut impedimenta luminis, poſita poſt primum, non impediunt.*
14 *Ille ſolus actus eſt cauſa omiſſionis Sacri, ex vi cuius ponitur omiſſio.*
15 *Primus actus integrè impedit auditionem Sacri.*
16 *Proiectio breuiarij, eſt cauſa omiſſionis officij.*
17 *Actiones, poſt cauſam ſufficientem omiſſionis, electæ, ipſius omiſſionis non ſunt cauſa.*
18 *Actus, qui eſt cauſa omiſſionis, non habet aliam malitiam, quam ipſius omiſſionis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVemadmodum peccatum veniale, aut aliud opus indifferens, quando eligitur, vt medium ad finem mortalem, fit mortale; Ita fit etiam mortale, quando intenditur vt finis conſequendus per medium mortale. Hoc ergo poſito, quæritur; an omnes actus, cum re præceptâ incompoſſibiles, ſint peccatum mortale, cum ſine præcepti violatione poni non poſſint; Nemo enim ſtudere poteſt, aut dormire diebus feſtis, dum Sacrum eſt audiendum, quin Sacrum omittat.

3 Et Titius quidem, omnibus illis actionibus, videtur mortaliter peccaſſe. Ita *Aluarez* 1. 2. *d.*76. & alij apud ipſum. Et ex parte *Valent.* 1. 2. *d.*6. *quæſt.*1. *p.*4. *Salas* 1. 2. *tract.* 13. *d.*7. *ſ.*7. quatenus dicunt, actum, qui eſt cauſa omiſſionis culpabilis eſſe peccatum commiſſionis.

4 Primò; Quia omnes illæ actiones, fuerunt cauſa omiſſionis Sacri; omnes enim erant incompoſſibiles cum Sacri auditione. Hoc autem ſufficit, vt omnes dicantur cauſa moralis omiſſionis Sacri; Tum quia illis poſitis, ſequitur neceſſariò omiſſio Sacri; Tum quia, omnes ex ſe habent; vt ſint impeditiuæ auditionis Sacri. Cauſa autem moralis peccati, eſt peccatum.

5 Secundò; Quia, vt aliquid cenſeatur cauſa moralis alicuius effectus, ſatis eſt, vt illo poſito, ſequatur effectus, quamuis ob aliam etiã cauſam ſequatur, vel ſequi poſſit. Sed poſito quocumque actu incompoſſibili cum auditione Sacri, neceſſariò ſequitur omiſſio Sacri. Ergo omnis actus incompoſſibilis cum auditione Sacri, eſt cauſa moralis omiſſionis Sacri.

6 Tertiò; Quia, de ratione cauſæ non eſt, vt ab illâ ſolâ ſit effectus, aliàs non futurus; alioqui ſequeretur, quod ſi duo homines, exploſis ſimul bombardis, hominem occiderent, neuter eorum eſſet cauſa illius cædis; quocumque enim illorum bombardam non explodente, adhuc ſecutus fuiſſet effectus. Ergo ad cauſam moralem, ſatis eſt, vt, ea poſitâ, ſequatur effectus, quamuis, illâ non poſitâ, adhuc idem effectus ſequeretur. Sed poſitis omnibus actionibus incompoſſibilibus cum auditione Sacri,

cri, ſequitur neceſſariò omiſſio Sacri. Ergo omnes, ſunt cauſa moralis omiſſionis Sacri; ideoque peccaminoſæ.

7 Quartò; Quia, ſi quilibet actus incompoſſibilis cum auditione Sacri non eſſet cauſa omiſſionis Sacri, ſequeretur, Clericum, qui iam ſtatuiſſet ex tędio, tempore nauigationis, officium non recitare, non peccare proijciendo breuiarium in mare; neque, qui Voto caſtitatis obſtrictus, vxorem duceret, ſi antea ſtatuiſſet Votum illud non ſeruare; nec Latronem, rem furto ſublatam diſtrahendo; ſi prius illam Domino ſtatuiſſet non reſtituere; in his enim omnibus caſibus, actus incompoſſibilis cum executione præcepti, non ita eſt cauſa omiſſionis, vt, eo remoto, fuiſſent hi præceptum ſeruaturi.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò; Actũ internum voluntatis, quo quis expreſsè vult Sacrum omittere, eſſe cauſam omiſſionis, quia directè fertur in omiſſionem ipſam, & ſimiliter actus illos externos, ex quorum intentione, ac deſiderio Sacrum omittitur, eſſe cauſam indirectam eiuſdem omiſſionis Sacri; quia propter illos Sacrum omittitur, & illi auditionem Sacri per ſe impediunt; differunt autem actus internus voluntatis, & illi actus externi, quia propoſitum omittendi Sacrum, eſt veluti cauſa efficiens omiſſionis, actus verò externi incompoſſibiles, qui fiunt tempore omiſſionis Sacri, ſunt quaſi cauſa formalis, quia formaliter impediũt obſeruantiam præcepti.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Actus qui fiunt tempore omiſſionis Sacri, ſiue quo eſſet audiendum Sacrum, dupliciter cum ipsà omiſſione comparari poſſe; primò per ſe, ſiue vt ſunt cauſa illius, & aliquid antecedens; & ſic ſemper ſunt peccatum, quamuis actus, alias, in ſe boni eſſent; Tum quia, cauſa peccati, eo ipſo eſt peccatum; Tum quia effectus, qui ſequitur ex actione humanà, eſt vna ex circunſtantijs ipſius; quando autem circunſtantia eſt mala, etiam ipſe actus, redditur malus; Ergo, quando omiſſio Sacri culpabilis, ſequitur ex aliquà actione tanquam ex cauſà, actio illa erit mala. Secundò comparari poſſunt actus cum omiſſione, tanquam aliquid illam accidentaliter concomitans; tunc autem non ſunt peccatum, quia, cum non ſint cauſa omiſſionis Sacri, nullam malitiam contrahunt ab ipsà omiſſione; imo volente iam Titio, v. g. domi manere, ac Sacrum omittere, melius eſt, eo tempore, ſtudere, aut horas Canonicas recitare, quam ludere. His poſitis.

RESOLVTIO.

10 REſpondetur; non omnes illas actiones fuiſſe peccaminoſas, ſed ſolam manſionem domi. *Valentia tom.2. diſ.6. quæſt 1.p.4. d.2. Azor. tom.2. lib.4. c.3. qu.7. Clauis reg. lib.2. c.6. num.10. Bonacin. diſ.2. de pecc. quæſt.4. p.3.*

num.

num.27. Vaſqu. 1.2. *d.93. cap.3. num.*10. *Becanus p.2. tract.2.c.3. quæſt.*5. & alij apud iſtos.

11 Primò; Quia hæc ſola manſio, per ſe primo fuit electa à Titio, & cum Sacri auditione erat incompoſſibilis. Ergo hæc ſola fuit cauſa omiſſionis externæ Sacri; hæc enim ſola, per ſe, & ſine alijs, re ipſa Sacri auditionem impediuit, & ex vi illius, ſecuta eſt omiſſio; Ergo hæc ſola, fuit cauſa omiſſionis, ideoque peccaminoſa.

12 Secundò; Quia omnes aliæ actiones, quamuis cum auditione Sacri incompoſſibiles, cum fuerint electæ solùm ſecundario, & poſt priorem illam operationem; (nomine autem operationis, intelligimus hic etiam id, quod phyſica operatio non eſt, vt ſedere, iacere, domi manere, &c.) non fuerunt cauſa omiſſionis; poſito enim primo illo opere incompoſſibili, ſcilicet manſione domi, neceſſariò poſita eſt omiſſio Sacri. Ergo reliqua opera, quæ ſecundario fuerunt aſſumpta, nullam habuerunt cauſalitatem in Sacri omiſſionem, ſed ſolùm habuerunt ſe per accidens, & concomitanter; ideoque non fuerunt malæ.

13 Tertiò; Quia, ſi lumen ſemel impediatur per concluſionem feneſtræ, iam reliqua impedimenta, quæ idem lumen impedire potuiſſent, de facto nullo modo impediunt, quia de facto iam ſemel integrè impeditum eſt; Ergo ſimiliter, cum auditio miſſæ, ſemel integrè impedita fuerit per manſionem domi, iam aliæ actiones, quæ ſuperuenerunt, quamuis aliàs impedire potuiſſent, tamen de facto auditionem Sacri non impedierunt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 Neque obſtant rationes in contrarium. Nam ad primam reſpondetur; Non omnem actum ex ſe incompoſſibilem cum auditione Sacri, eſſe actu cauſam omiſſionis, ſed illum ſolùm, ex vi cuius de facto ſequitur omiſſio Sacri, ſcilicet manſionem domi; ex vi enim iſtius ſolùm, ſecuta eſt omiſſio Sacri.

15 Ad ſecundam, & tertiam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe inter duas exploſiones bombardæ, & duas actiones incompoſſibiles cum auditione Sacri: nam vna exploſio, alteram iuuat in ordine ad occiſionem ponendam; Cum enim ſecundus explodit, non eſt adhuc poſita occiſio, vt ſuppono. At primus actus incompoſſibilis cum auditione Sacri, integrè ac perfectè eius auditionem impedit; Vnde reliqui ſuperuenientes nihil efficiunt.

16 Ad quartam Reſpondetur; negando ſequelam, proiectio enim breuiarij, facta à Clerico poſt propoſitum horas canonicas omittendi eſt peccatum, quia per illam ponitur cauſa omiſſionis horarum, & Clericus reddit ſe impotentem ad præcepti obſeruationem. Similiter qui obſtrictus eſt Voto caſtitatis, ſi ducat Vxorem, ponit veram cauſam omiſsionis Voti, quia reddit ſe impotentem ad Voti obſer-

ſeruantiam; denique diſtractio rei furto ablatæ eſt peccatum, quia eſt contrectatio rei alienæ, inuito Domino, & eſt actus incompoſſibilis cum reſtitutione.

COROLLARIA.

17 COlligitur ex dictis primò; operationes incompoſſibiles cũ auditione Sacri, non eſſe cauſam omiſsionis, quando ſecundariè eliguntur, & poſitâ iam alia causâ ſufficiente; nam, ſi eligerentur vt finis; vt ſi quis ex deſiderio ſtudendi, vellet domi manere, & ſic Sacrum omittere; iam eſſent cauſa omiſsionis per modum finis.

18 Secundò; Actum, qui eſt cauſa ſa omiſsionis Sacri, non habere aliam malitiam, quam malitiam omiſsionis Sacri, Tum quia ordinatur ad illam tanquam cauſa; in moralibus autem, quæ ad vnum ordinantur, non cenſentur eſſe numero diſtincta, cum quis enim parat gladium, & domo egreditur, vt occidat inimicum; licet iſti actus phyſicè ſint plures, omnes tamen conſtituunt vnum numero peccatum homicidij. Tum quia actus ſecundùm ſe bonus, redditur malus, ſolùm quia eſt cauſa omiſsionis Sacri. Ergo non habet aliam malitiam, præter malitiam ipſius omiſsionis; ab ea enim habet actus, vt ſit peccaminoſus. Tum denique quia bona intentio, quando eſt cauſa malæ electionis; vt, cum quis furatur ad eleemoſynam faciendam; quamuis in ſe ipsà, ſit peccatum; non habet tamen malitiam diuerſam à malitia electionis, v.g. à malitià furti.

QVAESTIO LXIII.

An propoſitum non abſtinendi ab vllo veniali, ſit peccatum mortale.

CASVS.

1 TITIVS, cum, quodam die, ſcrupulis angeretur; tedio affectus, omnia venialia committere propoſuit, & ſola mortalia vitare. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVM-

SVMMARIVM.

3 *Propoſitum admittendi omnia venialia, videtur occaſio proxima peccati mortalis, & ſic peccatum mortale.*
7 *Non eſt tamen mortale.*
8 *Non conſtituit in periculo proximo mortaliter peccandi.*
9 *Neque eſt virtualiter propoſitum periculi proximi.*
10 *Alioqui teneremur, vitare aliqua venialia.*
11 *Nec ſalus noſtra conſiſteret in obſeruatione præceptorum obligantium ad mortale.*
12 *Imo teneretur quis, etiam de venialibus conteri.*
13 *Venialia, conſtituunt ſolùm in remoto periculo mortalis.*
14 *Cum propoſito venialia non vitandi, ſtare poteſt firmum propoſitum vitandi mortalia.*
15 *Ideoque propoſitum venialium, non continet periculum mortalium.*
16 *Aliquando tamen eſt peccatum mortale.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CErtum eſt, peccatum veniale, ſi fiat occaſio proxima incidendi in mortale, fieri ſaltem plerumque mortale. Certum præterea eſt; Intentionem, ac propoſitum omnia venialia committendi ſiue non vitandi vllum veniale eſſe ad minimū peccatum veniale. Dubium ergo ſolùm eſt; an huiuſmodi intentio, ſit eſſentialiter conſtitutiua in periculo proximo peccandi mortaliter. Si enim eſt cō. ſtitutiua, eſt ex ſe peccatum mortale; ſi verò non eſt conſtitutiua poterit eſſe ſolùm veniale.

3 Quod autem ſit eſſentialiter occaſio proxima peccandi mortaliter, & conſequenter quod Titius per talem intentionem mortaliter peccauerit; tenent *Sanchez lib.* 1. *ſum. c.* 5. *num.* 4. *Bonac. d.* 2. *de pecc. qu.* 3. *p.* 5. *num.* 17. *Valent. tom.* 2. *d.* 6. *quæſt.* 18. *p.* 2. *Clauis reg. lib.* 2. *c.* 13. *num.* 17.

4 Primò; Quia habens hoc propoſitum, & hunc affectum ad omnia venialia, cenſetur eſſe in morali, ac proximo periculo peccādi mortaliter. Cum enim venialia *ex S. Thom.* 1.2. *qu.* 83. *art.* 3. ad mortale diſponant, iuxta illud *Eccleſ.* 18. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*; eo ipſo, quod quis vult omnia venialia committere, cenſetur eſſe in próximo, ac morali periculo peccandi mortaliter, illudque velle. Velle autem periculum proximum peccandi mortaliter, eſt mortale.

5 Secundò; Quia, propoſitum committendi omnia venialia in aliquà materià determinata, ſed periculoſa, v.g. in materià luxuriæ eſt peccatum mortale; ſi quis enim propoſitum habeat admittendi cōfabulationes, aſpectus, tactus, & ſimilia ex merà curioſitate, & ſecluſa intentione delectationis; in quo caſu ſunt ſolùm venialia; videtur eo ipſo mortaliter peccare; quia omnia iſta venialia videntur eſſe certum periculum libidinis mor-

mortalis. Ergo à fortiori, erit mortale, propoſitum generale committendi omnia venialia, quæ ſe obtulerint; Non minus enim, hoc propoſitum, eſt periculum proximum peccandi mortaliter, quam ſit aliud, peccandi in materià luxuriæ.

6 Tertiò; Quia, qui concupiſcit fæminam in communi, quia quantum eſt ex parte illius deſiderij, exponit ſe periculo concupiſcendi fæminam cuiuſcumque ſtatus ſit; ratione talis periculi, peccat ſpeciali peccato, eamque circunſtantiam in confeſſione explicare tenetur. Sed etiam, qui vult omnia venialia, quæ ſe obtulerint, committere, exponit ſe periculo peccandi mortaliter; obiectum enim iſtius propoſiti, apertiſſimum periculum in ſe continet peccandi mortaliter. Ergo peccat mortaliter.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen, Titium, eo propoſito, mortaliter nō peccaſſe. *Salas* 1. 2. *to.* 2. *qu.*88. *tract.*13. *d.*16. *ſ.*23. *num.* 67. *in fine*. *Io. Sanch. in ſelect. d.* 10. *num.*17. *Nau. c.*14. *num.*42.

8 Primò; Quia, quamuis peccata venialia ad mortale diſponant, nō diſponunt tamen moraliter, ac proximè, ſed ſolùm remotè; Videmus enim ſæpe, homines mortalia non committere, quamuis de venialibus nihil curent; nam, licet venialia charitatem refrigerent, & animum debilitent; propoſitum tamen non committendi mortalia, & piorum operum exercitium, eundem animum corroborant, detinentque, ne corruat; quod enim ex vnà parte deperditur, alià vià reparatur. Cum ergo propoſitum committendi omnia venialia, non ſit diſpoſitio, ac periculum proximum committendi mortale, neque erit peccatum mortale, ſicque Titius, tali propoſito, mortaliter non peccauit.

9 Secundò; Quia propoſitum committendi omnia venialia, ideo eſt peccatum mortale, quia eſt propoſitum periculi, & occaſionis proximæ committendi mortale. Ex hoc autem capite non poteſt eſſe mortale; nam illud periculum proximum committendi mortale, vel conſiſtit in omnibus venialibus ſimul ſumptis, vel ſolùm in aliquibus; non in aliquibus tantum, quia alias propoſitum committendi aliqua venialia in quacumque materià, eſſet propoſitum committendi mortale; neque in omnibus ſimul, quia nunquam dari poteſt caſus, in quo hæc committantur; Ergo propoſitum illa committendi, non eſt propoſitum alicuius periculi moralis, ac poſſibilis.

10 Tertiò; Quia, ſi propoſitum illud eſſet mortale, ſequeretur teneri quemlibet ſub mortali ad aliqua venialia vitanda; ſi enim omnia, ſunt occaſio proxima peccādi mortaliter, & vnuſquiſque hanc occaſionem vitare tenetur; Ergo vnuſquiſque tenetur omnia vitare, vitando aliqua; hæc autem quænam erunt?

11 Quartò; Quia, hac ratione, ſalus no-

noſtra non conſiſteret ſolùm in obſeruatione præceptorum obligantium ad mortale, ſed etiam in obſeruatione eorum, quæ obligant ad venialia, cum vitatio venialium ad vitationem mortalis neceſſariò requiratur.

12 Quintò; Quia, cum quis conteritur de mortali, teneretur etiam ſimul conteri de venialibus tanquã de proximis diſpoſitionibus ad illud. Conſequens autem euidenter eſt falſum; propoſitum enim non vitandi venialia optimè ſtare poteſt ſimul cum propoſito non admittendi mortale.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim Reſpondetur; Quamuis non ſolùm omnia, ſed ſingula venialia diſponant ad mortale, vt furtum leue ad furtum graue, non tamen inde ſequi, quod venialia conſtituant in morali, ac probabili periculo committendi mortale, ſed ad ſummum in periculo remoto. Hoc autem non inducit obligationem illud vitandi ſub mortali.

14 Ad ſecundam; Negatur Antecedens; poteſt enim quis nolle vitare venialia in aliquo genere, & tamen firmum propoſitum habere, vitandi mortale in eodem genere; neque apparet, quomodo venialia in aliquo genere, conſtituant in periculo proximo cõmittendi mortale in eodem genere.

15 Ad tertiam Reſpondetur; Negando minorem; neque enim apparet; quomodo obiectum propoſiti omnia venialia committendi, periculum proximum in ſe contineat committendi mortale, cum ſtare poſſit ſimul cum firmiſſimo propoſito non admittendi mortale.

COROLLARIVM.

16 COlligitur ex dictis; Aliquando propoſitum committendi venialia, poſſe eſſe peccatum mortale. Si quis enim propoſitum habeat committendi venialia, dum ſunt illi occaſiones proximæ mortalium; vt, ſi quis proponat ludere ſciens, ludum illi eſſe proximam occaſionem blaſphemandi; vel illa venialia, quæ cum alijs venialibus vnita conſtituunt mortale in eà circunſtantia, in quà illud conſtituunt; vt, ſi quis proponat multa furta committere, in paruà quantitate, quæ ſimul vnita conſtituant quantitatem ſufficientem ad mortale; certè iſte tunc mortaliter peccabit; hoc tamen non orietur, ex eo præcisè, quod ſit propoſitum admittendi venialia, ſed ex eo, quod ſit propoſitum admittendi venialia, in eà circunſtantià, in quà, vel ſunt periculum proximum mortalis, vel illud conſtituunt. Ita *Salas loco cit.*

QVÆ-

QVAESTIO LXIV.

Per quid peccata, ſpecie, inter ſe differant.

CASVS.

1 IN quadam Religione, inter regulas, quę obligabant ſub mortali, erat hęc, ne Religioſi ſub pœnà excommunicationis ſine Superioris licentià, extra Monaſterium, noctu comederent. Quidam autem Religioſus, ad cœnam ab amico inuitatus, inſcio Superiore, noctu apud illum cænauit. Queritur; quot peccata mortalia commiſerit.

SVMMARIVM.

3 *Religioſus, vnicum peccatum commiſiſſe videtur contra Votum obedientiæ.*
7 *Per quid, vnum peccatum ab alio diſtinguatur.*
8 *Ex diuerſitate Virtutum, colligitur diuerſitas peccatorum, & non è contra.*
9 *Religioſus, duplex peccatum commiſit.*
10 *Contra Votum, & contra regulam.*
11 *Cur ſint obligationes diuerſæ.*
12 *Quæ limitatio addi poſſit.*
13 *Votum, & regula, quas obligationes inducant.*
14 *Septimum, ac decimum Decalogi præceptum, quomodo differant.*
15 *Quomodo multiplicitas præceptorum, arguat multiplicitatem peccatorum.*
16 *Sacerdos Beneficiarius, officium omittendo, quot peccata committat.*
17 *Sacerdotem occidens, quot peccata committat.*
18 *Peccatum odij, ſit ne vnum, an multiplex.*
19 *Blaſphemia in loco Sacro, quotuplex ſit peccatum.*
20 *Idem peccatum, pluribus legibus poteſt eſſe prohibitum.*
21 *Peccata cordis, per quid ſpecie differant.*
22 *Per quid, peccata oris.*
23 *Per quid, peccata operis.*
24 *Regula ad ſpecificam peccatorũ diuerſitatem dignoſcendam.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm *ex Tridentino ſeſſ.* 14. *c.*5. ad Confeſſionis valorem ſingula peccata, & circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſint explicandæ. Vt, & Confeſſarij de peccatorum ſpecie, ac numero rectè iudicare, &

& Pœnitentes vtrumque pro vt oportet declarare valeant. Non abs re erit oſtendere; ex quo, eorum diſtinctio, ſiue ſpecifica, ſiue numerica deſumatur; Sic enim, ſtatui poterit regula, ad eorum ſpecies, ac numerum facilius dignoſcendum, & in Confeſſione explicandum.

3 Videtur ergo Religioſus, extra Monaſterium cænando vnicum peccatum commiſiſſe contra Votũ obedientiæ, quo regulam vouit; Ita *Sotus lib. 7. iuſt. qu. 2. art. 3. ad primum. Ledeſma in ſum. Sacr. tr. de pœn. c. 19.*

4 Primò; Quia, Voti obligatio, & obligatio regulæ, non ſunt duæ obligationes ſpecie diuerſæ, alioquin dici poſſet, etiam obligationes iuris naturalis, diuini, ac humani, eſſe tres obligationes ſpecie diuerſas; non magis enim inter ſe differunt illæ, quam iſtæ; Ergo Religioſus, noctu, inſcio Superiore, extra Monaſterium, cænando quamuis fecerit contra Votum, & contra regulam, non tamen commiſit duo peccata mortalia, ſed vnum; alioquin, etiam Vſuratius, v. g. dando ad vſuram, tria peccata committeret; faceret enim contra præceptum Diuinum; naturale, ac humanum; quod tamen nemo concedit.

5 Secundò; Quia; ſi Religioſus, ſic extra Monaſterium cænando, duo peccata commiſiſſet, etiam qui ex affectu rei alienæ, nullà interpoſità morà, mouetur ad furandum; duo peccata committeret, vnum contra decimum Decalogi præceptum; quo deſiderium rei alienæ, directè vetatur; alterum contra ſeptimum, quo furtum prohibetur; magis enim differunt inter ſe, ſeptimum præceptum, ac decimum, quam obligatio Voti, ac regulæ. Sed nemo dicit, eum, qui ex affectu rei alienæ, mouetur ad furandum, duo peccata commiſiſſe, ſed vnum; Ergo neque Religioſus, ſic extra Monaſterium cænando, duo peccata commiſit, ſed vnum.

6 Tertiò; Quia, Multiplicitas præceptorum, non rectè arguit multiplicitatem peccatorum; alioquin ad multiplicitatem peccatorum, requireretur multiplicitas præceptorum; Diuerſitas enim præceptorum, eſſet menſura, vnde deſumeretur diuerſitas peccatorum. Sed peccata multiplicari poſſunt ſpecie, etiam non multiplicatis præceptis; fornicatio enim, adulterium, pollutio, & beſtialitas, ſpecie inter ſe differunt, & tamen omnia, vni eidemque præcepto caſtitatis opponuntur. Ergo multiplicitas præceptorum, non rectè arguit multiplicitatem peccatorum, ideoque ex eo, quod Religioſus fecerit contra Votum, ac regulam, non rectè infertur, duo peccata commiſiſſe.

NOTABILIA.

7 Aduertendum eſt primò; cum idem ſit principium conſtitutiuum cuiuſcumque rei, & illius diſtinctiuum à qualibet alià; hinc fieri, vt, ſicut peccatum conſtituitur

tur in eſſe peccati per contrarietatem ad regulam rationis; ita per diuerſitatem eiuſdem contrarietatis ſpecie differat ab alijs; hæc autem diuerſitas, colligitur à poſteriori ex diuerſitate præceptorum, quibus opponitur; ex diuerſitate, inquam non materiali, ſecundum quam, plura præcepta inter ſe differunt ſolùm ratione diuerſorum præcipientium; nam eadem res; v.g. eadem vſura prohiberi ſimul poteſt præcepto diuino, naturali, ac humano; ſed formali ſecundum quam, plura præcepta inter ſe differunt, ratione diuerſorum finium, vel motiuorum, propter quæ aliquid præcipiunt, vel prohibent; Cum enim peccatum, ſit tranſgreſſio legis, vel præcepti; eo ipſo, quod præceptum, eſt formaliter diuerſum, ratione diuerſi motiui, etiam ipſa tranſgreſſio eſt diuerſa; Quoniam verò propter idem motiuum præcipi, vel prohiberi poſſunt aliquando, res inter ſe notabiliter diuerſæ; vt cum ex eodem motiuo Caſtitatis prohibetur fornicatio, pollutio, ſodomia, &c. hinc eſt, vt aliquando etiam peccata inter ſe differant iuxta diuerſitatem rerum, quæ præcipiuntur, vel prohibentur. Quamuis tunc etiam res illæ, præter finem communem, alium etiam habeant ſpecialem, vel conſideranti patebit.

8 Aduertendum eſt ſecundo; quãuis verùm ſit, peccata diuerſis virtutibus oppoſita, ſpecie diſtingui, non tamen è contra eſſe vniuerſaliter verum, quoties peccata ſpecie diſtinguuntur, toties eſſe contra virtutes diuerſas; nam caſtitas eſt virtus vnius ſpeciei, & tamen peccata contra caſtitatem ſunt multa, ſpecie diuerſa; vt fornicatio, adulterium, inceſtus &c. Similiter liberalitas, eſt vna virtus ſecundùm ſpeciem; & tamen eidem opponitur auaritia, ac *prodigalitas*, *quæ* ſpecie inter ſe differunt. *Diuerſitas* ergo ſpecifica peccatorum, colligitur propriè ex diuerſitate ſpecifica dictaminum rationis, quibus peccata illa opponuntur; ſicut enim peccatum iniuſtitiæ, conſiſtit in hoc, quod opponatur *dictamini rationis dictanti*; proximum non eſſe lædendum in bonis ſuis; Ita, quia Proximus, quattuor bonorum genera habet, in quibus lædi poteſt; ſcilicet, Vitam; Honorem; Famam; & Res temporales, Hinc fit, vt quattuor etiam dentur *dictamina* ſpecie diuerſa, quorum primùm dictat; Proximum non eſſe lædendum in vita: & huic opponitur homicidium. Secundum, dictat, non eſſe lædendum in honore; & huic opponitur Contumelia. Tertium dictat, non eſſe lædendum in fama; & huic opponitur detractio. Quartum denique dictat; non eſſe lædendum in rebus; & huic opponitur furtum; Dictamina autem iſta, ſpecie differunt, quia reſpiciunt bona notabiliter, ſiue ſpecie diuerſa. His poſitis,

RESOLVTIO.

9 AD Caſum Reſpondetur; Religioſum probabilius commiſſ-

miſiſſe duplex peccatum, alterum contra Votum, quo vouit regulam, alterum cōtra ipſam regulam. Ita *Suar. tom.3. de relig. lib.* 10. *c.6. num.6. Sanc. lib.* 4. *ſum.c.*11: *num.*25. *Vaſq. d.*98. *c.3. num.7. Salas tr.*13. *d.*3. *ſ.*2. *num.* 16. Et alij apud iſtos.

10 Primò; Quia peccatum, eſt legis tranſgreſſio. Ergo, vbi lex eſt diuerſa, etiam tranſgreſſio eſt diuerſa. Lex autem Voti, ac Regulæ, videtur eſſe diuerſa; regula enim, vim habet ſubditos obligandi, iuxta varias materias, & motiua virtutum, cum hic fuerit finis Legiſlatoris in condenda regula. Votum verò ſolum ex virtute Religionis; Vnde, quatenus eſt contra regulam, pertinet ad diuerſas ſpecies, iuxta diuerſas materias; quatenus verò, eſt contra Votum, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei infimæ, & pertinet ad eandem virtutem Religionis.

11 Secundò; Quia Regula, ſicut, & præceptum Superioris, ratione poteſtatis à Pontifice communicatæ, vim habet conſtituendi rem præceptam iu materià virtutis, iuxta varias materias, inſtar legum, cum ipſa etiam regula ſit lex; & Votum obligat ſemper in materià religionis, ad ſeruanda promiſſa Deo facta. Hæ autem duæ obligationes, videntur eſſe ſpecie diuerſæ. Ergo etiam peccata, erunt duo ſpecie diuerſa, & in confeſſione explicanda.

12 Limitat tamen optimè *Sanchez*; vt hoc verùm ſit in Superioris præcepto, ſolùm quando Superior præcipiens, obligare vellet ex vi vtriuſque poteſtatis, quam habet, & à Pontifice, & ex vi Voti obedientiæ; vt, ſi aliquid præciperet in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis; quia tunc per virtutem obedientiæ, exigit obedientiam Voto ſibi debitam, per pœnam verò excommunicationis, exigit obedientiam ſibi, vt Prælato, debitam. Si autem præcipiat ſolùm in virtute obedientiæ, probabilius eſt, tunc vnicum eſſe peccatum contra Votum, quia, cum non conſtet, intentionem Superioris eſſe, vtroque modo præcipere, non ſtrictius, ſed fauorabilius in dubio iudicandum eſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 Ad rationes autem oppoſitas Reſpondetur; ad primam; Negatur Antecedens. Votum enim, inducit obligationem ex motiuo Religionis; Regula verò, ex motiuo illius virtutis, ad quam pertinet actus, per regulam præceptus; regula enim, cum ſit quædam lex, conſtituit materiam præceptam in eà virtute, ad quam materia illa ſpectat, ſicut faciunt aliæ leges; quia hoc, regulariter eſt motiuum Legiſlatoris, dum regulam condit, aut præceptum imponit. Atque hinc eſt, vt ſi quis omittat rem præceptam, non ſatis ſit, fateri regulæ tranſgreſſionem, ſed explicari etiam debeat materia regulæ, vt conſtet ſpecies peccati commiſſi, vt accidit etiam in alijs præceptis; qui enim omittit Sa-

crum in die feſto, non ſatisfacit, dicendo; *Tranſgreſſus ſum præceptum Eccleſiaſticum*; ſed explicare debet etiam materiam omiſſam, vt conſtet ſpecies peccati commiſſi. Cum ergo motiuum regulæ, & motiuum Voti, ſint diuerſa, & pertineant ad diuerſas virtutes, cõſtituere poſſunt obligationes formaliter diuerſas, & refundere diuerſas malitias in tranſgreſſionem. Ius verò naturale, diuinum, ac humanum, cum obligent ex eodem motiuo, & differant ſolùm ex parte Præcipientium, differunt ſolùm materialiter, ideoque refundere non poſſunt in tranſgreſſionem, malitias diuerſas.

14 Ad ſecundam Negatur ſequela; Septimum enim, ac decimum præceptum, non differunt formaliter, cum habeant idem motiuum, ſed ſolùm materialiter, ratione rei præceptæ diuerſæ, quatenus vnum directè prohibet ſolùm actum internum, aliud verò etiam externum. At Votum, ac regula, differunt formaliter, quia habent diuerſum finem, ac motiuum, vt dictum eſt.

15 Ad tertiam; Diſtinguo Antecedens; Multiplicitas ſpecifica, & formalis præceptorum, non arguit multiplicitatem peccatorum; Nego Antecedens; Cum enim peccatum, nihil ſit aliud, quam legis tranſgreſſio, neceſſariò ad legis multiplicationem formalẽ, debet multiplicari. Multiplicitas materialis præceptorum, non arguit multiplicitatem peccatorum. Concedo Antecedens; Sicut enim, peccatum non habet malitiam, per oppoſitionem ad legem, quatenus procedit à tali, vel tali Legiſlatore, ſed ſolùm quatenus eſt condita propter tale, vel tale motiuum; ita nec diuerſitatem habet à lege, quatenus pendet à tali Legiſlatore, ſed ſolùm quatenus præcipit ex tali motiuo.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Sacerdotem beneficiarium, Diuinum officium ommittendo non committere duo peccata, quamuis faciat contra obligationem beneficij & Ordinis Sacri; nam vtraque hæc obligatio, impoſita eſt ex eodem motiuo religionis; vt Sacerdos, & beneficiarius, rebus ſacris vacet. Similiter, qui die Dominico, in quem incidit dies feſtus alicuius Sancti ex præcepto, Sacrum non audit, duo peccata non committit, quia plura hæc præcepta, non præcipiunt auditionem Sacri ex diuerſo, ſed ex eodem motiuo Religionis. Contra verò, Sacerdos, ſi in actum venereum conſentiat, duo ſaltem peccata committit, quia actus venereus Sacerdoti, ex varijs præceptis, & propter diuerſa motiua, eſt prohibitus; ſcilicet, ex motiuo caſtitatis, & ex motiuo Religionis ratione Voti, quod per actum venereum violatur.

17 Secundò; Eum, qui Sacerdotem occidit, committere plura peccata ſpecie diuerſa, quia facit contra plura præcepta, ex diuerſo motiuo impoſita; facit enim contra præ-

ceptum iuſtitiæ, & contra reuerentiam Sacerdoti debitam. Similiter, qui ſanguinem, in loco Sacro, voluntariè effundit, peccat contra iuſtitiam, ſanguinem fundendo, & contra reuerentiam loco ſacro ſpecialiter debitam, ex præcepto Eccleſiæ, hanc reuerentiam, in hac materià, ex religionis motiuo præſcribentis.

18 Tertiò; Peccatum odij erga proximum, quo quis vult illi malùm circa facultates, vel honorem, vel perſonam, non eſſe plura peccata diuerſa, ſed vnum; quia odiũ eſt peccatum, quod conſummatur interius, & in ſuo eſſe ſpecifico conſtituitur, potius ex motiuo, quã ex obiecto materiali. Ergo, licet mala volita proximo, ſpecie differant; quia tamen optantur ex eodem motiuo, hoc eſt, ex diſplicentià perſonæ; ideo odium, ſemper eſt vnius, eiuſdemque ſpeciei.

19 Quartò; Blaſphemiam, & turpia colloquia in loco Sacro, præter malitiam, quam habent in alio loco, non habere etiam malitiam ſpecialem in loco ſacro, ſicut habet pollutio; quia iſta non ſunt ſpeciali lege humanà, prohibita, ne fiant in loco ſacro, ob loci reuerentiam, ſicut eſt prohibita pollutio.

20 Quintò; Poſſe peccatum aliquod eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis ſit lege diuina, naturali, ac humana prohibitum; quia lex tam diuina, quam humana, illud ex eodem motiuo prohibere poteſt; atque ita de facto prohibetur vſura, furtum &c.

21 Peccata cordis, ſpecie differre, ac multiplicari; Primò, ratione obiecti, ſiue materiæ ſpecie diuerſæ; vt ſi quis velit occidere, ac furari. Secundò, ratione diuerſæ circunſtantię in eadem materià; vt, ſi quis velit furari in loco ſacro. Tertiò, Denique ratione finis diuerſi ab ipsà materià; vt, ſi quis velit occidere, vt furetur; hæc enim omnia habent deformitates, & oppoſitiones cum rectà ratione, quæ communiter reputantur notabiliter diuerſæ in genere moris.

22 Peccata oris, ſpecie differre; Primò, quando ſermo eſt de obiectis, ſiue materijs ſpecie diuerſis; vt ſunt, blaſphemiã, & contumelia. Secundò, quando eſt circa perſonas ſpecie diuerſas; vt contumelia dicta in Patrem, vel Regem, quia tunc cenſentur habere deformitates notabiliter diuerſas contra pietatem, ac iuſtitiam; omnes tamen contumeliæ, videntur eſſe eiuſdem ſpeciei, quia inter ſe notabiliter differre non videntur, cum omnes ſint læſiuæ eiuſdem honoris, in quo tota earum malitia conſiſtit.

23 Peccata operis, ſpecię differre, ſicut peccata cordis; Primò, ratione materiæ diuerſæ; vt, ſi quis occidat, & furetur. Secundò, ratione diuerſæ circunſtantiæ in eadem materià; vt, ſi quis furetur in loco ſacro. Tertiò, denique ratione finis, à materià diuerſi; vt, ſi quis occidat, vt furetur. Iſtæ enim omnes repugnantiæ cum rectà ratione; cenſentur communiter inter ſe notabiliter diuerſæ, in quà no-

notabili diuerſitate conſiſtit diuerſitas ſpecifica.

24 Ad dignoſcendam diuerſitatem ſpecificam peccatorum, hanc ſtatui, poſſe tanquam regulam vniuerſalem. Cum peccatum, ſit eſſentialiter transgreſſio legis internæ, vt dictum eſt; tot erunt peccata ſpecie diuerſa, quot erunt leges internæ notabiliter inter ſe diuerſæ. Tunc autem, leges internæ erunt notabiliter diuerſæ, cum habebunt motiua præcipiendi, vel prohibendi, notabiliter diuerſa. Tunc verò, motiuà erunt notabiliter diuerſa, cum à Viris prudentibus, talia iudicabuntur. Non quod iudicium prudentum hanc diuerſitatem notabilem efficiat, ſed quia, cum ex rebus ipſis habere non poſſimus regulam certam; hæc tandem deſumenda eſt ex iudicio prudentum, in eoque ſiſtendum eſt. Sic Inceſtus, & Adulterium, ſpecie differunt, quia inceſtus, eſt tranſgreſſio legis internæ dictantis; non eſſe accedendum ad non ſuam propter reuerentiam debitam ſanguini. Adulterium verò, eſt tranſgreſſio alterius legis internæ dictantis; non eſſe accedendum ad non ſuam, quia aliena eſt: Quæ duo motiua, prudentum iudicio, notabiliter inter ſe differunt.

QVAESTIO LXV.

Per quid peccata, quæ exterius perficiuntur, inter ſe, numero diſtinguantur.

CASVS.

1 DVM in quadam Eccleſià, magna populi multitudo, ad Sacramentum Euchariſtiæ recipiendum conflueret; Parochus, quamuis cum conſcientia peccati mortalis, plurium Confeſſiones audiuit, eiſque Euchariſtiam miniſtrauit. Quæritur; Vnum ne, an plura peccata commiſerit.

SVMMARIVM.

3 *Plurium Confeſſiones audire in ſtatu peccati mortalis, vix detur vnum numero peccatum.*

8 *Peccata alia ſunt merè interno, alia etiam externa.*

Plu-

9 *Plurium Confeſſiones ſic audire, ſunt plura peccata.*

10 *Plures Confeſſiones, ſunt plures actiones completæ, & inter ſe non vnibiles.*

11 *Sicut Percuſsio Petri, & percuſsio Pauli.*

12 *Diuerſitas numerica peccatorũ ſumitur ex diuerſitate obiectorum, vel actionum externarum.*

13 *Confeſsiones nihil habent, in quo vniri poſsint.*

14 *Non ordinantur ad aliquid aliud.*

15 *Sicut plura periuria ad confirmandam eandem falſitatem.*

16 *Voluntas omittendi officium, fertur in ſingulas horas tanquam in eius partes.*

17 *Tot ſunt peccata, quot ſunt actus externi conſummati.*

18 *Peccatum non reſtituendi, eſt vnum, non plura.*

19 *Vſus rei alienæ, eſt peccatum diuerſum ab eius acceptione.*

20 *Omnes actus præcedentes, vel ſubſequentes actum principalem, ſunt vnum ſolùm peccatum.*

21 *Etiamſi ex ſe, non ſint indifferentes, ſed mali.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVoniam in Confeſſione, non ſolùm peccatorum ſpecies, ſed etiam numerus eſt explicandus; Ideo, ſicut oſtendimus, vnde eorum ſpecies deſumatur, ita oſtendendum eſt, vnde deſumi debeat eorum numerus; Et quia hic, diuerſo modo deſumitur in peccatis externis, ac in internis; De externis prius, quærendum eſt; deinde, *Quæſt. ſeq.* de Internis.

3 Videtur ergo Parochus vnum tantum peccatum commiſiſſe. Ita *Azor. tom. 1. lib. 4. c. 4. in fine. Ioan. Sanch. in ſelec. d. 6. num. 1. Nauar. in c. conſideret, in princ. de pænit. d. 5. num. 48.*

4 Primò; Quia, cum confeſſiones illæ fuerint auditæ vna poſt aliam, videntur moraliter inter ſe continuari, & quaſi vnum actum completum moraliter integrare; ſicut, qui totà nocte contra prohibitionem ludit, ſemel tantùm luſiſſe videtur; *ex Bartolo, & Nauar. de pœnit. c. cum conſideret num. 46.* Ergo, ſicut iſte, cenſetur vnum tantùm peccatum committere, ita Parochus, confeſſiones audiendo.

5 Secundò; Quia, ſi quis ex voluntate occidendi inimicum, emat gladium, equum aſcendat, inimicum ſequatur, ac tandem occidat, quamuis interim voluntatem illum occidendi ſæpius repetat, cenſetur tamen vnum tantum peccatum cõmittere, & ſatisfacit, confitendo occiſionem. Ergo eodem modo, cum illarum Confeſſionum auditiones, proceſſerint omnes ab eadem voluntate, cenſentur vnum ſolùm peccatum moraliter conſtituere.

6 Tertiò; Quia, qui ſucceſſiuè plures contumelias, ac iniurias in aliquem profert, vocando illum adulterum, furem, periurum, &c. non committit tria peccata, licet

triplicem iniuriam diuerſæ rationis proferat. Ergo neque Parochus, audiendo plures confeſſiones plura peccata commiſit; non minus enim ſingulæ iniuriæ, ſunt in ſe ipſis completæ, quàm ſingulæ confeſſiones.

7 Quartò; Quia, qui voluntatem habet occidendi vnam familiam per modum vnius, vnum ſolùm peccatum formaliter committit; alioqui, qui vellet homines infinitos occidere, malitias infinitas formaliter contraheret. Sed etiam Parochus, initio voluntatem habuit audiendi confeſſiones accedentium per modum vnius; Ergo vnum ſolùm peccatum commiſit, quamuis virtualiter multiplex, ſicut eſt virtualiter multiplex etiam voluntas totam familiam occidendi, quia vult formaliter plures occidere; nec ſatisfaceret, quis in confeſſione dicendo; ſe habuiſſe voluntatem homicidij; quia non eſt voluntas vnius homicidii, ſed plurium; ſicut non ſatisfaceret dicendo, ſe habuiſſe intentionem fornicandi, ſi intentionem habuiſſet fornicandi cum omnibus in eadem domo exiſtentibus.

NOTABILE.

8 ADuertendum eſt; Dari aliqua peccata, quæ interius conſummantur; vt odium, ſuperbia, inuidia, hæreſis, delectatio moroſa &c. & aliqua, quæ exteriùs perficiuntur; vt iuramentum falſum, homicidium, furtum, fornicatio, &c. rurſus inter ea, quæ exterius perficiuntur, aliqua ita habent ſuum terminum integrum, & completum, vt ab alio non dependeant in eſſe peccati, ſed totam in ſuo genere malitiam completam habeant; vt fornicatio; alia verò, vel proprium terminum non habent ex ſe vltimò completum, ſed vnibilem cum alio in ordine ad aliquod tertium; vt, ſi plura iuramenta adhibeantur ad vnicam falſitatem eodem tempore confirmandam; vel plures maledictiones, idem malum inimico imprecentur, vel plures percuſſiones, vnum vulnus conſtituant; vel ordinantur ad alium actum principalem, tanquam via, ac media ad finem; vt, cum quis animo furandi, ſcalam arripit, aliiſque mediis vtitur ad furandum. Quoties actus, habent ſuum terminum vltimò completũ, & independentem ab alio in genere peccati, nec habent aliquod tertium, in quo vniri poſſint; toties ad multiplicationem actus, multiplicantur peccata; quia peccata numero diſtinguuntur per multiplicationem huiuſmodi obiectorũ completorum. Cum verò actus, vniri poſſunt in aliquo tertio, vel ordinantur ad alium actum principalem, tanquam via ad terminum, vel media ad finem; peccata non multiplicantur ad multiplicationem actuum. Tum quia, ratione illius vnionis in aliquo tertio, datur fundamentum illos moraliter reputandi tanquam vnum; Tum quia, media videntur facere vnum cum fine; & quando vnum eſt propter aliud, non cenſetur niſi vnum

vt

vt docet *S. Thomas* 1. *p. quaſt.*5. *art. pen. ad vlt. arg.* hoc poſito.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum reſpondetur; Parochum, tot peccata numero diuerſa commiſiſſe, quot confeſſiones audiuit. *Vaſquez* 1.2. *d.*98. *c.*3. *num.*9. *Henriq. lib.*5. *de Sacr. c.*5. *num.* 4. *Molina tom.*4. *d.*41. *num.*4. *Salas tract.*13. *d.*5. *ſ.*6. *num.*65. *Filliuc. tr.*21. *cap.*9. *num.*331. & alij apud iſtos.

10 Primò; Quia ad multiplicationem perſonarum multiplicantur etiam actiones, neque vna cum alia vniri poteſt ad faciendum vnum; neque enim auditio vnius confeſſionis, poteſt cum auditione alterius componere vnum, magis, quàm vna fornicatio, cum alia vnã fornicationem, vel vulneratio Titij, cum vulneratione Sempronij vnam vulnerationem; Nam quælibet ex iſtis actionibus, eſt omnino independens ab aliâ in eſſe peccati, ſicut ſunt ipſæ perſonæ, & totam malitiam in ſuo genere completam habet, non minus, quam fornicatio cum diuerſis perſonis; Sicut ergo plures fornicationes, ſunt plura peccata, ita plures adminiſtrationes confeſſionis, erunt plura peccata.

11 Secundò; Quia, ſi quis, percuſſo Petro, ſtatim percutiat Paulum, aut prolata blaſphemiâ in S. Petrũ, aliam ſtatim conijciat in S. Paulum non vnum tantùm peccatum committit, ſed duo. Ergo etiam, ſi Parochus, audita Titij cõfeſſione in ſtatu peccati mortalis, audiat confeſſionem Sempronij, non vnum, ſed duo peccata committet; non minus enim hi, tam phyſicè, quàm moraliter reputantur duo actus cõpletè diſtincti, quam illi.

12 Tertiò; Quia, ſicut diuerſitas numerica motuum deſumitur ex diuerſitate ſubiectorum, quæ mouentur, vt communiter docent Philoſophi, ita diuerſitas numerica peccatorum, deſumenda videtur ex diuerſitate obiectorum, vel perſonarum, circa quas diuerſi actus ſucceſſiuè verſantur.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; Ad primam; adminiſtrationes illas confeſſionis, nihil habere, in quo vniri poſſint, ac continuari, ſicut nec habent plures fornicationes; ideoque integrare non poſſe moraliter, aut componere vnum actum, vel adminiſtrationem; ſicut nec plures fornicationes vnam fornicationem; Qui autem, eodem impetu iræ, eadem conuicia, vel blaſphemias, vel percuſſiones, pluries repetit, vnum tantùm peccatum committere videtur, quia prius peccatum videtur moraliter cum ſubſequentibus continuari, ita vt omnes illi actus, vnam rixam, vel pugnam integrent; ſicut ludus totius noctis, vnum ludum integrare videtur. Neque dici poteſt, actiones illas vniri in voluntate finis; Tum quia, hac ratione etiam plures fornicationes vniri poſſent.

Tum quia, adminiſtrationes illæ, non ſunt ex ſe medium ad aliud.

16 Ad ſecundam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe maximam inter actiones ordinatas ad occiſionem inimici, & inter confeſſionis adminiſtrationem, factam pluribus; nam illæ actiones, cum omnes ordinentur tanquam media ad occiſionem, tanquam ad finem, & actum principalem; cenſentur facere vnum cum illa; vnde, explicato actu principali, cenſentur omnes ſufficienter explicatæ; at auditiones confeſſionum, non ordinantur vna ad aliam, ſed quælibet eſt omnino independens ab alia, & in ſe eſt adæquatè completa. Si tamen occiſio, ſiue actus principalis non ſequeretur, tunc teneretur, qui illa media adhibuit, ad ea confitenda, quia tunc eſſent plura peccata, eo quod tunc non haberent in quo vnirentur.

15 Ad tertiam; Iam ex ſupradictis patet reſponſio; periuria enim illa, vniuntur, quia fiunt ad confirmandam eandem falſitatem; & iniuriæ, vnam rixam conſtituunt; hoc autem non contingit in adminiſtratione confeſsionis, facta pluribus.

16 Ad quartam Reſpondetur; Voluntatem internam occidendi integram familiam per modum vnius poſſe dici vnum numero peccatum, ſicut voluntas comburendi domum, vel voluntas omittendi officium; quia omnes ex illâ familiâ, accipiuntur per modum vnius, ſicut omnia cubicula accipiuntur, quatenus conſtituunt vnam domum, & omnes horæ canonicæ, quatenus componunt vnum officium diuinũ; At occiſio ſucceſſiua ſingulorum, nunquam dici poterit vnum peccatum, ſed tot, quot erunt perſonæ occiſæ, Similiter ergo, quamuis concederetur, voluntatem internam audiendi confeſſiones omniũ, fuiſſe vnum ſolùm numero peccatum internum; adhuc tamen non ſequeretur, quod actualis auditio confeſſionis ſingulorum, non eſſet multiplex peccatum pro multiplicitate perſonarum, quarum confeſsio audiretur. Dixi, pro multiplicitate perſonarum; quia, ſi idem ſæpius, ſine notabili morà inter vnam confeſsionem, & aliam, ad confeſſionem accederet, tunc cenſeri poſſet moraliter vna confeſsio, ſicut cum quis eundem, pluries percutit ſine interruptione, cenſetur ſemel ſolùm moraliter illum percutere; tunc enim, non daretur, neque diuerſitas obiecti, neque moralis temporis interruptio. Ex his autem ſolùm capitibus, deſumitur numerica peccatorum diuerſitas.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; Tot eſſe peccata numero diuerſa, quot ſunt actus externi conſummati, vnus poſt alterum, quia poſt conſummatum primum actum; qui ſequitur, eſt omnino alius, & diuerſus, & ſua turpitudine per ſe malus, ac vitioſus. Quando verò actus externus, vnus eſt & cõtinuus, ſemper peccatum eſt vnum numero,

ro, quamuis internæ voluntates multiplicentur; licet enim voluntas formalis ceſſet, ac interrumpatur; virtualis tamen ſemper continuatur, ſicque omnes illi actus interni, cenſentur eſſe vnus moraliter. *Suarez de pœn.d.*23. *ſec.*5. *num.*20.

18 Secundò; Peccatum externum non reſtituendi, etiam ſi duret per annum, eſſe vnum numero peccatum, quamuis actus interni multiplicentur, quia ſemper continuatur in illâ exteriori omiſsione debitæ reſtitutionis. Dummodo tamen non interrumpatur; hoc enim neceſſarium eſt in quocumque peccato; interrumpitur autem, vel per propoſitum reſtituendi, vel ſi fiat impotens ad reſtituendum. Quia in his caſibus, retentio illa, exterius deſinit eſſe verè, & formaliter in ſe peccatum, cum deſinat eſſe voluntaria; vnde iterum incipit deinde noua, ac diuerſa retentio, ſicque nouum, ac diuerſum peccatum. *Vaſquez tom.*4. *in tertiam par. quæſt.* 91. *art.*1. *dub.*5. *num.*21.

19 Tertiò; Licet in rebus, quæ vſu conſumuntur; vt ſunt panis, vinum, pecunia &c. Vſus rei alienę, non ſit nouum peccatum diſtinctum, à peccato iniuſtæ acceptionis; quia earum vſus non eſt æſtimabilis pretio diſtincto à pretio ipſius rei; vſus enim panis non habet pretium diſtinctum à pretio ipſius panis. In rebus tamen, quæ vſu non conſumuntur; vt ſunt equus, domus, veſtis &c. Vſum rei furto ablatæ, eſſe nouum peccatum numero ſaltem diſtinctum ab ipſo peccato furti, & in Confeſſione explicandum. Quia earum vſus, eſt æſtimabilis pretio diſtincto à pretio ipſius rei; pro vſu enim equi, vel veſtis, aut domus, recipi licitè poteſt pretium. Ergo ſicut Depoſitarius ſi contra Deponentis voluntatem vtatur re depoſitâ, peccat; ita qui vtitur re furto ablatâ, peccat nouo peccato diſtincto à peccato iniuſtæ acceptionis, & in confeſsione explicando. *Nauar. cap.* 17. *ſumm. num.*54.

20 Quartò; Quando actus, qui peccatum conſummatum præcedunt, vel ſubſequuntur, ſunt actus ex ſe indifferentes; vt, cum quis, ex intentione occidendi inimicum, ſurgit è lecto, parat enſem, domo egreditur, & alias actiones exercet, donec illum interficiat; omnes eſſe vnum tantùm peccatum, quia tota illa ſeries actionum, fit ex vi vnius voluntatis occidendi, in quà eſt vna tantùm malitia homicidij. Ergo tota illa, eſt vnum peccatum; Vnde ſatis eſt dicere; vel; *occidi hominem*; ſi ſecutum eſt homicidium; vel, ſi ſecutum non eſt; *habui voluntatem occidendi*.

21 Quintò; Quando actus, qui præcedunt, vel comitantur actum externum conſummatum, ſunt per ſe mali; vt ſunt in peccato fornicationis, oſcula, tactus, amplexus, & ſimilia; eſſe etiam omnes moraliter vnum tantùm peccatum; quia, cum omnes tactus impudici, præſcindendo à copulà, ſint eiuſdem rationis, ac ſpeciei, ſiue ſint oſcula, ſiue amplexus &c. ſicut omnes con-

contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei; ſequitur, quod, ſicut non ſtatim, ac iniuriæ multiplicantur phyſicè, cenſeantur etiam multiplicari moraliter; ſed, cum quis vno impetu iræ, ter aut quater vocat alium latronem, cenſeatur vna numero contumelia; Ita non ſtatim, ac quis alium impudicè oſculatur, amplectitur, vel tangit &c. cenſeatur plura moraliter, peccata committere, ſed vnum ſolùm, quod explicabitur in confeſſione ſufficienter dicendo; *ſemel impudicè tetigi*: ratio enim tactus impudici, neceſſariò includitur in copulà fornicarià, quæ haberi non poteſt ſine tactu. Ergo eo ipſo, quod quis explicat copulam, explicat etiam neceſſariò, ſe tactum impudicum habuiſſe. Cum ergo multitudo tactuum impudicorum, non ſit neceſſariò declaranda, quia moraliter cenſetur vnus numero tactus; neque oſcula confitenda ſint ſub nomine oſculi, ſed ſufficiat ſub nomine tactus impudici; ſequitur, explicatà fornicatione, omnia ſufficienter remanere explicata, ſiue copulam antecedant, ſiue ſubſequantur. *Fagundez de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 4. *num.* 14.

QVAESTIO LXVI.

Per quid, peccata merè interna diſtinguantur inter ſe, numero.

CASVS.

1 TITIVS propoſuerat, ad domum meretricis accedere, ad fornicandum; dum autem eſſet in via, ob negotium quoddam, quod abſoluere voluit, ad alia diſtractus, propoſitum aliquoties interrupit, & poſtea renouauit, donec tandem acceſſit, & fornicatus eſt. Quæritur; an plura illa propoſita, fuerint plura numero peccata, an vnum.

SVMMARIVM.

2 *Quot modis voluntas ab actu interno poſsit ceſſare.*

3 *Plura fornicandi propoſita, videntur fuiſſe plura peccata.*

6 *Quæ diuerſitas ſit inter peccata interna voluntatis.*

7 *Voluntas inefficax, per quid differat ab efficaci.*

8 *Quomodo vtraque cẽſeatur moraliter perſeuerare.*

9 *Plura illa propoſita, ſunt vnum numero peccatum.*

10 *Omnia, ſunt moralis continuatio primi.*

11 *Primũ cenſetur moraliter perſeuerare, quandiu non retractatur.*

12 *Hanc pluralitatem, nec pœnitentes confitentur, nec Confeſſarij quærunt.*

13 *Non eſt confitendus numerus vulnerum, quibus alius occiſus eſt.*

14 *Quæ diuerſitas inter actus efficaces, & inefficaces.*

15 *An efficax, longo tempore durare poſsit.*

16 *Plures actus inefficaces, cur non poſsint vniri.*

17 *Actus inefficaces, multiplicantur per ſolam ceſſationem, ac interruptionem.*

18 *Efficaces per ſolam retractationem.*

19 *Quamuis non ſequatur actus externus, pluralitas actuum internorum efficacium, confitenda non eſt.*

20 *Quando actus efficax retractatur, & poſtea repetitur; ſecundus, eſt nouum peccatum in Confeſſione explicandum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Sicut certum eſt, Voluntatem, quandiu in eodem actu interno peccaminoſo perſeuerat, vnum tantum peccatum committere; ita certum videtur, quando ceſſat ab eo actu, & poſt aliquod tempus, per nouum, ac diſtinctum liberi arbitrij exercitium, alium ſimilem actum producit, aliud etiam peccatum à primo ſaltem phyſicè numero diſtinctum, committere. Quia tamen, voluntas diuerſo modo ceſſare poteſt à primo actu, & poſt aliquod tempus, alium ſimilem producere; aliquando enim ceſſare poteſt voluntariè; vt cum illum, vel formaliter, vel virtualiter retractat; aliquando verò naturaliter; vt, cum illum, vel per ſomnum, vel per comeſtionem, vel per diſtractionem ad aliud, interrumpit. Ideo quæri ſolet, quæ interruptio, ſiue quæ ceſſatio requiratur, vt ſecundus actus ſit peccatum, non ſolùm phyſicè, ſed etiã moraliter numero diſtinctum à primo. Plura enim Titij propoſita, moraliter, plura numero peccata fuiſſe videntur. Ita *Suar. tom. 4. in 3. p. d. 22. ſ. 5. num. 17. Vaſq. 1. 2. d. 75. c. 2. Bonac. d. 2. de pecc. quæſt. 4. p. 2. num. 9. Filliuc. to. 2. tract. 21. c. 8. num.* 313. qui tamen *num.* 318. ait in ordine ad confeſſionem non multiplicari nu-

mero

mero, niſi interruptiô ſit moralis, & voluntaria.

3 Primò; Quia alioqui ſequeretur, quod, ſi quis pluries proponeret fornicari, & poſtea non fornicaretur, ſufficeret dicere in confeſſione, ſemel habui voluntatem efficacem fornicandi, nec explicare teneretur numerum actuum internorum voluntatis, quibus peccare ſtatuerat; omnes enim illi actus, cenſerentur vnus actus moraliter continuatus. Conſequens autem eſt abſurdum; ſi quis enim pluries voluntate inefficaci, ſibi complaceat in fornicatione, numerum actuum internorum explicare tenetur; Ergo multo magis tenebitur eumdem numerum explicare, quando voluntates, fuerunt efficaces.

4 Secundò; Quia, ſi quis haberet voluntatem efficacem fornicandi, & poſtea ab illà ceſſaret, & poſt menſem eamdem voluntatem repeteret, certè in iſto caſu, nouum peccatum committeret numero diſtinctum à priore, & in confeſſione explicandum. Ergo, multiplicatis actibus internis, multiplicantur numero peccata.

5 Tertiò; Quia, ſi quis eliciat actum odij erga proximum, & poſtea ab eo ceſſet, & illum repetat, cenſetur nouum peccatum committere, in confeſſione explicandum. Ergo à fortiori, ſi quis efficaciter proponat fornicari, & poſtea ab eo propoſito, per aliquam diſtractionem, vel ſomnum ceſſet, & iterum deinde illud repetat, committet nouum peccatum, in confeſſione explicandum.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; Peccata, quæ interius à voluntate committuntur, eſſe *in triplici* differentia; *Quædam enim ſunt*; quæ actum externum nullo modo reſpiciunt, neque tanquam effectum per ipſos ponendum, in quo conſummentur; neque tanquam obiectum, à quo ſumant ſuam malitiam, & ſpecificentur, vt eſt odiũ Dei, vel proximi; ſuperbia; inuidia &c. *Alia ſunt*, quæ, licet non ordinentur ad ponendum actum externum, ab eo tamen ſpecificantur, & ſumunt ſuam malitiam; vt delectatio moroſa; vel ſimplex complacentia; vel deſiderium inefficax alicuius peccati, ſiue actus externi; v. g. fornicationis, aut homicidij. Alia denique ſunt, quæ, non ſolùm reſpiciunt actum externum vt obiectum, ſed etiam vt effectum per ipſos ponendum, ac executioni mandandum; vt eſt intentio, ſiue propoſitum efficax fornicationis, vel homicidij. Hi enim actus, ordinantur ad ponendum actum externum, ſuntque illius cauſa.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Voluntatem efficacem, ab inefficaci diſtingui, quia efficax, ſi non retractetur, mouet neceſſariò ad ponenda media ad actum externum conſequendum; illum enim reſpicit, vt executioni mandandum; inefficax verò, non mouet ad ponen-

nenda media; quia non reſpicit actum externum, vt executioni mandandum. Dupliciter autem retractari poteſt actus efficax; Primò per actum contrarium, vt ſi quis, poſtquam efficaciter propoſuit inimicum occidere, mutatà voluntate, ſtatuat non occidere. Secundò, non ponendo media neceſſaria; eo enim ipſo, quod infirmus, oblatam medicinam neceſſariam ad ſanitatem conſequendam, recuſat, conuincitur, nolle amplius efficaciter ſanitatem, & priorem voluntatem retractare in actu exercito.

8 Aduertendum eſt tertiò; Voluntatem efficacem, ex eo quod ſit cauſa actus externi, cenſeri moraliter perſeuerare, quandiu non retractatur, vel formaliter per actum retractationis, vel virtualiter, & in actu exercito per aliquem alium actum, qui impediat eius cauſalitatem, & efficaciam: ex eo enim, quod eſt cauſa actus externi, cenſetur moraliter manere, quandiu eſt aliquo modo vtilis ad illum ponendum. Semper autem eſt vtilis, quandiu eius efficacia non impeditur; vnde cum quis hodie habet intentionem applicandi Sacrificium craſtinum pro defunctis, voluntas applicatiua ſacrificij, cenſebitur cras moraliter perſeuerare per hoc quod retractata non fuerit, quia per hoc, erit cauſa ſufficiens, & efficax applicationis Sacrificij. Ex eo autem, quod perſeueret moraliter, donec aliquo modo retractetur, fit, vt non interrumpatur moraliter, niſi per aliquam retractationem, ſiue formalem, ſiue virtualem, & æquiualentem; Sicut enim actus inefficax, non interrumpitur, niſi per id, quod ceſſare facit eius exiſtentiam; ita actus efficax non interrumpitur, niſi per id, quod ceſſare facit eius cauſalitatem, & efficaciam, eumque reddit inutilem ad ponendum ſuo modo actum externum: Hoc autem eſt, ſola retractatio vel formalis, vel virtualis. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum reſpondetur; Plura illa propoſita à Titio repetita, vnum ſolùm numero peccatum fuiſſe, & non multa. *Salas 1.2. qu.73. tr.13. d.58. Nauarr. c.6. ſumm. n. 16. Rebell. de oblig. iuſt. p.1. lib.2. quæſt.17. num.9. Caiet. tom.1. opuſc. tr.31. reſp.15. d.2. P. Nauar. lib.4. de reſt. c.4. num.10.* vbi ait oppoſitam opinionem eſſe pœnitentibus ſcrupoloſiſſimam, & Confeſſarijs moleſtiſſimam. *Philiarc. p. 2. lib. 2. c.21. Granado controu.6. tract. 2. d. 5. num.5. Ledeſma p. 2. ſum. tr. 9. c.4. Concl.14. diffic.1. Rodriguez p.1. ſum. c.52. num.7. Garzia to.1. de benef. p. 3. c.2. num.137. Aragon. 2.2. quæſt.62. art.8. ad.2.*

10 Primò; Quia, ſi quis efficaciter proponat, inimicum occidere, & deinde, per aliquantulum temporis ſpatium, ad alia ſe diuertat, ita vt homicidij non recordetur, ſicque propoſitum phyſicè interrumpat; & poſtea idem propoſitum repetat; hic ſecundus actus non erit

erit peccatum numero diſtinctum moraliter à primo, ſed erit vnum numero peccatum cum illo continuatum, & moraliter non interruptum; cum enim voluntas ſecundum actum repetit, ſolùm facit, vt primus actus, qui adhuc implicitè, ac virtualiter durabat, eo quod nullo modo fuerit retractatus, efficiatur explicitus, ac formalis; vnde mutatur ſolùm ſecundùm accidentalia, manens moraliter idem ſecundùm ſubſtantiam indiuidualē, vt docet *Salas* 1.2.*q.* 73.*tr.*13.*d.*5.*ſ.*8.*n.* 85. Ergo idem dici poteſt de propoſito fornicandi in Titio. illud autem, vnde ſumi poteſt hæc vnitas numerica, ſiue continuatio moralis iſtorum actuum, eſt ipſe actus externus, quem omnes interni reſpiciunt, vt in eo perfectè conſummentur.

11 Secundò; Quia, quandiu prior voluntas, per contrariam voluntatem non retractatur, & interrumpitur, cenſetur moraliter perſeuerare. Ergo, quamuis eamdem voluntatem, quis ſæpe repetat, ſi eam per retractationem non interrumpit, ſemper moraliter cēſetur eamdem voluntatem habere, idemque numero peccatum committere; Sicut enim ad diſtinctionem ſpecificam peccatorum non ſufficit diſtinctio phyſica, ſed requiritur moralis; ita ad diſtinctionem numericam, non ſufficit diſtinctio phyſica, ſed requiritur moralis. Cum ergo Titius, ſupponatur primum propoſitum fornicandi nunquam retractaſſe; conſequenter per repetitionem alterius ſimilis propoſiti, nouum peccatum non commiſit, ſed eamdem voluntatem ſemper moraliter habuit; ideoque idem numero peccatum commiſit.

12 Tertiò; Quia hanc repetitionem actuum voluntatis efficacis, neque pœnitentes confiteri ſolent, nec Confeſſarij interrogare, quamuis regulariter, antequā conſummetur peccatū externū, præcedere ſoleat eius internum propoſitum, quod formaliter continuari non ſolet, vſque ad conſummationem, ſed ſæpius interrumpi per diſtractionem ad alia, & deinde repeti, dum peccatum conſummatur. Ergo ſignum eſt, non eſſe plura peccata, ſed vnum; ſi enim eſſent plura, non daretur hæc praxis in tota Eccleſia. Ita *Nauar. c.6. ſumm. num.* 17. cuius praxis ea videtur eſſe ratio; quia, explicato actu externo, ſufficienter explicatur voluntas efficax illum ponendi, à quà proceſſit; Quod autem hæc voluntas, fuerit phyſicè multiplex, eſt omnino per accidens, ſatis enim eſt, quod ſit vna moraliter.

16 Quartò; Quia in Confeſſione, non eſt neceſſariò explicandus numerus vulnerum, quæ quis inimico inflixit, dum eum occidit, quāuis vulnera illa fuerint phyſicè diſcontinuata, ſed ſufficit, ſi ille confiteatur peccatum homicidij. Et hoc non alia de causà, niſi quia, vel omnia illa vulnera ordinabantur ad conſummationem vnius homicidij; vel explicato homicidio, remanet explicata vulneratio; quod verò plura, vel pauciora vul-

vulnera præceſſerint, ſe habet ſolùm materialiter; vnde non multiplicat numero peccatum. Ergo ſimiliter neceſsè non erit explicare multitudinem actuum, quibus Titius ante fornicationem fornicari propoſuit, ſed ſufficiet explicare peccatum conſumatum; Tum quia, omnes illi actus, erant ordinati tanquam media ad eandem numero fornicationem conſũmandam. Tum quia, explicatà fornicatione, manet etiam explicata voluntas fornicandi, quæ in eà includitur. Quod verò plures actus præceſſerint, materialiter ſe habet, ideoque non propterea peccata numero multiplicantur; vt dictum eſt de oſculis, ac tactibus, fornicationem antecedentibus.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primã enim Reſpondetur; Negando minorem Diſparitas autem inter actus efficaces, & inefficaces, eſt; quia inefficaces conſumantur interius, ideoque continuari non poſſunt cũ ſubſequentibus, cum non habeant in quo vniantur, & continuentur; ſed omnes faciunt vnam quantitatem, non ſolùm phyſice, ſed etiam moraliter diſcretam; At verò, actus efficaces, cum ex ſe, tendant ad actum externum, in quo conſummantur, cenſentur facere vnam quantitatem moraliter continuam, ita vt ſecundus actus ſit moralis continuatio primi, cum in eodem actu externo, omnes vniantur.

15 Ad ſecundam Reſpondetur; Negando conſequentiam; ſi enim primus actus fuit efficax, mouere debuit ad ponenda media, ad ipsũ actum externum obtinendum neceſſaria; Ergo, ſi quis hæc media, ponere non curat, cum facilè poſſit, iam cenſetur, in actu exercito, primum actum efficacem retractare; Vnde, ſi poſtea eundem actum repetat, dicetur nouum peccatum committere: At, ſi in ſolà actuum replicatione, præſertim, vbi inter vnum, & alium actum, non intercidit mora notabilis, non datur vlla retractatio, ideoque prior cenſetur moraliter perſeuerare; ſicut enim, ſi duo matrimonium contrahant, & alter contrahentium interius non conſentiat, vt poſtea validetur matrimonium, (quod fuit nullum ob defectum conſenſus alterius.) non requiritur, vt ille, qui conſenſum priùs præbuit, illum renouet; ſed ſufficit, vt ille, qui non conſenſerat, conſenſum præbeat, quia ille prior conſenſus, eo ipſo, quod non fuit retractatus, cenſetur virtualiter, ſiue moraliter durare. Ita ſimiliter, quamdiu prior voluntas efficax fornicandi, per actum contrarium non retractatur, cenſetur moraliter durare, ac perſeuerare, & conſequenter, ſi iterum repetatur, non cenſetur moraliter noua voluntas, ſed continuatio prioris. *Sanch. l.2. matr. d.32. n.9.*

16 Ad tertiam Reſpondetur; rationem diſparitatis eſſe euidentem; nam plures actus inefficaces, dici non poſſunt vnum peccatũ numero,

vni-

vnitate numericà extrinſeca, quæ eſt per continuationem, quia nihil aſſignari poteſt, à quo ſumatur hæc continuatio; cum enim interius conſummentur, nec aliquem actum externum reſpiciant, ad quẽ tendant, vt in eo conſummentur, nihil habent, in quo continuentur, ac vniantur; vnde neceſſariò debent eſſe plura peccata numero diſtincta, etiam in ratione morali, & habent malitias morales diſtinctas, & per vſum libertatis diſtinctum committuntur. At verò, actus omnes efficaces interni, cum reſpiciant eundem actum externum, vt in eo conſummentur, accipiunt vnitatem numericam, & moralem continuationem, per ordinem ad illum.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò; Actus inefficaces, multiplicari numero per ſolam ceſſationem, ſiue interruptionem moralem, ſiue fiat per ſomnum, ſiue per diſtractionem, ſiue quocumque alio modo; Cum enim non poſſint eſſe vnum, niſi per continuationem, & nihil detur extrinſecum, in quo, vel ratione cuius continentur, eo quod ordinem non dicant ad vllũ actum externum; ſequitur, non poſſe eſſe vnum peccatum, ſed debere eſſe plura, in confeſſione, meliori modo, quo fieri poterit, explicanda; ſæpe enim, horum peccatorum numerus cognoſci nõ poteſt; Tunc autem, ſufficit temporis diuturnitatem, in tali interno conſenſu declarare; ea enim declaratà, cenſetur ſufficienter declarata multitudo ipſorum actuum internorum, quantum humano modo declarari poteſt.

18 Secundò; Actus efficaces, multiplicari numero per ſolam retractationem, vel formalem, vel æquiualentem, vt dictum eſt; eo enim ipſo, quod non retractantur, moraliter perſeuerant; eo modo, quo voluntas ſuſcipiendi baptiſmum in adulto, dicitur moraliter manere per hoc, quod illam ſemel habuerit, & poſtea non retractauerit. Hinc autem fit, vt quamuis pluries repetantur, non cenſeantur tamen moraliter noua voluntas, ſed continuatio prioris, quia cum omnes ordinentur ad ponendum eundem actum externum, videntur quaſi ſuccedere in locum primi, & eius vices ſupplere in ordine ad eundem actum ponendum. Neque hinc ſequitur, quod ſi quis renouet voluntatem occidendi inimicum, etiam poſt multos annos, adhuc ſit moraliter idem numero peccatum, nec teneatur illam multiplicationem voluntatũ in confeſſione aperire; vt infert *Suar. loco cit. nu.9.* Nam ſi prior actus, fuit efficax, mouere debuit ad ponenda media ad occiſionem neceſſaria; Ergo dari non potuit longa temporis interpoſitio; alioquin ipſa negligentia in medijs ponendis; iam cenſeretur in actu exercito, retractatio prioris actus efficacis. Si tamen daretur caſus, in quo prior actus, nullo modo fuiſſet retractatus; vt, ſi quis propoſuiſ-

poſuiſſet, poſt menſem, occidere inimicum, & nunquam hunc actum retractaſſet, & in fine menſis illum occideret; in hoc caſu, noua iſta voluntas, cenſeretur moraliter prioris continuatio, nec eſſet nouum peccatum in confeſſione aperiendum; præſertim, ſi quando voluntatem occidendi renouauit, habuiſſet memoriam propoſiti præcedentis; in hoc enim caſu prius propoſitum, per ſui memoriam directè determinaret ad nouam voluntatem occidendi, & indirectè ad ipſam occiſionem.

19 Tertiò; Si quis pluries efficaciter proponat committere; v.g. fornicationem, & poſtea non committat, non teneri in confeſſione explicare numerum actuum internorum, quibus ſtatuit fornicari, ſed ſatisfacere dicendo, *habui voluntatem efficacē fornicandi*. Omnes enim illi actus interni, censẽtur moraliter vnus numero actus cõtinuatus per ordinem ad vnam fornicationem, quam reſpiciunt tanquam effectum; Quod verò fornicatio, de facto, non ſit ſecuta, eſt mere per accidens. Quod ſi, ſecuta ſit fornicatio, tunc ſatis erit dicere; *fornicatus ſum*; nam eo ipſo explicatur voluntas fornicandi, quæ in ipsà fornicatione includitur.

20 Quartò; Quando actus efficax voluntatis retractatur per actum contrarium, & poſtea idem repetitur, committi nouum peccatum diſtinctum numero à priori. Quia primus iam moraliter interrumpitur. Quia tamen, non ita ordinariè accidit, vt homo, poſtquam efficaciter propoſuit peccatum aliquod committere, & deinde propoſitum retractauit, iterum ſtatim redeat ad priſtinam voluntatem, ideo quando accidit, communiter aduertitur, ſicque explicari facile poteſt in confeſſione. At, quod homo, antequam peccatum externum committat, pluries proponat illud committere; hoc fere ſemper euenire ſolet; impoſſibile enim moraliter eſt, vt primum propoſitum ſemper duret, vſque ad peccati conſummationem, & ob aliquam mentis diſtractionem phyſicè ſæpius nõ interrumpatur. Hinc ergo fit, vt phyſica hæc interruptio, non aduertatur, nec explicari debeat in confeſſione.

QVAESTIO LXVII.

An vnus actus phyſicus, plures numero malitias continere poſſit.

CASVS.

1 TITIVS, cum vigeſimum primum annum iam expleuiſſet, intitio quadrageſimæ ſtatuit, totam quadrageſimam non ieiunare. Quæritur; Vnum ne, an plura peccata commiſerit.

SVMMARIVM.

2 *Voluntas totâ quadrageſima non ieiunandi, videtur vnicum peccatum.*

6 *Quidam actus externi, ſunt obiectum integrum actus interni; quidam vero, ſolum partiale.*

7 *Actus interni, qui externos non reſpiciunt, malitiam ſumunt ex ſolo motiuo.*

8 *Quando actus externi, non ſunt integrum obiectum actus interni, in illum diſtinctam malitiam non reſundunt.*

9 *Voluntas non ieiunandi, tot numero peccata continet, quot in quadrageſima ſunt dies.*

10 *In eodem actu reperiri poſſunt plures malitiæ numero diſtinctæ.*

11 *Copula coniugati cum coniugata, eſt duplex adulterium.*

12 *Singuli quadrageſimæ dies, propriam deformitatem reſundunt in voluntatem non ieiunandi.*

13 *Et in Confeſſione, ſingulæ ſunt explicandæ.*

14 *Non quia ſint circumſtantiæ aggrauantes.*

15 *Neque, quia conſtituant actum in indiuiduo.*

16 *Sed, quia ſunt plura numero peccata.*

17 *Etiam idem actus bonus, plures bonitates continere poteſt.*

18 *Actus charitatis, cur vnicam bonitatem contineat.*

19 *Voluntas occidendi plures, eſt peccatum multiplex.*

20 *Sicut eſt etiam, voluntas integram familiam occidendi.*

21 *Et eadem Dei, ac Sanctorum maledictio.*

22 *Et idem verbum, plurium honorem, vel famam lædens.*

23 *Plures actus phyſici, vnam nu-*

numero malitiam continere poſſunt.

RATIONES DVBITANDI.

2 CErtum eſt, eundem actum phyſicum, continere poſſe plures malitias ſpecie diuerſas; Si quis enim furetur ad fornicandum; furtum illud, habebit ſimul malitiam furti, & fornicationis; & ſi furetur in loco ſacro, erit ſimul iniuſtitia, ac ſacrilegium. Quæritur igitur; an eodem modo, vnus, & idem actus phyſicus, continere poſſit plures malitias ſolo numero diſtinctas, & in confeſſione explicandas. Multi enim volunt, Titium, per illud propoſitum, vnum tantum numero peccatum commiſiſſe. Ita *Suarez tom.4. in 3. par. diſp.22. ſect.5. nu. 33. Filliucius tract.27. c.5. nu.87. & tr.21.c.8. nu.320.* qui tamen, ſecus dicit de actu externo, *c.9. n.331. Layman lib. 1. tract.3. c.3. num.2. Bonac. d. de pecc. qu.4. par.2. Duard. in Bullam Cœnæ lib.3. §.3.qu.2. n.3.*

3 Primò; quia; ſi quis vno actu voluntatis tres homines occidere velit, actus ille non continet tres malitias numero diſtinctas, ſed vnam tantùm, cauſatam ab omnibus illis tribus homicidijs, concurrentibus per modum vnius obiecti, & illum actum ſpecificantibus; Ergo ſimiliter, Titius, nolendo totam quadrageſimam ieiunare, vnum tantùm peccatum commiſit; tota enim quadrageſima, illi fuit obiecta per modum vnius obiecti, nec voluntas diſtinctè in ſingulos quadrageſimæ dies lata eſt.

4 Secundo; Quia bona voluntas dandi eleemoſynam tribus pauperibus, non habet plures bonitates, ſed vnam indiuiſibilem; Ergo etiam voluntas totam quadrageſimam non ieiunandi, plures malitias non habebit; ſed vnam indiuiſibilem; contrariorum enim eadem eſt ratio.

5 Tertio; Quia, ſi quis, vno actu indiuiſibili charitatis, amet quinque proximos, ille actus vnam indiuiſibilem bonitatem habebit; talis enim bonitas, erit differentia diſtinctiua illius actus à quolibet alio; differentia autem, eſt omnino indiuiſibilis, reſpiciens illos quinque homines per modum vnius obiecti adæquati; ideoque vnica relatione tranſcendentali. Ergo ſimiliter, odium eorumdem hominum, vnicam malitiam habebit. Idemque dicendum erit, etiam de voluntate efficaci illos occidendi, præſertim, ſi quis eos, vnico ictu, occidere vellet.

NOTABILIA.

6 ADuertendũ eſt primò, poſitâ diuiſione actuum internorũ, in eos, qui nullum reſpiciunt actum externum, tamquam obiectum, ac ſpecificatiuum, & in eos, qui illum reſpiciunt, de qua *Quæſt. præced. nu.6.* aliquos actus externos, ita eſſe per ſe obiecta integra, ac completa actus interni, vt vnus non ſit pars alterius, nec ab alio dependeat; vt, cum quis tres ho-

mines vult efficaciter occidere, vel de tribus fornicationibus delectatur; ſingulæ enim occiſiones, & fornicationes, ſunt per ſe obiecta integra, completa, & ſufficientia ad actum terminandum, eique ſuam malitiam communicandam; aliquos vero terminare actũ internum, non vt obiecta integra, ſed, vt partes obiecti; ſingulæ enim horæ canonicæ, ita terminant voluntatem omittendi officium diuinum, vt ſe habeant, tamquam partes integrantes officium, quod eſt obiectum adæquatum illius voluntatis; vel, cum quis vult domum comburere, voluntas illa terminatur ad ſingula cubicula, ſolum tamquam ad partes integrantes domum, quæ eſt obiectum adæquatum illius actus. Aliquos denique dicere inter ſe ordinem, non partis ad partem, ſed medij ad finem; vt, cum quis ſurgit è lecto, arripit arma, & adhibet alia ad occidendum inimicum; & hi etiam, ſimul cum actu principali, conſtituunt vnum obiectum integrum actus interni; ita, vt ſinguli ſint partes obiecti, non obiectum; eadem enim voluntas, quæ fertur efficaciter in finem, fertur etiam neceſſariò in media, tamquam in vnicum obiectum ſuum adæquatum.

7 Aduertendum eſt ſecundo actus internos, qui nullum dicunt ordinem ad actum externum, nec ab eo ſpecificantur, tanquam à ſuo obiecto, vnicam tantùm continere malitiam, quamuis ferantur in plura obiecta materialia, quia in omnia feruntur ſub vno, eodemque motiuo, à quo ſolo ſpecificantur, & ſumunt ſuam malitiam: Cum ergo, hoc, vnum ſit, non mirum, ſi etiam malitia ſit tantum vna; Atque ita, vnicam malitiam continet, odium quinque proximorum, quia in omnes fertur ſub vnico motiuo, à quo ſolo ſpecificatur, & ſumit ſuam malitiam. At vero actus interni, qui dicunt ordinem ad actum externum, tamquam ad ſuum obiectum, ab eoque ſpecificantur; tot neceſſariò continent malitias, quot ſunt ipſi actus externi, quos reſpiciunt, ſi iſti in ratione obiecti, ſint obiecta per ſe integra, ac completa; cum enim ab eis ſpecificentur, illos reſpicere non poſſunt ſolum, tamquam obiecta materialia, ſed reſpicere debent, tamquam obiecta formalia. Atque, ita voluntas efficax tres homines occidendi, cum feratur in tres occiſiones, tamquam in tria obiecta per ſe integra, ac completa, & ab inuicem independentia; tres malitias continet, ſicut occiſio ipſa trium hominum, tres continet malitias, & eſt triplex homicidium.

8 Aduertendum eſt tertio; quando actus externi, tamquam partes, aliquod obiectum integrum, ac totale conſtituunt, tunc non cenſeri obiecta, numero diuerſa, & conſequenter, nec refundere poſſe diſtinctionem numericam in ipſa peccata interna. Hinc fit, vt, ſi quis vellet, omnes certæ alicuius bibliothecæ libros, ſurripere; aut magnum aliquem aureorum cumulum furari; aut totum aliquem gre-

gregem ouium; vnum tantùm peccatum numero committeret; quia oues, vnum gregem; plures libri, vnam bibliothecam; & plures aurei, vnum cumulum efficiunt; &, qui habet animum furandi, non intendit committere, niſi vnum furtum, & vnam iniuſtitiam; eo tamen grauiùs erit peccatum, quo materia peccati, maior erit. Si tamen libri, vel oues, eſſent diuerſorum Dominorum, ita vt, vna pars eſſet vnius, & altera alterius, cenſenda eſſent duo numero furta, explicanda in Confeſſione, etiam ſi quis, vnico actu, ea furaretur; quia eſſent duæ iniuſtitiæ; duorum enim Dominorum ius læderetur. His poſitis.

RESOLVTIO.

9 AD Caſum Reſpondetur; Titium, tot peccata commiſiſſe, quot ſunt dies quadrageſimæ, in quibus ieiunatur *Sanchez lib.9. matr. d.15. n.6. Vaſq. 1.2. d.75. c.2. nu.10. & to.4. in 3. par.q.91. ar.1. d.4. Azor.to.1.lib.4. c.4.q.5. Salas 1.2. qu. 72. tract.13. diſt.3. ſect.2. num.19. Coninch. de Sacr. pœn. diſp.7. d.1. Tanner. 2.2. d.4. qu.2. d.4. nu.55. Clauis reg. lib.2. c.5. nu.14. Rodrig. qu.1. Summ. c.195. num.4. Diana de circumſt. aggrau. reſol.29.* & alij apud iſtos;

10 Primò; Quia in eodem actu phyſico, reperiri poſſunt plures malitiæ morales ſpecie inter ſe diſtinctæ; ſi quis enim habens votum caſtitatis, cognoſceret coniugatam, eadem copula, eſſet, & fornicatio, & adulterium, & ſacrilegium. Ergò à fortiori, reperiri poterunt etiam plures malitiæ morales numero diſtinctæ; diſtinctio enim numerica, minor eſt, quam ſpecifica.

11 Secundò; Quia coniugatus, qui alterius vxorem cognoſcit, eàdem copulà, duplicem malitiam iniuſtitiæ committit, vnam contra propriam vxorem, alteram contra virum illius, cum qua copulam habet. Secundo, Religioſus, qui rem habet cum fœmina Votum caſtitatis habente, duo committit ſacrilegia moraliter diſtincta. Tertio, Qui, vno ictu bombardæ, tres homines occidit, tria homicidia numero diſtincta committit. Quarto, Qui aliquem inducit ad alium occidendum, duo peccata committit, alterum reſpectu illius, quem vult occidi, alterum reſpectu illius, quem inducit. Ergo etiam, qui non vult quadrageſimam ieiunare, tot peccata committet, quot in quadrageſimà ſunt dies ieiunij; non minus enim, hæc voluntas, eſt multiplex violatio ieiunij, quam copula coniugati cum coniugata, ſit duplex adulterium.

12 Tertiò; Quia illa voluntas non ieiunandi dicit ordinem ad plures dies, quorum vnuſquiſque per ſe, & independenter ab alio, in illam refundit propriam deformitatem, & contrarietatem cùm rectà ratione; non minus, quam copula Coniugati cum Coniugatà, dicat ordinem ad alios duos Coniuges, quorum ſinguli, in illam refundunt propriam malitiam iniuſtitiæ.

Er-

Ergo voluntas illa tot habet malitias numero diſtinctas, quot in Quadrageſimâ ſunt dies; hac enim regulâ vtitur *S.Thom.* 1.2. *qu.* 18. *art.* 11. ad diſcernendum, quando circunſtantia, addat nouam malitiam; quando ſcilicet, eſt talis, vt ſit ex ſe ſufficiens ad refundendam malitiam independenter ab alia.

13 Quartò; Quia, ſi quis vno actu, velit tres homines interficere; vel vno ictu illos interficiat, tenetur numerum hominum in confeſſione explicare; ſimiliter coniugatus, qui cũ vxore alterius, rem habuit, tenetur explicare, & ſe eſſe coniugatum, & cum coniugata rem habuiſſe. Huius autem obligationis alia ratio aſſignari non poteſt, niſi quia in eodem actu phyſico, ſunt plures malitiæ morales numero diſtinctæ, & conſequenter plura numero peccata; Et *ex Tridentino ſeſſ.* 14. *can.* 7. In confeſſione explicanda ſunt peccata, non ſolùm, quoad ſpecies, ſed etiam quoad numerum: Cur enim coniugatus explicare tenetur, & ſe eſſe coniugatum, & rem habuiſſe cum coniugatà, niſi quia eadem numero copula offendit duplex vinculum Matrimonij? Ergo, ſi coniugatus vno actu interno efficaci velit rem habere cum coniugatà, eaſdem circunſtãtias fateri tenebitur, quia vult offendere duplex vinculum Matrimonij: Ergo idem dicendum erit de eo, qui vnico actu voluntatis, vult plures homines interficere, quia plures vult iniuſtitias committere; & de eo, qui tota Quadrageſima ieiunare non vult; quia vult plures violationes Ieiunij.

14 Neque dici poteſt, eas circunſtantias, eſſe in confeſſione explicandas; non quia multiplicent peccata, ſed quia eiuſdem peccati grauitatem augent; Nam, cum probabilius ſit, circunſtantias aggrauantes, non eſſe neceſſariò confitendas, ſequeretur, eſſe in poteſtate pœnitentis, illas explicare, vel non explicare; tuta enim conſcientia ſequi vnuſquiſque poteſt opinionem probabilem; ſicque, qui vno ictu, tres homines occidit, ſatisfaceret dicendo; *commiſi homicidium*, *vel habui intentionem committendi homicidium*; quod tamen eſt contra communem vſum, ac ſenſum fidelium.

15 Neque etiam dici poteſt; iſtas circunſtantias, eſſe explicandas; nõ quia conſtituunt plura numero peccata, ſed quia ſunt aliquid tenens ſe ex parte obiecti, & conſtituens actum in ſuo eſſe indiuiduali; Nam pœnitens, in confeſſione explicare non tenetur differentiam indiuidualem peccati, ſed ſolùm ſpecificam, neque enim tenetur dicere *occidi Petrum*; ſed ſatis eſt dicere; *occidi hominem*. Si ergo, cum quis, vno ictu, tres homines occidit, vnum tantùm numero peccatum cummittit, ſatis erit dicere; *occidi hominem*; quod tamen nemo concedit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

16 AD rationes in contrarium Reſpondetur; Ad primam; Ne-

Negando antecedens; Sicut enim, qui vno ictu tres homines occidit, verè tria homicidia committit; & non vnum; ita, qui vno actu interno, vult efficaciter tres homines occidere, tria peccata iniuſtitiæ numero diſtincta committet, & non vnum.

17 Ad ſecundam Reſpondetur; Negando antecedens, quamuis enim, ille actus ſit vnus phyſicè, habet tamen tres bonitates, quia totidem ſunt in actibus externis eleemoſynæ, à quibus actus internus ſpecificatur, & ſi quis vno actu tres illos pauperes ſubleuaret, verè eſſent tres ſubuentiones, eo quod tres eſſent pauperes, quibus ſubueniretur: ſicut, ſi quis vno ictu tres homines occideret, verè eſſent tres occiſiones, ſiue tria homicidia, & ſi perſonæ occiſæ eſſent Clerici, occiſor tres excommunicationes incurreret, vt docet, *Molina to.4. tr.3. d.41. num.3.*

18 Ad tertiam Reſpondetur; Negando vltimam conſequentiam: Diſparitas autem eſt, quia actus charitatis, & odij, cum interius conſumentur, nec vllum actum externum reſpiciant, à quo tanquam ab obiecto ſpecificentur, & ſumant ſuam bonitatem, aut malitiam, ſed illam accipiant à ſolo motiuo; non eſt mirum, ſi vnicam & indiuiſibilem bonitatem, ac malitiam contineant, cum vnicum tantùm, & indiuiſibile habeant motiuum. At vero voluntas efficax occidendi, reſpicit occiſionem externam, tanquam ſuum obiectum; ab eaque ſpecificatur, & accipit ſuam malitiam; hinc ergo ſit, vt quot ſunt occiſiones, quas reſpicit, tot in illà voluntate ſint malitiæ; idemque dicendum eſt de propoſito totam Quadrageſimã non ieiunandi.

COROLLARIA.

19 Colligitur ex dictis primò; Si quis habeat voluntatem occidendi hominum multitudinem, cuius numerum ignorat; illam voluntatem, tot malitias homicidij continere, quot a parte rei ſunt homines, quos vult occidere; imo etiam plures, ſi ipſe probabiliter crederet, vel dubitaret eſſe plures; quia, quantum eſt ex ſe, illos omnes vult occidere. Hoc autem intelligendum eſt etiam de actu inefficaci; ſi quis enim de tribus fornicationibus delectetur, tria peccata delectationis moroſæ committet, eorumque numerus, erit in cõfeſſione explicandus; quia hi etiam actus inefficaces, reſpiciunt actum externum tanquam obiectum, ab eoque ſpecificantur, & conſequenter ſuam bonitatem, aut malitiam deſumunt.

20 Secundò; Cum quis occidere vult Caium cum tota familià, non duo ſolùm peccata committere, vt vult *Nau.c.6. ſum.n.*18. eo quod tota familia, in iure, vna perſona reputetur, & familia ſit multarum perſonarum collectio, ſicut grex ouium, eſt quoddam totum ex multis ouibus, tanquam ex partibus conſtitutum; ſed tot, quot ſunt homines in eà familia; quia ſinguli homines illius familiæ, ſunt

per

per ſe integra obiecta homicidij; Vnde, tot neceſſariò ſunt homicidia, quot homines occiſi; Et, ſi in eà familià vnus eſſet clericus; affectus ille, quatenus terminaretur ad perſonam clerici, eſſet ſacrilegus. Grex ergo ouium, eſt quoddam totum ex multis rebus conſtans, tanquam ex partibus; at perſonæ vnius familiæ, quamuis, iuris fictione, dicantur vnam perſonam efficere, re tamen vera dici non poſſunt vna perſona, ſed multæ, quarum ſingulæ, ſunt per ſe integrum obiectum homicidij. Vnde, qui vult occidere omnes homines vnius familiæ, plura homicidia, & plures iniuſtitias vult committere; qui verò vult furari gregem; vnum numero furtum, vnamque iniuſtitiam contra dominum committere intendit. *Molina to.4. dub.41. num.3.*

21 Tertiò; Si quis, vnico ſermone, maledicat Deo; S.Petro; & S.Paulo; tria peccata numero diſtincta committere; quia ſicut trium hominum occiſio, diſtinguitur ex obiectis numero diſtinctis, licet eodem ictu ſit commiſſa; ſic blaſphemia, per obiecta numero diuerſa diſtinguitur. Qui autem malè diceret ſumul Deo, & duodecim Apoſtolis, tredecim peccata committeret; quia, licet actus, eſſet phyſicè vnus, tot tamen malitias in ſe contineret, quot ſunt perſonæ Sanctæ, quibus malediceretur; omnes enim, contumelià afficerentur. *Azor. tom.1. lib.4. cap.4. quæſt.5.*

22 Quartò; Si quis eodem verbo læderet famam, vel honorem duorum, duo peccata committere; ſicut, ſi eodem ictu, duos occideret; quia verè detrimentum famæ, vel honoris, eſſet duplex; honor enim vnius, non eſt honor, vel fama alterius. Similiter, ſi quis vnico verbo, multos induceret ad peccandum, tot peccata committeret, quot eſſent homines inducti; & ſi in vna mollitie de pluribus fœminis ſolutis concupitis cogitaret; eſſent plura peccata numero diſtincta; ſicut, ſi fœminę eſſent, vna ſoluta, alia coniugata, & tertia Deo per votum conſecrata, eſſent tria peccata ſpecie diſtincta. *Sanch. lib.1. ſum. c.6. num.8.*

23 Quintò; Poſſe plures actus phyſicè diuerſos numero, vnam tantùm numero malitiam moralem continere; ſi quis enim, alium, ter vel quater pugno percutiat, aut vulneret, vnum tantùm peccatum committet, quia vna eſt pugna, cuius illæ percuſſiones, & vulnera ſunt partes; ſimiliter, ſi quis ſine morali interruptione multa verba blaſphemiæ in Deum proferat, vnā ſolam blaſphemiam committit, quia omnia illa verba, ſunt partes vnius continuati ſermonis, qui in vltimà blaſphemià perficitur. *Azor. tom.1. lib.4. c.4. qu.5.*

LI-

INDEX
RERVM NOTABILIVM
QVAE IN PRIMO LIBRO
TRACTANTVR.

Primus numerus, Paginam. Secundus, Numerum indicat.

A

*ABORTVS, de cuius animatione dubitatur, ſufficit ad incurrendã irregularitatẽ.pag.*102. *num.*11.

*Abſoluens malè ex ignorantiâ, committit vnum peccatum conſummatum. p.*139. *n.*20.

*Abſoluens à caſibus per Decretum Clem. VIII. reſeruatis, incurrit excommunicationem, à quà non poteſt abſolui à quocumque, vel Priuilegiato. p.*19. *n.*38.

*Abſoluere à reſeruatis per Decretum Clem.VIII. Romæ, & extra Italiam poſſunt Priuilegiati. pag.*17. *nu.*32. *Ex errore Abſoluentes, vel non Priuilegiati, nullibi incurrunt pœnas illius Decreti ibi nu.* 31. *& p.*18. *n.*36.

*Abſolutus à Papalibus per Priuilegiatum in mortis articulo, ſi poſtea conualeſcat, non tenetur ſe præſentare Papæ. p.*18. *n.*35.

*Abſolutio à cenſuris, metu iniuſto extorta, eſt irrita. p.*280. *n.*6.

*Acceptio perſonarum, quoad beneficia, materia paruitatem admittit. p.*336. *n.*29.

*Actio non ſolùm interna, ſed etiam externa, eſt mala ſi ſit contraria conſcientia erroneæ. p.*8. *n.*27.

*Actio aliqua, ratione metus, à peccato excuſatur. p.*264. *n.*21.

*Actio, quot modis eſſe poſſit occaſio proxima peccandi. p.*339. *n.*9.

*Actiones, quænam excuſentur à ſcandalo. p.*348. *n.*23.

*Actiones incompoſſibiles cum auditione Sacri, an omnes ſint cauſa omiſſionis Sacri. pag.*359. *num.*4. *Quænam ſint cauſa omiſſionis Sacri. p.*360. *nu.*8. *Quot modis ſint cum ipsà omiſſione comparabiles n.* 9. *Non omnes ſunt peccata. num.*10.

Actiones cum Sacro incompoſſibiles, non omnes ſunt cauſa omiſſionis illius p.361. n.11. ſed ſola prima n.12. ex vi iſtius ſolius ponitur omiſſio num.14.

Actiones, poſt cauſam ſufficientem omiſſionis, electæ, ipſius omiſſionis non ſunt cauſa. p.362. n.17.

Actus externi, licet ſolùm indirectè voliti, inducunt cenſuras, & obligationem reſtitutionis. p.306. num.13.

Actus internus, & externus non ſunt duo peccata. p.138. n.14.

Actus obligatorius obligat ad minimum quod poteſt. p.113. n.10.

Actus, qui eſt cauſa omiſſionis Sacri, non habet aliam malitiam, quam ipſius omiſſionis. pag. 362. num.18.

Actus præcedentes, vel ſubſequentes actum principalem peccati, ſunt vnum peccatum cum eo. p.377. n.20. Etiamſi, ex ſe, non ſint indifferentes, ſed mali. num.21.

Actus efficax, in quo differat ab inefficaci. p.383. n.14.

Actus efficax, an longo tempore durare poſſit. p.383. num.15.

Actus inefficaces, cur vniri inter ſe non poſsint. p.383. n.15.

Actus inefficaces, multiplicantur per ſolam interruptionem. pag. 384. num.17.

Actus efficaces multiplicantur, per ſolam retractationem. pag. 384. num.18.

Actus efficax poſt retractationem, eſt nouum peccatum. pag. 385. num 20.

Actus idem phyſicus continere poteſt plures malitias ſpecie diuerſas. p.387. n.2.

Actus externus aliquando eſt obiectum adæquatum actus interni, aliquando inadæquatum. p. 387. num.6.

Actus externus, quando in internū refundat malitiam diſtinctam. p.388. n.8.

Actus interni, qui externos non reſpiciunt, malitiam ſumunt ex ſolo motiuo. p.388. num.7.

Actus idem, plures malitias numero diſtinctas continere poteſt. p. 389. num.10.

Actus idem bonus, plures bonitates continere poteſt. p.391. n.17.

Actus charitatis cur vnicam bonitatem contineat. p.391. n.18.

ad Actus valorem, quænam voluntas, & libertas requiratur. p.148. num.2.

Actus plures phyſici vnam numero malitià continere poſſunt. p. 392. num.23.

de Actus cuiuſcumque eſſentia ſunt materia, & cauſa finalis. p.166. num.6.

Aduertentia ſemiplena, in quo conſiſtat p. 313. num. 7. & pag. 315. n.18. Excuſat à mortali. p. 315. num. 17.

Aduertentiæ ſemiplenæ indicia. pag. 316. num.21.

Adultera, an à Marito cogi poſsit, ad profeſsionem emittendam. p.270. n.2.

Adulterinus filius natus in domo mariti, præſumitur legitimus, donec probetur contrarium. p. 91. n.6.

Adultus, ex metu mortis, baptiſmum omittere poteſt. pag. 257. num.61.

Aetas ad Ordines, Matrimonium, ac

ac profeſſionem requiſita, materiæ paruitatem non admittit. pag. 335. num. 25.

Aetas dubia Filij, non reddit dubiam poteſtatem irritatiuam Patris. pag. 124. n. 17.

Aetas legitima ad Ordinem Presbyteratus, eſt annus vigeſimus quartus completus. p. 98. n. 17. in dubio an ſit completus, non licet eum Ordinem ſuſcipere. ibidem.

Aetas dubia inualidat profeſſionem. p. 100. n. 2.

Alienatio de cuius valore dubitatur, eſt valida. p. 104. n. 15.

Amicitia ſola, non eſt ratio ſufficiens deponendi practicè, dubium. p. 66. num. 13.

An ex duobus malis, ſemper ſit eligendum minus. p. 88. n. 22.

Animus matrimonium extorquendi, ſi non manifeſtetur, non nocet. p. 269. n. 14.

Applicatio ignis ad domum comburendam, an vnquam liceat. p. 265. num. 25.

Applicatio hodierna Sacrificij die craſtina offerendi, ſufficit. p. 161. num. 12.

Aquam, in calice, vino non miſcere, eſt mortale. p. 326. num. 20.

Arma Turcis ſuppeditare, non eſt intrinſecè malùm. p. 262. num. 12. Eſt cooperatio ſolùm materialis. p. 263. num. 16.

Articulorum Fidei, ac præceptorum Decalogi ignorantia, in quo differant. p. 145. n. 13.

Articulum aliquem ex ignorantiâ vincibili negans, peccat ſolùm contra Fidem. p. 144. n. 11. Contra eamdem etiam peccat, qui ex eâdem ignorantiâ, exponit ſe periculo negandi. p. 145. n. 12.

Aſſenſus Fidei quam requirat auctoritatem. p. 54. num. 74. eo deinceps.

Aſſenſus opinatiuus eſt voluntarius. p. 33. num. 16. Eſt regula operandi, ſolùm radicalis. p. 44. n. 47.

Auctoritas requiſita ad aſſenſum Fidei, quænam ſit. p. 54. n. 74.

B

Baptiſmus, ex metu mortis omitti poteſt. p. 257. n. 16.

Baptizans, vel tenens in baptiſmo Filium communem ex conſcientiâ erroneâ, non priuatur iure petendi debitum. p. 16. num. 26.

ad Baptizandum non ſufficit intentio præterita. p. 164. n. 23.

ad Baptiſmum recipiendum ſufficit intentio præterita. p. 164. n. 24.

Beneficia plura retinens cum opinione probabili, non peccat. pag. 37. num. 23.

Beneficij prouiſio, ad quem in dubio, pertineat. p. 91. num. 7.

Beneficij tenuitas, in dubio non excuſat à recitatione Officij. pag. 93. num. 15.

Beneficiarius Sacerdos, Officium omittens, quot peccata committat. p. 370. num. 16.

Beneficij Parochialis collatio ex errore circa mores, & doctrinam, eſt inualida. p. 184. n. 9. Mores, & doctrina concurrunt ad conſtituendum digniorem. ibi num. 10. Ideoque ſunt ſimul cauſa impulſiua, ac finalis. p. 185. n. 11. Sicut infirmitas conſtituit pauperem ma-

*magis indigentem. ibi n.*12. *& ſicut in matrimonio, qualitas pertinet ad perſonam. ibi n.*13.

*in Beneficij ſimplicis collatione, mores, & doctrina ſunt cauſa ſolum impulſiua. p.*185. *n.*14. *in collatione verò beneficij Parochialis, ſunt etiam cauſa finalis. p.*186. *n.*15.

*Beneficij reſignatio metu extorta, an ſit valida iure poſitiuo. p.*280. *n.*3. *Eſt reſcindenda. n.* 8. *& pag.*281. *num.*10. *Si addatur incarceratio, eſt nulla. n.*11.

*Blanditijs acquiſita, reſtitutioni obnoxia non ſunt. p.*292. *n.*19.

*Blaſphemia in loco Sacro quotuplex ſit peccatum. p.*371. *n.*19

*Blaſphemia, materiæ leuitatem non admittit. p.*333. *n.*20.

Bona intentio, aliquam malitiæ ignorantiam inducit. p. 309. *num.*11. *Et minuit rationem voluntarij, n.*12. *per accidens. p.*310. *n.*13. *Bona intentio tendit in furtum ſolùm tanquam in medium. p.*310. *num.*15.

*Bonitas intentionis, an minuat malitiam furti. pag.*308. *n.*3. *Non minuit ſicut calor minuit, in aquâ frigus. n.*5. *&* 6.

*Bonitas operis, non minuit malitiam finis. p.*308. *n.*7.

*Breuiarij proiectio, eſt cauſa omiſſionis Officij. p.*361. *n.*16.

*Breuiarij proiectio, eſt virtualis omiſſio Officij. p.*306. *n.*12.

C

à CAſibus reſeruatis in Decreto Clem. VIII. *Abſoluentes Romæ, vel extra Italiam, non incurrunt pœnas, & cenſuras in eo Decreto contentas. pag.*17. *nu.* 32. *Imo neque in Italia, ſi faciant ex errore. ibi num.*31. *vel ſint Sacerdotes non priuilegiati. pag.* 18. *num.*36.

*à Caſibus Epiſcopo reſeruatis à iure, & à Papalibus occultis abſoluere poſſunt, qui habet priuilegium abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris etiam Pontifici reſeruatis. pag.*17. *num.*32.

*à Caſibus, quos Epiſcopi ipſi ſibi reſeruant, non poſſunt abſoluere Regulares, etiam extra Italiam. p.*18. *n.*33.

*Caſus reſeruati nomine, veniunt etiã cenſuræ. p.*19. *n.*37.

*Caſus reſeruati à Clem. VIII. quinam ſint, & vbi reſeruentur. p.*17 *num.*31. *& deinceps. Ab ijs abſolutus in mortis articulo ab aliquo Priuilegiato, non tenetur poſtea, ſi conualuerit, præſentare ſe Pontifici. p.*18. *n.*35.

*Caupones, quæ præſtare poſſint ſine ſcandalo. p.*347. *n.*22.

*Catholicus, an ducere poſſit Hæreticam. p.*342. *n.*23.

*Cauſa finalis intrinſeca, quid ſit: & quid extrinſeca. p.*177. *n.*7.

*Cauſa finalis emptionis, quando non coincidat cum eiuſdem cauſa materiali. p.*215. *n.*12.

Cauſa finali ceſſante, ceſſat lex. pag. 189. *num.*10.

*Cauſa, quæ reſpectu Voti ſimplicis, eſt finalis, reſpectu ſolemnis eſt impulſiua. p.*189. *num.*11.

*Cauſa finalis, & materia ſunt de eſſentia cuiuſcumque actus. p.*166. *num.*6.

Cau-

Cauſa materialis, & finalis emptionis, quænam ſit. p.166. n.7.
Cauſa materialis, & finalis donationis quænam ſit. p.167. n.8.
Cauſa finalis quid ſit, quid impulſiua. p.178. n.9. Regula ad eas diſtinguendas. p.180. num.18.
Cauſa finalis, quæ. p.181. n.19.
Cauſa qualibet eſt finalis reſpectu voluntatis conditionatæ. pag.181. num.20.
Cauſa impulſiua, eſt aliquando circunſtantia cauſæ finalis. p. 184. num.7. Hoc contingit, cum cauſa finalis eſt terminus comparatiuus. ibi num.8. In quibus caſibus error circa cauſam impulſiuam, vitiet actum. p.186. num.17.
Cauſa in dubio Voti, præſumitur impulſiua, & cur p.190. num.14. Error circa vnam cauſam, non tollit valorem Voti, ſi alia ſubſiſtat. ibi. num.15.
Cauſa inductiua non vitiat contractum onerosum. p.169. num.20. Aliquando nec etiam gratuitos. ibi. num.21.
Cauſa impulſiua. vide, Error circa cauſam impulſiuam.
Cauſa iuſta reddit omnino tutam partem cæteroqui minus tutam. p.97. n.12.
Cauſa moralis, quæ ſit. p.359. nu.5. non requiritur, vt ab ea ſola ſit effectus. p.359. n.6.
Cauſa motiua Voti, ſatis eſt ſi ſubſiſtat tempore executionis. pag.195. num.6. Sicut in Voto facto ad Filij ſanitatem obtinendam. ibi n.7. Etiam in Diſpenſatione ſatis eſt, vt cauſa ſubſiſtat tempore conceſſionis. ibi n.8.
Cauſa motiua Voti exiſtere poteſt tempore executionis, licet non exiſtat tempore emiſſionis Voti. p.195. n.10. Error circa cauſam pro tempore executionis, reddit Votum inualidum. p.196. nu.11. Per cauſæ ceſſationem Votum non extinguitur, ſed ſuſpenditur. ibi num.12.
Cauſa motiua in contractibus oneroſis non pertinet ad eorum ſubſtantiam. p.200. num.16.
Cenſura, de cuius valore, ac circunſtantijs dubitatur, ligat. pag.102. num.10.
Cenſura dubia non ligat. pag. 98. num.18.
Circunſtantia inaduertentiæ, cur in Confeſſione explicanda non ſit. p.301. n.18.
Circunſtantia iuris humani, quando in Confeſſione, non eſt explicanda. p.252. n.16.
Circunſtantia facti, in dubio ſemper præſumitur. p.101. n.5. quia factum tunc poſſidet. p.102. n.6.
Circunſtantiæ defectus in neutro foro præſumitur. p.102. num.8.
Circunſtantiæ alicuius ignorantia mera, non impedit valorem actus. p.151. n.13.
Circunſtantiæ ignorantia, quando impediat valorem actus. p. 152. num.14.
Circunſtantiæ alicuius error concomitans, nõ impedit valorem actus. p.156. n.27. Idem dic de Ignorantiâ affectata. ibi n.28.
Circunſtantiæ particulares, ſunt ſæpè cauſa ſufficiens deponendi dubium. p.67. n.16.
Circunſtantiæ, quæ reſpectu vnius

actus ſunt accidentales, reſpectu alterius ſunt ſubſtantiales. p.186. num.18.
Circunſtantijs mutatis, an promiſſio obliget. p. 191. n.3.
Clericus, cum opinione probabili plura retinens beneficia non peccat. p.37. n.23.
Coactio quæ eſt ab intrinſeco, libertatem non tollit. p.269. n.12.
Coactio, an reddat irritum matrimonium. p.283. n.2.
Coactio, formaliter iuſta, matrimonium irritat. p.286. n. 7. ad illud irritandum, ſufficit coactio iniuſta materialiter. n.9. Vnde oriatur tunc nullitas matrimonij. pag. 287. num.14.
Coactio, vt matrimonium non irritet, debet eſſe materialiter, & formaliter iuſta. p.287. n.15.
Communicatio cum Excommunicato, licet ex metu, non excuſatur à culpà. p.249. n.5.
Concubina, an Domini domum deſerere teneatur. p.342. n.22.
Concurrentibus ad beneficium duobus, quorum exceſſus in dignitate ſit dubius, poteſt Epiſcopus vtrumlibet præferre. p.67. n.14.
Concurrentibus duabus poſſeſſionibus præualet antiquior. p.123. n.13.
Conditio, participat rationem cauſæ motiuæ. p.187. n.2. Videtur participare rationem cauſæ impulſiuæ. p.188. n.3.
Conditionata voluntas, in quo differat ab abſoluta. p. 188. n.5.
Conditio eſt ſimilis cauſæ finali. p.188 num.6.
Conditio in ebrietate poſita, non reddit inualidam promiſſionem ante ebrietatem factam. p.162. n.15.
Conditionatæ promiſſionis obligatio incipit quando ponitur conditio. p.163. n.19.
Conditionata promiſſio in quo adæquatè conſiſtat. p.163. n.20. Quid requiratur vt obliget. ibi n.21.
Conditio in Voto ſimplici eſt cauſa finalis. p.190. n.12.
Conditio poſſidentis in dubio quare melior. p.77. n.12.
Conditio poſſidentis melior eſt in quacumque materia. p.84. n.10.
Confeſſarius, leuiter obligare non poteſt in materià graui. pag.320. num.22.
Confeſſionis ſigillum, materiæ paruitatem non admittit. pag.334. num.22.
Confeſſiones nihil habent, in quo vniri inter ſe poſsint. p. 375. n. 13. Non ordinantur ad aliud. p.376. num.14.
in Confirmatione tenens communem Filium ex conſcientià erroneà, non priuatur iure petendi debitum p.16. n.26.
Coniugatis peccandi periculum permittitur. p.340. n.13.
Coniux cognoſcens conſanguineam coniugis, vel baptizans, aut tenens in Baptiſmo, vel Confirmatione Filium communem, propter conſcientiam erroneam non priuatur iure petendi debitum. p.16. num.26.
Conſcientia in foro interno eſt legitimus Iudex inter voluntatem, ac legem. p.83. n.9.
Conſcientia obligat non virtute propria, ſed virtute præcepti, quod repræſentat. p.25. n.6.

Con-

Conſcientia erronea, Prælati præcepto præferenda eſt, & cur. p.25. n.7.8. & 9. Obligat nomine Dei. p.26, n.10. Quid requirat ad hoc, vt plus obliget quam Prælati præceptum. p.26. n.12. & 13. etiam quando eſt vincibilis, ſtrictiùs obligat, quam Prælati præceptum ibi n.14. Quando verò vincibilis eſt, tunc Prælati præceptum obligat non ſolùm ad obediendum, ſed etiam ad talem conſcientiam deponendam. p 27. n.15.
Conſciensia quid ſit. p.30. n.2.
Conſcientia probabilis quid ſit. p. 30. n.3. & deinceps.
Conſcientiæ dubiæ nomine quid intelligatur. p.56. n.2, & deinceps.
Conſcientia dubia, non eſt propriè conſcientia. p.61. n.18.
Conſcientia obiectiuè dubia, in quo differat à dubiâ formaliter. p. 62. num.21.
Conſcientia ſpeculatiuè dubia, vel eſt circa ius, vel circa factum. pag.63. num.2.
Conſcientiam dubiam deponere licet ex ſolo titulo legitimæ poſseſſionis. p.77. n.11.
Conſcientiæ debet nota eſse obligatio ad hoc vt liget. p.85. num.13.
Conſcientia erronea cur excuſet à culpa. p.6. n.15.
Conſcientia erronea, nunquam eſt Diuinæ legi contraria p.8. n.23. Conſcientia erronea dictans dilectionem Dei eſse peccatum, repugnat. p.8. n.26.
Conſcientia erronea obligat ſolùm per modum applicationis. pag. 9. num.28. Et quatenus creditur eſſe præceptum Dei, ibi. n. 29. Debet eſſe actu dum operamur. ibi n.31. Vt poſſit deponi, requiritur aliqua ratio ibi n. 30. Dum dictat duas rationes oppoſitas, non poteſt peccari. ibi n.32. Eſt teſtis, Iudex, & regula. p.10. n.33.
Conſcientia erronea, alia vincibilis, alia inuincibilis, & vtraque quid ſit. p.12. n.6. Iuxta conſcientiam erroneam vincibilem operari, eſt peccatum, & cur. p.13. num.8. 9. & 10.
Conſcientia erronea eſt culpabilis, nõ quatenus repreſentat bonum, ſed quatenus poſita ſuſpicione de lege, obligat ad inquirendũ. p. 13. n.13. Peccans ex conſcientiâ erronea non ſemper incurrit pœnas legis, ibi p.14. n.15. & 16. Tam iuxta quam contra conſcientiam erroneam agendo, peccari poteſt. p.15. num.23.
Conſcientia erronea culpabilis in quo differat ab inculpabili. p.15. n.24. An grauiùs peccetur agendo contra, an verò iuxta conſcientiam vincibilem. ibi n.25.
Conſcientia erronea refundit in actũ bonitatem, vel malitiam illius generis, quod repreſentat. pag.21. num.5.
cum Conſcientia erronea, quod aliquid ſit peccatum in genere, operans, peccat mortaliter. p. 21, n.6. & deinceps. Putans aliquid eſſe peccatum in genere, peccat contra præceptum generale dictans bonum eſſe ſequendum. p.22. n.12. Putans aliquid eſſe virtuoſum facit actum illius virtutis, quam putat. ibi n.13. Si tamen error ſit vincibilis, opus, non eſt bonum,

ſed malum. ibi num. 14.
Conſcientiæ erroneæ vis ad obligandum, examinatur. p.2. n.1. &c.
Conſcientia quid, & quotuplex. p.4. num.10.
Conſcientia cur ſit proxima regula operandi. p.5. n.12.
Conſcientia quanam habeat vim præcepti, & quanam Conſilij. p.6. num.14.
Conſcientiæ munus, quid ſit. p.297. num.2.
Conſecrare non licet in fermentato, ad Viaticum infirmo miniſtrandum. p.247. num.22.
Conſenſus directus, & indirectus, quid. p.313. n.9.
Conſenſus imperfectus reputatur cōmuniter ſolùm venialis. pag.314. num.14.
Conſilij reuocatio in foro externo non præſumitur ſufficiens, quando factum eſt ſecutum. pag. 108. num.15. Efficacia ſequi ſolet conſilium. ibi n.16.
Conſiliarius rationabiliter obligatur ad damna. p.108. n.19.
Conſilij efficacia rationabiliter præſumitur. p.109. n.2.
Conſilij reuocatio non ſemper eſt ſufficiens. p.109. n.22.
Conſilium ad faciendum homicidium quot modis dari poſſit. pag. 106. num.8.
Conſilio reuocato, Conſulens aliquando ad nihil tenetur. p.107. num.9. Poſſeſſio tūc ſtat pro reuocatione. ibi, n.10. In foro externo conſiliū cenſetur ſufficienter reuocatum. ibi n.11.
Conſulens aliquando etiam reuocato conſilio tenetur ad damna. p.107. n.12. Poſſeſſio tunc ſtat pro efficacia conſilij. ibi. n.13.
Conſuetudo peccandi includit contemptum. p.349. n.4.
Conſulens dubitans, ſe ſuo conſilio fuiſſe cauſam mortis, tenetur ad damna. p.107. n.14.
Contra idem præceptum plura numero peccata committi poſſunt. p.146. n.19.
Contractus à dormiente factus per Procuratorem, eſt validus. p.162. num.14.
Contractus, à detruſo in carcerem celebratus, eſt validus. pag.269. num.16.
Contractus, per iniuriam celebratus, iure naturæ eſt irritus. pag.275. num.3.
Contractus, metu iniuſto celebratus dominium transfert. p.278. n. 17. & eſt etiam iure poſitiuo validus. num.18. Eſt tamen reſcindendus. num.19.
Contractus, vt obligent, debent à iure poſitiuo, approbari. p.290. num.10.
Contractus gratuiti, & oneroſi differentia. p.201. n.18. Alia differentia. ibi n. 19. Regula vniuerſalis pro contractibus gratuitis, & oneroſis. p.202. n.20.
Contractus non ſemper vitiatur ob errorem circa qualitatem materiæ. p.209. n.2.
Contractus oneroſi, & gratuiti in quo differant. p.169. n.19.
Contractus oneroſus non vitiatur ex errore circa cauſam inductiuam. p.169. n.20. Aliquando nec gratuitus. ibi n.21.
Contractus oneroſi habent motiuum di-

diſtinctum à motiuo Operantis: ſecus gratuiti. p.171. n.7. In gratuitis, idem ſemper eſt motiuum operis, & Operantis. ibi n. 8. Ideo error circa motiuum operandi hos ſemper irritat. ibi n. 9. motiuum operandi in his eſt cauſa finalis intrinſeca operationibus. pag.172. num.10.

in Contractibus lucratiuis idem eſt finis operis, & Operantis. pag.175. num.22.

Contractus, in dubio minoritatis, non videtur irritabilis à Patre. p.121. num.5.

Contractus reſciſſio, eſt fauor ætatis: p.122. n 6. Idem dic de Voti irritatione ibid. In dubio minoritatis, vtrumque fieri poteſt à Patre. ibi n.9. In tali dubio, poſſidet in Patre poteſtas irritandi, & reſcindendi. ibi n.10.

in ordine ad contractus, quam poteſtatem habeat Reſpublica pag.233 n.4. De facto, aliquos contractus iure naturæ irritos conualidat. ibi n. 5. Ius ciuile quandonam det actionem ad contractum reſcindendum. p.334. nu.7. Et quando concedat actionem redhibitoriam. ibi n.8.

Contractus validare, vide Reſpublica.

Contractus ex errore concomitante qui non ſit circa materiam adæquatam, non vitiatur. pag. 240. num. 12.

Contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris quid. p.222. n.9. Quomodo inter ſe differant. pag.223. n.10. Alij contractus, iure ciuili, irriti. pag. 224. num.13. Iura contractum irritant in odium deceptoris. ibi n.14. Non obſtat lex, ſi dolo. ibi n.15. Argumentum ab æquiparatis quando valeat. ibi n. 16. Quinam dolus contractum irritet. p.225. n.17. Deceptor, per contractum doloſum acquiſita tenetur reſtituere. ibi n.19.

Contractus bonæ fidei per legem, & & eleganter &c. irritatur, non aut rem ſtricti iuris. p.225. nu.20. Non ſemper omnes contractus dolo irritantur. p.226. n.23.

Contractus an irritetur ex errore profecto ex dolo Tertij. p.228. n.3. Non irritatur. ibi n.5.

Contractus imperfecti, & perfecti; quid. p.228. n.7.

Contrahens, quot modis errare poſſit circa cauſam inductiuam. p.229. num.8.

Contumelia, materiæ leuitatem admittit. pag.331. num.12.

Cooperari Chriſtianorum neci, an vnquam liceat. p.259. n.4. videtur intrinſecè malum. ibi.

Cooperari malo proximi quot modis quis poſſit. p.261. n.10.

Cooperatio ex metu, non eſt voluntaria. p.262. n.13.

Cooperatio materialis, non eſt intrinſecè mala, ſicut eſt formalis. p.263. n.17.

Cooperatio formalis opponitur præcepto negatiuo. p.264. n.19.

Cooperari peccato alterius, eſt peccatum ſcandali. p.343. n.4.

Cooperari directè peccato proximi, quid ſit. p.344. n.6. quid, cooperari indirectè. n. 7. Quæ obligatio non cooperandi. n.8.

Copula Coniugati, cum Coniugatà,

eſt

eſt duplex adulterium. pag. 389. num. 11.
Copulam habens cum Conſanguineâ ſuæ Coniugis ex conſcientiâ erronea, non priuatur iure petendi debitum. p. 16. n. 26.
Cur aliquid moraliter certum, appelletur aliquando dubium. p. 87. num. 19.

D

DEbiti remiſſio, facta ex deſperatione illud recuperandi, non tenet. p. 292. n. 18.
Debitorum ſolutio, animæ defuncti non prodeſt. p. 173. n. 15. & deinceps. Prodeſt autem, cum rationem habet eleemoſinæ. pag. 174. num. 21.
Debitum dubium ad nihil obligat. p. 99. n. 19.
Deceptor, per contractum doloſum acquiſita tenetur reſtituere. p. 225. num. 19.
Decretum Clementis VIII. circa caſus reſeruatos, quos, & ad quid obliget. pag. 17. num. 31. Comprehendit etiam Inſulas Italiæ adiacentes. ibi n. 33. Non obligat extra Italiam, & Romæ. ibi n. 32.
Deliberatio plena, ad peccatum mortale requiritur. p. 314. n. 11.
Depoſitarius, ad quid in dubio teneatur. p. 80. n. 25.
Deſiderium fœminæ in communi, eſt peccatum ſpeciale p. 364. n. 6.
Detractiones leues de pluribus, ſunt ſolùm veniale. p. 357. n. 10.
Deus quot modis conſiderari poſſit. p. 298. n. 8
Dei offenſa, eſt actio contra Dei legem, vel formaliter, vel conſequenter. p. 300. n. 15.
Dictamen prudentiæ, quo ſyllogiſmo concludatur. p. 55. n. 77.
Dictamen quod eſt regula immediata operationem non præcipit, ſed permittit. p. 35. n. 20.
Diebus feſtis, labor duarum horarum, videtur eſſe materia leuis. p. 327. n. 23.
Differentia indiuidualis peccati, non eſt neceſſariò confitenda. pag. 390. num. 15.
Difficultates notabiles in Voto ignoratæ, videntur illud reddere nullum. p. 217. n. 3. Aliud eſt difficultates ignorare; aliud circa illas errare. ibi n. 6.
Dirimentis impedimenti dubius, poſt debitam diligentiam non indiget Epiſcopi diſpenſatione. p. 89. n. 27.
Diſpenſatio vt valeat, ſatis eſt, ſi cauſa ſubſiſtat tempore conceſſionis. p. 195. n. 8.
Diuerſitas numerica peccatorum, ſumitur ex diuerſitate obiectorum & actionum externarum. p. 375. num. 12.
Diuerſitas peccatorum internorum voluntatis, quæ. p. 380. n. 6.
Diuerſitas inter actus efficaces, & inefficaces. p. 383. n. 14.
Doctrina de opinione probabili, eſt communis. p. 49. n. 61. Eius electio eſt licita in quacumque materia. p. 50. n. 63. Etiamſi rationum oppoſitarum ignoretur ſolutio. ibi n. 64.
Dolus, dans cauſam contractui, illum non irritat. p. 276. n. 11.
Dolus, Error, & Ignorantia per quid differant inter ſe. p. 151. n. 12.

Do-

Dolus matrimonium non irritat. p.226. n.21. *Neque Profeſſionem Religioſam.* ibi n.22. *Nec ſemper reliquos contractus.* ibi n.23.

Dolus circa cauſam inductiuam, quando trahit errorem circa ſubſtantialia, contractus eſt nullus. p. 230. n. 13. *Si tamen addatur proteſtatio, eſt validus, & quomodo.* ibi num. 14. *Doloſè inducens tenetur ad damna,* pag.231. n.15. *Si alius contrahens ſit doli conſcius, contractus eſt nullus:* ibi.n.16. *Imo etiam ſi illum ignoret ignorantia moraliter vincibili.* ibi n.17.

Dolus Venditoris, emptionis valori non videtur obſtare. p.222. n. 3. *Dolus Venditoris, emptionem iure ciuili irritat.* p.223. n. 11. *Quænam iura hoc decernant.* ibi num.12.

quinam Dolus contractum irritet. p. 225. n.17.

Dolus velatus, non irritat contractum. p.225. n.18.

Donatio Latroni, ex metu facta, cur ſit reſcindenda. p.273. n.16.

Donationis, quænam ſit cauſa materialis, & finalis. p.167. n. 8.

Donatio ex errore circa perſonam Donatarij, eſt inualida. pag. 168. num.15. *Perſona Donatarij pertinet ad cauſam finalem donationis.* ibi n.16.

in Donatione, voluntas ſemper eſt virtualiter conditionata. pag.168. num.17.

Donatio, perſonam eſſentialiter reſpicit. p.168. n.18.

ad Dubia non ſe extendit poteſtas Superioris. p.115. num.18.

Dubia conſcientia, non eſt propriè cõſcientia. p. 61. n. 18. *Cum dubio operans committit peccatum eius ſpeciei, de quà dubitat.* ibi nu.19.

In dubio practico pars tutior neceſſariò eſt eligenda. p.62. n. 20.

Dubia materia an eximat ab obligatione præcepti. p. 111. n.2.

Dubia obligatio non ligat in foro externo. p 86. n.17.

ad Dubium deponendum, præter poſſeſſionem, dantur etiam alij tituli. p.89. n.29.

ad Dubium deponendum, an ſufficiat titulus poſſeſſionis. pag.75. n.2. & deinceps. *Titius ſericis pannis vtendo cum dubio, non peccauit.* p.77. n. 10. *Dubiam conſcientiam deponere licet ex ſolo titulo legitimæ poſſeſſionis.* ibi n.11.

Dubitans, an expleuerit annum 21. non tenetur ieiunare. p.85. n.14.

Dubitans an media nox ſit elapſa, non dubitat an ſit ieiunus. pa. 72. num. 18. *Sed hoc rationabiliter præſumit.* ibi n. 19. *Cum dubio mediæ noctis haberi poteſt certitudo ieiunij.* ibi n.22.

Dubitans de beneficij tenuitate, tenetur Officium recitare. pag. 93. num.15.

Dubitans an ex animo Votum emiſerit, obligatur. p.102. n.7.

Dubitans an Lex ſit abrogata, tenetur illam ſeruare. p.103. n.12.

Dubitans an homicidium ſit ſecutum ex ſuo conſilio, cenſetur irregularis. p.102. n. 11.

Dubitans an materia quam vouit ſit indifferens, obligatur. pag.103. num.13.

Dubitans ſe, ſuo conſilio, fuiſſe

cauſam mortis, tenetur ad damna. p.107. n.14.
Dubitans an ſui Prælati poteſtas legitima ſit, tenetur obedire. p.109. num.24.
Dubitans de impedimento matrimonij diſpenſationem petere non tenetur. p.96. n.9.
Dubitans de matrimonij valore, an poſſit petere debitum. p.89. n.28.
Dubitans de materiæ honeſtate non tenetur obedire. p. 113. num. 12. Quomodocumque dubitet. ibi n. 13.
Dubitans de præcepto, poſt debitam diligentiam non obligatur. p.88. num.24. Similiter nec dubitans de Voto, aut iuramento, ibi n.25.
Dubitans de impedimento dirimente poſt debitam diligentiam non indiget Epiſcopi diſpenſatione. pag.89. num.27.
Dubitans de ſufficientia ſua ſcientiæ ad audiendas confeſſiones, non tenetur obedire Superiori præcipienti, vt audiat. p.113. n.11.
Dubitans de vtraque parte, vel minus malam, vel vtramlibet eligere poteſt. p.60. n.16.
Dubitans de valore matrimonij, an poſſit petere debitum. p 79. n.20.
Dubitans miles de ſui Principis iuſtitiâ in bello, quomodo poſſit illum licitè ſequi. p.64. n.3.
Dubitans Epiſcopus vter ex concurrentibus ad beneficium, ſit dignior quomodo poſſit vtrilibet conferre. p.64. n.40.
Dubium quid, & quotuplex ſit. p.58. num.7.
Dubium ſpeculatiuum quid ſit. p.58. num.8.
Dubium practicum quid ſit. pag.58. n.8. Vxor cum dubio practico debitum reddens, peccat mortaliter. p.59. n.9. Cum dubio practico operari, eſt intrinſecè malum. ibi n.10. Eſt contra præceptum, quod probibet operationem. ibi num.11. Qui cum dubio practico operatur ſaltem indeterminatè vult malum ibi n. 12. Neceſſariò malè operatur. p.60. n. 13. Cum dubio ſpeculatiuo operari, poteſt non eſſe malum. ibi n.14. Quando non eſt malum. ibi. n.15.
Dubium, cum poſt debitam diligentiam vinci non poteſt, æquiualet ignorantiæ inuincibili. p.70. n.9. Cum dubio mediæ noctis Titius accedens ad Eucharistiam non peccauit. ibi n.10.
Dubium de filij ætate, non trahit dubium de Patris poteſtate. pa. 124. num.17.
Dubium de honeſtate materiæ Voti, trahit dubium de ipſo Voto. p.119. num.9.
Dubium facti quandonam trahat dubium iuris. p.88. n.23.
Dubium facti trahit ſecum dubium iuris. p. 70. nu.12. In dubio facti præceptum non eſt in poſſeſſione obligandi. p.71. n.13.
Dubium nunquam poteſt eſſe regula operandi. p.67. n.15. Circunſtantiæ particulares, ſunt ſæpe ratio ſufficiens deponendi dubium. ibi num.16.
Dubium quod operatio ſit illicita, ſufficit ad peccandum. p.61. n. 17.
Dubium ſpeculatiuum, & iudicium practicum certum quando poſſint dari ſimul. p.85. n. 12.
Dubium ſpeculatiuum per ſe loquen-

do

do trahit practicum. p.64. n.6. Titius rem dubiam vni parti applicando mortaliter peccauit. p. 65. n. 7. Operari cum dubio ſpeculatiuo, quando non datur ratio illud practicè deponendi, eſt intrinſecè malum. ibi n. 8. Idem eſt, ac operari cum dubio practico. ibi n. 9. Vnum neceſſariò infertur ex alio. ibi n. 10.

Dubium ſuperueniens, certa rei poſſeſſione ſpoliare non poteſt. p. 71. num. 15.

Dubius de aliquo facto, poſt debitam diligentiam, habetur pro laborante ignorantia inuincibili. pag. 71. num. 16.

Dubius de ieiunio à culpà, non poteſt accedere ad Eucharistiam. p. 72. n. 23.

Dubium ſpeculatiuum, fieri poteſt practicè certum. p. 73. n. 24.

Dubius rei Dominus, cur poſtponendus poſſeſſori p. 78. n. 14.

Dubium in inchoante poſſeſſionem, impedit bonam fidem, non autem in continuante. p. 78. n. 16. Cum dubio retinens poſſeſſionem, nulli ſe periculo exponit. ibi n. 17.

cum Dubio operans, ante debitam diligentiam, iuſtè punitur. p. 87. n. 18. Cur aliquid mortalitee certum appelletur aliquando dubium. p. 87. n. 19.

cum Dubio ſpeculatiuo poteſt formari iudicium practicum. p. 70. n. 11.

in Dubio an expoſitus ſit legitimus, reputandus eſt illegitimus pag. 93. num. 16.

in Dubijs, an, & quando tutior pars ſit eligenda. p. 73. n. 25. Poſt adhibitam diligentiam, qualibet pars eſt æque tuta. ibi num. 26.

in Dubio, cur melior ſit conditio poſſidentis. c. 77 n. 12. Poſſeſſio in dubio ſufficit ad formandum iudicium certum de licito vſu rei. p. 78. num. 13.

in Dubio dignitatis duorum concurrentium, poteſt Epiſcopus vtrilibet conferre beneficium. pag. 66. num. 14.

in Dubio, factum non præſumitur, ſed probari debet. p. 69. n. 8.

in Dubio iuris duorum, res vni iuſtè applicari non poteſt. p. 65. num. 11. In ſimili dubio Iudex hæreditatem diuidere tenetur. p. 66. n. 12. Sola Amicitia, non eſt ratio ſufficiens dubium practicè deponendi. ibi num. 13.

in Dubio obligationis, præceptum non obligat. p. 71. n. 14.

in Dubio quando tutior via eligenda ſit. p. 85. n. 11.

in Dubio minoritatis, poteſt Pater irritare Votum, & reſcindere contractum factum à filio. p. 122. n. 9. In tali dubio poſſidet in Patre poteſtas irritandi, & reſcindendi. ibi n. 10.

in Dubio præceptum obligat, quando poſſeſſio ſtat pro ipſo. p. 87. n. 20. Ex homicidio dubio cur contrahatur irregularitate. p. 88. n. 21.

in Dubio, iuriſdictio non poteſt exerceri. p. 99. n. 20.

in Dubio ætatis, Profeſſio non valet. p. 100. n. 21.

in Dubio, præſumitur factum, quod iure erat faciendum. p. 100. n. 22.

in Dubio, circunſtantia facti ſemper præſumitur. p. 101. nu. 5. Factum tunc poſſidet. p. 102. n. 6.

in

in Dubio practico, nulla datur iuſta cauſa ſequendi partem minus tutam. p.97. n. 13.

in Dubio, Votum non obligat. p.98. n 14. Neque peccatum, aut reſeruatio. ibi n. 15. Neque lex, aut præceptum. ibi n.16.

in Dubio ætatis, Ordines ſuſcipere non licet. p.98. n.17.

in Dubio, Cenſura non ligat. p. 98. num.18.

in Dubio, ad quem pertineat prouiſio beneficij. p.91. n. 7. Poſſeſſio ſtat pro reſeruatione Pontificis. p.92. n.8. Non pro Epiſcopi iuriſdictione. ibi n.9. Dubium eſt de eius inceptione. ibi n.10. Præſumptio iuris eſt pro reſeruatione. ibi n.11. Conſtat de reſeruatione, non de eius ceſſatione. ibi n. 12. Inceptio iuriſdictionis Epiſcopi, cum ſit quid facti, non præſumitur. p. 93. num.14.

pro Dubio facti datur principium quoddam vniuerſaliſſimum. p.95. n. 7. Idem principium magis probatur. p.96. n.8.

E

EBrietas ex ſe ſemper eſt contra temperantiam. p.140. n.25.

Ebrij promiſſio quando obliget. p.160 num.10.

Eccleſia, an obligare poſſit cum vitæ periculo pag. 245. num. 16. & n.21. p.246.

Effectus peccati, an ſit peccatum. p.303. n.3.

Efficacia ſolet ſequi conſilium. p.108. num. 16.

Electio ad beneficium, metu facta, eſt irrita. p.280. n.5. & pag.281. num.13.

Eleemoſyna facta etiam cum ignorantià antecedente, aliquando eſt valida. p.220. n.16.

in Eleemoſynæ diſtributione, pauperis infirmitas, regulariter eſt ſolùm cauſa impulſiua. pag. 186. num. 16.

Emptio cum errore circa materiam valida eſt, non autem matrimonium, & cur. p.240. n.11.

Emptio ex ſolà deceptione orta, iure ciuili eſt valida. p.234. n.6.

Emptio ex dolo Venditoris irritatur iure ciuili. p.223. n.11. Quænam iura hoc decernant. ibi n.12.

Emptio quamuis cum ignorantià circa qualitatem rei emptæ, eſt valida. p. 153. n. 17. Eſt volita per voluntatem abſolutam, & hæc ſufficit ad valorem. p.154. n.18.

Emptio quamuis ex errore circa motiuum emendi, eſt valida. p. 178. n.10. Error tunc eſt ſolùm circa circunſtantiam accidentalem. ibi n.11. Sicut in eleemoſyna, error circa pauperis mores p.179. n.12. & ſicut in matrimonio, error circa Sponſæ diuitias. ibi n. 13. Eſt error circa finem Operantis, non operis. ibi n.14.

Emptio, per quam voluntatem conſtituatur. p. 180. n.15. Voluntas imperans emptionem, ad eius eſſentiam non pertinet. ibi num.16. Deceptio circa illam eſt deceptio circa cauſam impulſiuam. ibi num.17.

Emptionis quænam ſit cauſa materialis, & finalis. p.166. n.7.

Emptio ex errore circa perſonam non

non ſit inualida. p.167. n.9. Perſona Venditoris eſt circunſtantia accidentalis emptioni. ibi n.10. Sicut etiam qualitas perſonæ, cum quà contrahitur matrimonium. ibi n.11.

Emens, regulariter voluntatem habet abſolutam, non conditionatam. p.168. n.14.

Emptio eſſentialiter reſpicit ſolùm æqualitatem inter pretium, & rem. p.167. n.12. Metus inducens ad emendum, emptionis valorem non tollit. ibi n.13.

Emptionis cauſa finalis, quandonā coincidat cum eiuſdem cauſà materiali. p.215. n.12.

Emptio cur irritetur ex ignorantià vitiorum rei emendæ. p.219. n.13.

in Emptione, ac Venditione non ſolùm res vendenda, ſed eius etiam qualitates pertinent ad materiam. p.105. n. 6. Rei valor deſumitur ex eius vtilitate in ordine ad vsũ, ad quem vendi ſolet. ibi nu.7. Et ex communi æſtimatione, quam res habet in illo loco. p.206. n.8.

Epiſcopus dubitans vter ex concurrentibus dignior ſit, quomodo poſſit vtrumlibet eligere. p. 64. n. 4. & p.66. n.14.

Error circa mores, & doctrinam reddit inualidam collationem Beneficij Parochialis. p.184. n.9.

Error. Vide Emptio ex errore.

Error circa perſonam Donatarij reddit donationem inualidam. p.168. n.15.

Error circa virtutem rei vendendæ irritat venditionem. p.206. nu 9. Illam reddit ſimpliciter inuoluntariam. ibi n. 10.

Error circa qualitatem materiæ, nõ ſemper vitiat contractum. p.209. num.2.

Error circa cauſam impulſiuam, in quibus caſibus vitiet actum. p.186. n.17.

Error circa vnam cauſam, non tollit valorem Voti, ſi alia ſubſiſtat. p.190. n.15.

Error circa cauſam Voti pro tempore executionis, reddit Votum inualidum. p.196. n.11.

Error circa cauſam finalem Profeſſionis, videtur illam reddere inualidam. p.197. n. 2. Videtur error circa ſubſtantialia Profeſſionis. p.198. n.3. Sicut ſi eſſet circa materiam profeſſionis. ibi nu.5. & ſicut eſt in Voto ſimplici. ibi nu. 6. Verè tamen illam non vitiat. ibi num.7.

Error circa cauſam motiuam in contractibus oneroſis, non tollit eorum voluntatem abſolutam. p.199. n.11. Hæc voluntas datur in Profeſſione, ſicut in Matrimonio. ibi n.12.

Error circa cauſam motiuam Profeſſionis, non eſt circa ſubſtantialia. p.200. n.15.

Error circa cauſam impulſiuam, operationem non vitiat. pag. 176. num.2.

Error circa motiuum emendi non inualidat emptionem. p.178. n.10. quia eſt ſolùm circa circunſtantiam accidentalem. ibi n.11.

Error circa cauſam inductiuam nõ vitiat contractus oneroſos. p.169. n.20. Aliquando nec etiam gratuitos. ibi. n.21.

Error circa motiuum operandi ſemper

per irritat contractus gratuitos. p.171. n.9. Error circa motiuum non obligat ad promiſſa. pag.172. num.11.

Error circa motiuum, tollit animum ſe obligandi. p.172. n.12. Eſt error antecedens. p.173. n.13. Eſt error circa cauſam finalem. ibi num.14.

Error concomitans, dummodo non ſit circa materiam adæquatam, contractum non vitiat. pag.240. num.12.

Error dans cauſam contractui, illum non irritat. p.276. n.11.

Error communis. Vide Reſpublica.

Error incidens in emptionem, an eam irritet. p.238. n.3. Verè non irritat. ibi n.6. Non tollit voluntatem abſolutam emendi. pa.239. n.7. Supponitur vincibilis. ibi n.8. Non tollit voluntatem emendi rē, quacumque circunſtantia poſita. ibi n.9. Non eſt circa materiam emptionis adæquatam. ibi n.10.

Error, Dolus, & Ignorantia per quid differant inter ſe. pag.151. num.12.

Error impedit valorem actus, quod non facit mera ignorantia alicuius circunſtantiæ. p.151. n.13.

Error etiam vincibilis circa materiam Voti, ſufficit ad reddendum illud inualidum. p.156. n.26.

Error concomitans alicuius circunſtantiæ, actus valorem non impedit. p.156. n.27.

Error ex dolo Tertij, quod irritet contractum. p.228. n.3. Quod nō irritet. ibi n.4. Quot modis errare poſſit contrahens circa cauſam inductiuam. pag.229. num.8.

Error circa valorem extrinſecum rei vendendæ, venditionem non vitiat. p.230. n.12.

Error an contractus iure naturæ irritos, irritet etiam ſemper iure ciuili. p.233. n.2.

Error, valoris, quem res alicubi habet, non irritat contractum. p.210. n.7. Eſt error circa valorem extrinſecum. ibi. n.8.

Error circa materiam operationis, cur illam vitiare videatur. p.213. n.3. Inconueniens inde conſequens ibi num.4.

Error leuis circa materiam Voti, nō illud irritat. p.214. num.7. Error notabilis irritat. ibi n.8.

Error circa acceſſorium non irritat Votum circa principale. pag.214. num.9.

Error circa circunſtantiam materialem, illam non ſemper reddit inuoluntariam. p.215. n.10.

de Eſſentia cuiuſcumque actus, ſunt materia, & cauſa finalis. p.166. num.6.

Euangelium ſcire non tenebamur ante eius promulgationem. p.144. num.8.

Eucharistiam ſumere cum dubio de mediâ nocte, quomodo liceat. p.70. n.10. & deinceps.

ad Eucharistiam accedere cum dubio de ieiunio à culpâ non licet. p.72. num.23.

Euchariſtiæ miniſtratio, occulto peccatori publicè petenti, ex iuſtâ cauſâ licet. p.263. n.14.

Excommunicationes latæ contra aliquid præſumentes, non incurrit, qui operatur ex errore. p.16. n.27. & deinceps.

Ex-

Excommunicationes variæ contra præſumentes latæ. p.16. n. 27. & deinceps.

Excommunicantur affirmantes eſſe hæreſim, vel mortale aſſerere B. Virginem conceptam eſſe ſine peccato originali; vel peccare eos, qui audiunt concionem, aut celebrant Officium immaculatæ Conceptionis. p.16. n.29.

Excommunicatus vi Bullæ Clementis VIII. contra prouocantes ad duellum non poteſt abſolui, neque à Priuilegiatis. p.19. n.38.

Ex duobus malis, an ſemper ſit eligendum minus. p.88. n.22.

Expoſitus, in dubio reputandus illegitimus. p.93. n.16.

Exponere ſe periculo peccandi, eſt peccatum. p.338. n.4. etiamſi fiat ad vitandas minas. ibi n.5.

Exponere ſe periculo peccandi, ex iuſtâ causâ, non eſt peccatum. p.339. n. 10. Tunc non amatur. p.340. n. 11. Nec eſt voluntarium. ibi n.12.

Exponere ſe, temere, peccandi periculo, eſt intrinſecè malum. p.340. n.14. Eſt contemptus interpretatiuus ſalutis. p.341. n.15.

Exponere ſe periculo peccandi, quando liceat. p.341. n.18.

Extractio quinque modiorum tritici è Regno, non eſt mortale. p.323. num.9. Legem grauiter non violat. p.324. nu.10. Reputatur materia leuis. ibi n.12. Reipublicæ infert damnum leue. n.14.

F

FActum dubium non poteſt parere obligationem certam. pag.96. num.8.

Factum in dubio, in neutro Foro præſumitur niſi probetur. pag.97. num. 10. Aequiualet ignorantiæ inuincibili. ibi n.11.

Factum, quod de iure faciendum erat, in dubio præſumitur. p.100. num.22.

Factum, in dubio, non præſumitur, ſed probari debet. p.69. num.8. & p.95. num.7.

Factum dubium, poſt debitam diligentiam, inuincibiliter ignoratur. p.71. n.16.

Famulus, quæ ſine peccato ſcandali præſtare poſſit. p.346. n.17.

Fidei aſſenſus quamnã requirat auctoritatem. p.54. num.74. & deinceps.

Fidei myſteria ſcire tenemur ex præcepto obligante ad ea credenda. p.143. n.7.

Fidei myſteriorum ignorantia vnico tantùm præcepto opponitur p.144. num.9.

Fideles captiui arma Turcis ſuppeditando ex metu, an peccent. p.259. num.3.

Fideiuſſio ex metu leui facta, in foro conſcientiæ, non obligat. p.290 num.7.

in Foro externo obligat. pag.289. num.4.

Fideiubens ex metu leui, habet ius ad contractum reſcindendum. p.291. n.14.

Filius, an Patris domum deſerere teneatur ad peccati periculum

vitandum. pag.341. num.20.
Finis malitia, ab operis bonitate non minuitur. p.308. n.7.
Finis operis, & Operantis eſt idem in contractibus lucratiuis. p.175. num.22. Quis ſit. p.177. num.8.
Forma Sacramentorum, materiæ paruitatem non admittunt. p.334. num.23.
quæ Formido honeſtatem operationis impediat. p.48. n.59.
Forum interuum conformatur externo p.76. n.9.
Forum internum quando cum externo conueniat. p.291. n.11.
Furta plura leuia, conſtituunt vnũ furtum graue. p.352. n.16.
Furtum de ſe leue, quando ſit mortale. p.352. n.42.
Furti malitia, an ex fine bono minuatur. p.308. nu. 3. in genere furti. n.8.
Furtum ad dandam eleemoſynam, eſt minus peccatum in genere furti, quam furtum ſimpliciter. p.309. n. 9. Eſt minus voluntarium. n.10.
Furtum ad dandam eleemoſynam, non eſt minus graue, quam factum ad lautè comedendum. p.311 num.17.
Furtum, materiæ leuitatem admittit. p.331. n.12.

G

GLadium præbens ſemper cenſetur ad homicidium concurrere, quandiu quis illo gladio occiditur. p.108. n.17. Quia delictum tunc eſt certum, & excuſatio incerta. ibi n.18.

H

HAbilitas ad Sacerdotium eſt ſiuor ætatis. p.124. n.18.
Hæreditatis renunciatio, metu reuerentiali facta eſt reſcindenda. p.292. n.16.
Hæreſim proferens, cenſetur Hæreticus, quandiu non probat ſe interiùs, non ita ſenſiſſe. pag. 91. num.6.
cui Homicidio dubio, à iure ſit impoſita irregularitas. p.102. n.11.
Homicidium quot modis conſuli poſſit. p.106. n.8.
ad Homicidium concurrere cenſetur qui dedit gladium, quando quis eo gladio occiditur. p.108. n.17.
Delictum tunc eſt certum, & excuſatio incerta. ibi n.18.
ex Homicidio dubio cur contrahatur irregularitas. p.88. n.21.

I

IEiunare non tenetur, qui dubitat an expleuerit annum 21. p.85. num.14.
Ieiunij certitudo haberi poteſt cum dubio de mediâ nocte. p.72. n. 22.
Ieiunium, vnâ aut alterâ vnciâ, nõ frangitur. p.326. n.21.
Ieiunium ad Euchariſtiam requiſitum, materiæ paruitatem non admittit. p.334. n.24.
Ignorantiæ notitia cur neceſſaria. p.126. num.2.
Ignorantia quid. p.127. n.8. Quotuplex ſit in ordine ad varios terminos conſiderata. ibi n.9.
Ignorantia concomitans, quam diſpoſitionem includat ad actum igno-

ignoratum. pag.128. num.10.

Ignorantia inuincibilis, etiam concomitans excuſat à culpà. p. 128. num.11. In quo ſenſu non excuſet. p.129. nu.14. Excuſat etiam à pœnà. ibi n.15. Reddit actum non voluntarium. p.130. num.18. Quando cenſeatur reddere voluntarium. ibi n.20. Cur in Foro externo, Ignorantia facti, ſed non iuris excuſet. ibi n.22.

Ignorantia inuincibilis excuſat etiã à ſuſpenſione. p. 131. n.23. Et ab Irregularitate. ibi n. 24. & à reſeruatione. ibi n.25. Impedit actus nullitatem, quando hæc eſt pœna. ibi n.26. Excuſat etiam ab alijs pœnis. p.132. n.27,

Ignorantia non ſolùm iuris, ſed etiã facti excuſat. p.132. n. 29. Non ſolùm antecedens, ſed etiam concomitans. ibi n.30. Imo etiam venialiter vincibilis. p.133. n.31. Vincibilis tamen mortaliter non excuſat. ibi n. 32.

Ignorantia aliqua culpabilis datur. p.135. n. 2. Cur videatur culpa diuerſa à præcepti tranſgreſſione, quam cauſat. ibi n.3.

Ignorantia ex ſe non eſt peccatum. p.136. n.10.

Ignorantia non eſt peccatum diuerſum à peccato tranſgreſſionis. p.137. n.12. Eſt violatio eiuſdem præcepti. ibi n.13.

Ignorantia eodem præcepto prohibetur, quo tranſgreſſio. p.138. n.15 Non prohibetur propter ſe, ſed ſolùm tanquam occaſio tranſgreſſionis. ibi n.16. Non ſemper opponitur virtuti ſtudioſitatis. ibi num.17. Num peccatum ex ignorantià ſit grauius, quam ſcienter commiſſum. p.139. nu. 18. Malè abſoluens ex ignorantià committit vnum peccatum conſummatum. ibi n.19.

Ignorantia præcepti non habet malitiam diuerſam ab eius tranſgreſſione. p.140. n.26. Neque eſt peccatum ab ea numero diuerſum. p.141. n.27.

Ignorantia vincibilis myſteriorum Fidei, videtur plures ſpecie malitias continere. p. 143. n.3. Verè tamen non continet. ibi n.6.

Ignorantia myſteriorum Fidei vnico tantùm præcepto opponitur. p.144. num.9.

Ignorantia eſt ſpeciale peccatum, ſolùm cum ex intentione ignorandi, ignorantur res ſcitu neceſſariæ. p.144. n. 10. Articulum aliquem ex ignorantià vincibili negans, peccat ſolùm contra Fidem. p.144. n.11. Contra eandem etiam peccat, qui ex eadem ignorantià exponit ſe periculo negandi. p. 145. num.12.

Ignorantia Articulorum Fidei, ac præceptorum Decalogi, in quo differant. p.145. n. 13. Cur plures malitias numero diuerſas contineat. p.146. num.16. Exponit periculo plures articulos negandi. ibi n. 17. Imo cenſetur eſſe indirectа voluntas plures negandi. ibi num.18.

cum Ignorantia inuincibili operans, regulariter peccat. p.148. num.3. ipſa tamen operatio aliquibus videtur valida, & cur. p.149. nu.4. Aliquibus verò inualida, & cur. ibi. num.8.

Ignorantia, error, & dolus per quid inter ſe differant. p.151. n.12.

mera Ignorãtia alicuius circunſtantiæ, actus valorem non impedit; error verò impedit. p.151. n.13.

Ignorantia circunſtantiæ, quando actus valorem impediat. pag.152. num.14.

Ignorantia antecedens, & concomitans, quæ. p.153. n.15. Duplex cum ignorantia dari poteſt diſpoſitio erga obiectum ignoratum. ibi num.16.

Ignorantia circa qualitatem rei, quã quis abſolutè voluit emere, non reddit inualidam emptionem. p.153. n.17.

Ignorantia tollit voluntatem directam, quam non tollit metus. p.155. num.23.

Ignorantia affectata circa aliquam conditionem, aut circunſtantiam, actus valorem non impedit p.156. num.28.

Ignorantia vincibilis, actuum valorem impedit, ſicut ebrietas. p.158. n.2.

Ignorantia, difficultates ignoratas non excludit, error excludit. p.217. num.7.

Ignorantia difficultatum, voluntatem vouendi abſolutam non impedit. p.218. n.9.

Ignorantia vitiorum rei emendæ, cur irritet emptionem. pag. 219. num.13.

quæ Ignorantia cauſet inuoluntarium. p.219. n.14.

Ignorantia, & error concomitans, dummodo non ſint circa materiã adæquatam, contractum non vitiant. p.240. n.12.

Impedimenta luminis, poſita poſt primum, non impediunt. pag.361. num.13.

de Impedimento dirimente dubitans poſt debitam diligentiam, non indiget Epiſcopi diſpenſatione. p.89. num.27.

Imperfecta libertas, an ſufficiat ad reddendum peccatum veniale. p.312. n.3.

Impuber, non dominus ſuæ voluntatis eſt, ſed eius Pater. p.122. n.11. Sicut nec ſeruus ſuæ, ſed eius Dominus. p.123. n.12.

Impulſiua cauſa quid. p.178. n.9.

Inaduertentia cur in confeſſione explicanda non ſit. p.301. n.18.

Indicia ſemiplenæ aduertentiæ. pag. 316. n.21.

Inducere ad peccatum, eſt peccatum ſcandali. p.344. n.5.

Iniuria, ex metu leui, contractum reſcindit. p.290. n.9.

Iniuria, contractum, iure naturæ, non irritat. p.276. n. 10. nec donationem. p. 277. n. 14. nec promiſſionem. n.15.

Inſulæ Italiæ adiacentes, an, & quando veniant nomine Italiæ: p.17. n.33.

Intellectus propoſitis ſibi motiuis probabilibus æqualibus pro vtraque parte, eſt perfectè ſubordinatus voluntati. p.42. n.42.

Intellectum à voluntate determinari conſtat experientia. p.43. n.45.

Intellectus poteſt ſimul probabilem vtramque partem iudicare. p.43. num.46.

Intentio aliqua requiritur tunc quãdo conficitur Sacramentum, ad hoc vt ſit validum. p.160. n.9.

Intentio præterita ad baptizandum, non ſufficit. p. 164. nu. 23. ſufficit ad baptiſmum recipiendum. ibi num. 24.

Intentio bona, an peccati malitiam minuat. p. 308. n. 3.

Intentio bona, aliquam malitiæ ignorantiam inducit. p. 309. n. 11. & minuit rationem voluntarij. n. 12. Non per ſe, ſed per accidens. p. 310. num. 13.

Intentio bona tendit in furtum ſolùm tanquam in medium. p. 310. num. 15.

Irregularitas non contrahitur ob violationem cenſuræ ex metu. p. 252. n. 17.

Irregularitas cuinam homicidio dubio ſit à iure impoſita. p. 102. n. 11.

Irregularitas cur contrahitur ex homicidio dubio. p. 88. n. 21.

Irregularitas incurritur ob abortum de cuius animatione dubitatur. p. 102. n. 11.

Irritationis Votorum Filij, valor fundatur in poteſtate Patris p. 123 n. 15. Hæc poteſtas vtpotè antiquior præualet Voto. ibi n. 16.

Irritari poteſt à Patre Votum Filij, cum datur iudicium probabile de eiuſdem impubertate. p. 124. n. 19.

Irritandi poteſtas, ſe extendit etiam ad tempus antecedens. p. 125. n. 20.

Italiæ nomine an, & quando veniunt etiam Inſulæ adiacentes. pag. 17. num. 33.

Iudex, in iure duorum dubio, tenetur hæreditatem diuidere. pag. 66. num. 12.

Iudicium practicum, formari poteſt cum dubio ſpeculatiuo. p. 70. n. 11.

Iudicium practicum certum, & dubium ſpeculatiuum, quando poſſint dari ſimul. p. 85. n. 12.

Iuramentum ex conſuetudine, in ipsà ſolùm eſt volitum. pag. 162. num. 17.

Iuramentum non magis obligat, quã promiſſio. p. 174. n. 20.

Iuramentum, quando à iure irritetur. p. 281. n. 9.

Iuramentum promiſſorium, materiæ paruitatem admittit. p. 335. n. 27.

de Iuramento dubitans poſt debitam diligentiam, non obligatur. p. 88. num. 25.

Iure dubio duorum ſtante, res vni iuſtè applicari non poteſt. pag. 65. num. 11.

Iuriſdictio in dubio exerceri non poteſt. p. 99. n. 20.

Ius Ciuile quandonam det actionem ad contractum reſcindendum. p. 334. nu. 7. Et quando concedat actionem redhibitoriam. ibi n. 8.

Ius habens ad aliquid, propter ſolùm dubium, illo ſpoliari non poteſt. p. 72. n. 21.

Iuſta cauſa partem minus tutam reddit omnino tutam. p. 97. n. 12.

L

Labor duarum horarum, diebus feſtis, videtur eſſe materia leuis. p. 327. n. 23.

Legatum precibus importunis impediens, tenetur ad reſtitutionem. p. 296. n. 14.

Legislator, an obligare poſſit leuiter in materià graui. p. 317. n. 3. in materia leui non poteſt obligare grauiter. p. 318. n. 6. & pag. 319. num. 18.

Lex diuina in materiâ graui, non obligat leuiter. p. 318. num. 7. & p. 320. num. 19.
Lex obligare poteſt leuiter in materiâ graui. p. 318. n. 11.
Lex Eccleſiaſtica, an vnquam violari poſſit. p. 232. n. 4.
Lex humana, non magis obligat, quam poſitiua diuina. p. 244. n. 14.
Legis obligatio ceſſat in vitæ periculo. p. 245. n. 17.
Lex humana regulariter non obligat cum graui incommodo. pag. 250. num. 8.
Lex naturalis ſola, tunc obligat. ibid. num. 9.
Lex inuincibiliter ignorata, non obligat. p. 150. n. 10.
Lex, propter metum, violatur ſolùm materialiter, non formaliter. p. 251. n. 14.
Lex poſitiua Diuina, quando obliget cum vitæ periculo. p. 257. n. 17.
Lex non obligat niſi vt propoſita. p. 7. n. 20. Obligat autem etiam falsò propoſita. ibi n. 21.
Lex humana, alia punit ſimpliciter delinquentem, alia ſolùm delinquere præſumentem. pag. 12. n. 7. Obligat etiam ad vitandum periculum proximum tranſgreſſionis. p. 13. n. 11.
Lex non obligat niſi iuxta Legislatoris voluntatem verbis expreſſam. p. 14. n. 17.
Leges aliquæ puniunt ſolùm delictum directè volitum. ibi n. 18.
Lex certa, licet quoad circunſtantiam dubiam, obligat. p. 88. n. 26.
Lex, in dubio, an ſit, non obligat. p. 98. n. 16.
Lex, de cuius abrogatione dubitatur, obligat. pag. 103. num. 12.
Lex ceſſat, ceſſante cauſa finali. pag. 189. n. 10.
Lex, & eleganter contractus doloſos bonæ Fidei irritat, non ſtricti iuris. p. 225. n. 20.
Libertas, ac voluntas ad valorem actus requiſita, quænam ſit p. 148. num. 2.
Libertas imperfecta, an peccatum reddat veniale. p. 312. n. 3.
Libertatis ſemiplenæ indicia. p. 316. num. 21.
Libri Hæretici lectio, ex ſe, Religionis contemptum non includit. p. 246. n. 20.
Librum hæreticum legere ad ſaluandam vitam licet. p. 244. n. 12.
Licentia precibus importunis extorta non valet. p. 296. n. 15.
Ludus, precibus importunis extortus, cur ſit validus. p. 295. n. 12.

M

Maledictio Dei, & Sanctorum, eſt peccatum multiplex. p. 392. num. 21.
Malitia peccati, an ex fine bono minuatur. p. 308. n. 3.
Malitia finis ab operis bonitate, non minuitur. p. 308. n. 7.
Malum in genere volens cenſetur illud velle, ſiue graue ſit, ſiue leue. p. 22. n. 11.
Mandati reuocatio ſemper eſt ſufficiens. p. 109. n. 22.
Materia, & cauſa finalis ſunt de eſſentia cuiuſcumque actus. p. 166. num. 6.
Materia dubia, an eximat ab obligatione præcepti. pag. 111. num. 2.

Duplex dubium circa materiam dubiam. p.112. n.9.

de Materiæ honeſtate dubitans, non tenetur obedire. p.113. n.12. Nec obligatur Voto. p.118. n.6.

Materia ſolùm, certò licita, præcipi poteſt a Superiore. p.114. nu.16. Subditus ad eam ſolam obligare ſe voluit. p.115. n.17.

Materiæ honeſtas dubia, trahit dubium de ipſo Voto. p.119. num.9. Voluntàs ſe obligandi etiam in materià dubià eſt imprudens. ibi num.10.

Materia ſolùm certò grata Deo, eſt materia Voti. p.120. n.13. Iudicium probabile de inhoneſtate materiæ ſufficit ad tollendam obligationem. Voti. ibi n.14.

Materia de ſe leuis, quomodo fieri poſſit grauis. p.320. n.24.

Materiæ grauitas, & leuitas, vnde deſumatur. p. 322. n.7. Eadem materia, reſpectu diuerſorum, poteſt eſſe grauis, & leuis. p. 323. num.8.

Materia, quænam cenſenda ſit, graue damnum afferre. p.325. n.17.

Materiæ paruitas non rectè deſumitur per comparationem ad totam rem præceptam. p. 325. n.18. deſumitur ex fine præcepti. pag.326. num.19.

Materiæ grauitas, Prudentis arbitrio penſanda eſt. p.326. n.22.

Materiæ paruitas, in aliquibus præceptis datur, in alijs non. p.329. num.7.

Materia Simoniæ, non admittit paruitatem. p.329. n.4.

Materiæ leuitas, ex quo argui poſſit. p.333. n.19.

Materiæ paruitatem, quæ non admittant. p.333. n.20. & ſeq. Quæ admittant. p.337. n.30.

Materiæ plurium præceptorum, in vnam coaleſcere non poſſunt. pag. 356. n.8.

Materia Voti aliquando coincidit cum eius causà finali. p.213. n. 5. Error circa Voti materiam, aliquando leuis, aliquando notabilis. p.214. n.6.

de Materià Voti dubitans, an ſit indifferens, tenetur Votum ſeruare. p.106. n.13.

Matrimonium eſt contractus oneroſus. p. 199. n. 10. In contractibus oneroſis, error circa cauſam motiuam, non tollit eorum voluntatem abſolutam. ibi. n.11.

Matrimonij materia, regulariter non conſtituitur per qualitatem perſonæ. p.208. n.15.

Matrimonium contrahens cum Conſanguineà, vel affine in gradu prohibito, ſi per errorem putabat non eſſe talem, non incurrit excommunicationem. p.16. n.27.

Matrimonium dolo non irritatur. p.226. n.21.

Matrimonium ex errore circa materiam eſt inualidum, & cur. pag. 240. n.11.

Matrimonium in dubio cenſendum eſt validum. p.103. n.14.

in Matrimonio, qualitas perſonæ, cum quà contrahitur, eſt circunſtantia accidentales. p.167. n.11.

Matrimonium metu extortum, irritum eſt. p.271. num.7. metu leui contractum, eſt validum. p.289. n.5. & p.291. n. 13. metu iniuſto extortum, iure poſitiuo irritum eſt.

eſt. pag.280. n.6. coactum, an ſit validum. p.283. n.2. Quid ad eius libertatem requiratur. pag. 284. num.8. & 11.

Matrimonium, celebratum ad mortem vitandam, eſt validum. p.268. n.7. Eſt liberè aſſumptum, vt medium ad mortem vitandam. p.268. n.8.

Matrimonium, ex metu, cum Concubinà contractum, eſt validum. p.269. n. 15. & cum Filià Medici. ibi num. 17.

de Matrimonij valore dubitans, an poſſit petere debitum. p.89. n.28.

de Matrimonij impedimento dubitans non tenetur petere diſpenſationem. p.96. n.9.

Mendacium, etiam antecedenter ad Dei legem, eſt peccatum. pag. 300. n.14. Eſt prohibitum, quia malum. p.300. n.13.

Mentiens cum inaduertentia ad Dei legem, Deũ grauiter offendit. p.299. num.10.

Metus quid ſit. p.242. n.2.

Metus probabilis, & improbabilis quid. p.243. n.9.

Metus antecedens, & concomitans, quid. ibid. n.10.

Metus, licet à culpà non excuſet, contractus reſcindit. p.246. n.19.

Metus etiam iuſtè incuſſus, ac legis obligatione excuſat. p. 247. n. 23.

Metus excuſare non videtur, quando res præcepta, eſt intrinſecè mala. pag.248. n 2.

Metus, in ijs, quæ iuri naturali, ac Diuino aduerſantur, non excuſat à pœnà. p.249. n.4.

Metus, non excuſat à pœnà inceſtus. p.249. n.6.

Metus ſemper excuſat à culpà. pag. 250. n.7.

Metus tollit obligationem humanam, ſicut ignorantia. pag. 251. num.11.

Metus excuſat à pœnà Iuris humani. p.251. n.12. Non tamen ſemper. ibi n.13.

Metus excuſat à Cenſuris. p. 252. n.15 & ab irregularitate. ibidem n.17 Quando non excuſat. p.256. n.12. Excuſat à ſuſcipiendo baptiſmo. p.257. n.16

Metus, an reddat matrimonium nullum. p.266. nu.2. Cauſat inuoluntarium ſecundum quid. p.267. num.5.

Metus, alius oritur ab intrinſeco, alio ab extrinſeco. p.267. n.6.

Metus, ad actum extorquendum, iuſtè incuſſus Profeſſionem non irritat. p.271. n.8.

Metus inducens ad emendum, emptionis valorem non tollit. p.167. num.13.

Metus iuſtus, ab alio propriè non incutitur. p.271. num.9. Aegroto non incutitur à Medico. pag.272. n. 10. Oritur à proprio delicto. n.11. Abſolutè non obligat. n. 12. ſolùm conditionatè. n 14 Non tollit voluntarium ſaltem in cauſà. p.273. nu. 20. Non eſt cadens in conſtantem virum. ibi n.21.

Metus, promiſſionem Latroni factam reddit irritam. p.275. n.5. & Votum. n. 6. Venditionem, iure naturæ, non irritat. p.276. n.7. Non tollit conſenſum ſufficienter voluntarium. nu.8. Sacramentorum valorem non impedit. p.277. n.12. cur irritet Votum. p.278. n.16.

Metus leuis iniuſtus contractum nõ irritat. p.276. n.10. leuis, in iure, pro nihilo reputatur. p.289. nu.3. iniuriam includit. p.290. n.9.

Metus materialiter iniuſtus ſufficit ad matrimonium irritandum. p.286. n.9.

Metus reuerentialis, æquiualet precibus importunis. p.296. n.13.

Miles ſpeculatiuè dubitans de ſui Principis iuſtitia in bello quomodo poſſit illum licitè ſequi vacantem ad bellum. p.64. n.3.

Minæ iniuſtæ, matrimonium irritant. p.273. n.17.

Minus malum ex duobus, an ſemper eligendum ſit. p.88. n.22.

Mores, ac doctrina concurrunt ad conſtituendum digniorem. p.184. n.10. ideoque ſunt ſimul cauſa impulſiua, ac finalis. p.185. n.11. Sicut infirmitas conſtituit pauperem magis indigentem. ibi n.12. & ſicut in matrimonio, qualitas pertinet ad perſonam. ibi n.13.

Motiua probabilia ex imperio voluntatis contemni poſſunt. pag.42. nu.41. tunc enim intellectus eſt perfectè ſubordinatus voluntati. ibi n.42. Nec voluntas tunc ſe exponit periculo peccandi. pag.43. num.44.

Motiuum operantis eſt diſtinctum à motiuo operis in contractu oneroſo, ſecus in gratuito pag. 171. num.7. & 8.

Motiuum operandi in gratuitis eſt cauſa finalis intrinſeca operationis. p.172. n.10. Vide error circa motiuum.

Motus primo primi, & ſecundo primi; quid. p.313. n.8.

Multiplicitas præceptorum, non rectè arguit multiplicitatem peccatorum. p.367. n.6.

Myſteria Fidei ſcire tenemur, ex præcepto obligante ad ea credenda. p.143. n.7.

Myſteriorum Fidei ignorantia vnico tantùm præcepto opponitur. p.144. n.9.

Myſterium vnum, cum alio continuari moraliter non poteſt. p.146. num.20.

N

NEgans articulum aliquem ex ignorantiâ vincibili, peccat ſolùm contra fidem. p.144. n.11. Contra eandem etiam peccat, qui ex eâdem ignorantiâ, negandi periculo ſe exponit.

Negligentia leuis in repellendis tentationibus, eſt ſolùm venialis. p.314. n.14.

Notitia ignorantiæ, cur neceſſaria. p.126. n. 2.

Numerus vulnerum, quibus alius occiſus eſt, non eſt in Confeſſione explicandus. p.382. n.13.

O

OBedire non tenetur dubitans de materiæ honeſtate. p.113. n.12 Quomodocumque dubitet. ibi n.13

Obedire tenetur Subditus ſolùm ratione Voti. p.113. n.11.

Obiecta ſingula propriam deformitatem refundunt in actum internum. p.389. n.12.

Obligatio dubia præcepti non obligat. p.71. n.14.

Obli-

Obligatio non ligat, niſi conſcientiæ ſit nota. p.85. n.13.
Obligatio dubia non ligat in foro externo. p.86. n.17.
Oligatio eſt effectus conſequens ad legem. p.318. n.9. pendet totaliter à voluntate Legiſlatoris. pag. 318. num.12.
Obligatio leuis in materia graui, aliquando eſt conueniens. pag. 319. num.14.
Obligatio promiſſionis conditionatæ incipit cum ponitur conditio. p.163 num 19.
Obligatio Regulæ, & Voti, non eſt duplex ſed vna. p.367. n.4. Verè tamen eſt duplex. p.368. n.9. Quomodo poſſit eſſe vna. p.369. n.12.
Obligatio ſciendi præcepta Decalogi oritur ex duplici præcepto credendi, & ſeruandi. p.139. n.22.
Obligatio ſciendi myſteria fidei oritur ex præcepto obligante ad ea credenda. p.143. n.7.
Obligatio ſciendi Euangelium, non dabatur ante ipſius Euangelij promulgationem. p.144. n.8.
Obligationem impediens, ſi illi ſuperueniat, eam tollit. p.220. n.15.
Obligatio obligat ad minimum quod poteſt. p.113. n.10.
Occaſio proxima mortalis, eſt peccatum mortale. p.339 n.7.
Occaſio proxima quotuplex. pag.339. num.8.
Occaſio peccati, non eſt peccatum. p.341. n.16.
Occaſioni peccandi ſe exponere, quando liceat. p.341. n.18. & quando eam non vitare. p. 341. num.20. & 21.
Occidens Sacerdotem, quot peccata committat. pag.370. num.17.
Occiſio eſt eſſentialiter cooperatio formulis ad malum. p.264. n.20.
Odij. peccatum, ſit ne vnum, an multiplex. p.371. n.18.
Oeconomi Officium vendens, peccat ſolùm contra Religionem. p. 333. num.18.
Offenſa Dei, eſt actio contra Dei legem, vel formaliter, vel conſequenter. p.300. n.15.
Officium recitare tenetur dubitans de ſui beneficij tenuitate. p.93. n.15.
Omiſſio Officij ex proiectione breuiarij, eſt peccatum in confeſſione explicandum. p.304. n.6. & 7.
Omiſſio Officij ex proiectione Breuiarij eſt volita ſaltem in cauſà pag. 305. nu. 8. Quamuis non ſit in noſtra poteſtate, n. 9. Non eſt nouum peccatum diſtinctum à Breuiarij proiectione. ibi n.11.
Opera facta, quando in noſtra poteſtate non ſunt, an ſint peccatum. p.304. n.4.
Opus aliquod, vt ſit peccatum, ſatis eſt, quod ſit volitum in cauſà. p.305. n.10.
Opera ad lucrandas Indulgentias iniuncta, materiæ paruitatem admittunt. p.336. n.28.
Operans cum ignorantià inuincibili regulariter peccat. p.148. n.3. Ipſa tamen operatio aliquibus videtur valida, & cur. p.149. n.4. Aliquibus verò inualida, & cur. ibi num.8.
Operans cum dubio ante debitam diligentiam, iuſtè punitur. pag. 87. num.18.
ad Operandum validè requiritur voluntas directa. p.155. n.24.

Ope-

Operari cum dubio practico eſt intrinſecè malum. p.59. nu.10. Eſt contra præceptum, quod prohibet operationem. ibi n.11.

Operans cum dubio practico ſaltem indeterminatè vult malum. p.59. n.12. Neceſſariò malè operatur. p.60. n.13.

Operari cum dubio ſpeculatiuo, poteſt non eſſe malum. p.60. n.14. Quando non eſt malum. ibi n.15.

Operans cum dubio committit peccatum illius ſpeciei, de quà dubitat. p.61. n.19.

Operari cum dubio ſpeculatiuo, quando non datur ratio illud practicè deponendi, eſt intrinſecè malum. p.65. num.8. Idem eſt, ac operari cum dubio practico. ibi n.9. Vnum infertur ex alio. ibi n.10.

Operatio quot modis poteſt eſſe intrinſecè mala. p.260. n.9.

Operatio aliqua, ratione metus excuſatur à peccato. p.264. n.21.

ad Operationis *ſubſtantiam pertinet non ſolùm finis, ſed etiam materiat. p.204. n.2.*

Operis bonitas, non minuit malitiam finis. p.308. n.7.

Opinatiuus aſſenſus eſt voluntarius. p.33. n.16.

ex Opinione *probabili, quomodò prudenter operetur voluntas. pag.34. num.17.*

ex Opinione *verè probabili, operatio eſt prudens ex duplici capite. p.34. num.18.*

Opinio probabilis non eſt regula immediata operandi. p.35. n.19.

Opinio remanet probabilis etiam præſentibus motiuis oppoſitis p.36. num.21.

Opinio vna, quomodo ſit alia probabilior. p.36. n.22.

cum Opinione *probabili retinens Clericus plura beneficia non peccat. p.37. n.23.*

Opinio probabilis eſt rationabilis, & prudens. p.37. n.25. Cauſat iudicium euidens de honeſtate ſe illi conformandi. p. 37. n. 26. Voluntas illi ſe conformans prudenter operatur. ibi n.27. & certò ſcit ſe prudenter operari. p.38. n.28. Eſt etiam certa, quod intellectus proponit operationem, vt licitam. ibi num.29.

Opinionis probabilis vſus ſi eſſet illicitus, ferè nunquam licitè operaremur. p.38. n.30.

Opinionem probabilem ſequi, actus eſt prudentiæ. p.39. n.31.

Opinio probabilis aliquando etiam obligat. p. 39. n. 32. Qui eam ſequitur, nulli ſe periculo exponit. p.40. n.33. Nec formido partis oppoſitæ obſtat. ibi n.34.

Opinioni probabili ſe conformans, voluntas cur peccare non poſſit. p.41. num.35.

Opinionis probabilis vſus, non relaxat conſcientias. p.44. n.48. Cum opinione probabili datur iudicium certum de honeſtate operandi. pag. 44. n.49. Ex vi iſtius iudicij operamur. p.45. n.50.

Opinio eo ipſo, quod eſt verè probabilis eſt tuta. p. 45. n.51. Nulla dari poteſt minus tuta. ibi n.52. eſt æquè prudens, & tuta, ſiue faueat præcepto, ſiue libertati. p.46. n.53. Quæ non eſt certò probabilis, non eſt tuta. ibi num.54. Illa ſola eſt tuta, de quà dubitari

non poteſt, quin ſit probabilis. ibi n.55.
Opiniones practicè improbabiles quænam ſint. p.48. n.57.
Opinio eſt ſimilis Fidei ſaltem humanæ. p.48. n.58. quæ formido honeſtatem operationis impediat. ibi num.59.
Opinionis probabilis doctrina eſt communis. p.49. n.61. Eius electio eſt licita in quacumque materia. p.50. n.63. Etiamſi rationum oppoſitarum ignoretur ſolutio. ibi n.64.
Opinionem probabilem ſui Superioris ſubditus ſequi poteſt. p.51. n. 66.
Opinio alterius poteſt alteri eſſe regula operandi. p.50. n.65.
Opinio probabilis poteſt eſſe regula in materià iuriſdictionis. p.51. n.67. & in materià conſilij. ibi num.68. etiam in materia litis. ibi n.69.
Opinio ſpeculatiua etiam eſt licita, cum nihil obſtat. p.52. n.70.
Opinio poteſt euadere improbabilis, & è contra. p.53. n.72.
Ordines ſuſcipere non licet in dubio ætatis. p.98. n.17.

P

Parochus an Officium deſerere teneatur ad vitandam occaſionem peccandi. p.341. n.21.
Pars minus tuta, redditur omnino tuta, ſi adſit iuſta cauſa. pag.97. num.12.
Pars qualibet dubia, poſt adhibitam diligentiam, eſt æquè tutà. p.73. num.26.
Pars tutior, neceſſariò eligenda eſt in dubio practico. p.62. n.20.
Paruitas rei temporalis, cur excuſatur à Simonià. p.332. num.16.
Pater, an adire poſſit Concubinam ad Filios alendos. p.341. n.19.
Pater poteſt reſcindere contractum factum à Filio in dubio minoritatis. p.122. n.9. idem dic de Voto. ibid. Poteſtas irritandi in Patre poſſidet in dicto dubio. ibi n.10.
Pater poteſt irritare Votum Filij, cum datur iudicium probabile de ipſius impubertate. pag. 124. num. 19.
Peccatum, quid ſit. p.297. n.2.
Peccati eſſentia, in quo conſiſtat. p.297. n 3. eſt legis præuaricatio, ac tranſgreſſio. p.298. n.5. & 6.
Peccatum mortale, & veniale, quid. p.299. n.9.
Peccatum eſt tranſgreſſio legis naturalis cognitæ. pag 299. n.11. & virtualis contemptus Dei. p. 300. num.12.
Peccatum, conſtituitur per oppoſitionem cum aliquà lege. pag. 301. num.16.
Peccatum, eſt inobedientia Deo facta, vel directè, vel indirectè. p.301. n.17.
Peccatum, quomodo ſit contra Dei legem. p.301. n.19.
Peccatum veniale, eſt legis præuaricatio. p.301. n.20.
Peccatum, reddit actum inordinabilem ad vltimum finem. pag.302. num.21.
Peccatum veniale, cur dicatur eſſe præter legem. p. 302. n.22. In quo differat à mortali ibi n.23.
Peccatum mortale, cur dicatur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. p.302. n.24.
Peccati effectus, an ſit peccatū. p.305. n.2.

Pec-

Peccata; alia merè interna, alia etiam externa. p.374. n.8.

Peccata interna, quam diuerſitatem habeant. p.380. n.6.

Peccata, per quid inter ſe differant. p.367. n.7.

Peccata plura numero committi poſſunt contra idem præceptum. p.146. num.19.

Peccata tot ſunt, quot actus externi conſumati. p.376. n.17.

Peccata venialia conſtituunt ſolùm in periculo remoto mortalis p.365 num.13.

Peccata venialia diſponunt ad mortale. p.363. n.4.

Peccata venialia, quænam ſint vnibilia. p.350. n.6. & p.351. n.8.

Peccata venialia non conſtituunt mortale per hoc, quod vniantur in motiuo. p.357. n.11.

Peccata venialia, ratione multitudinis, ſpeciem non mutant. p. 351. n.10. nec eorum malitia augetur. n.11. nec redduntur incompoſſibilia cum gratia. n.12.

Peccata mortalia, ratione multitudinis, non conſtituunt vnum mortale maius. p.351. n.13.

Peccata venialia; quænam, ex multiplicatione fiant mortale. p.352. n.14. Sola eorum frequentia, non eſt legis contemptus. ibi n.15.

Peccans contra conſcientiam, & præceptum ab eà propoſitum, vnum tantum peccatum committit. p.23. num.15.

Peccati grauitas mediatè pendet è Superioris voluntate. pag. 319. num.16.

Peccatum ex ſe mortale, ex Superioris voluntate fieri poteſt veniale, & è contra. p.320. n.23.

Peccati malitia, an ex fine bono minuatur. p.308. n.3.

Peccatum non ſemper eſt minus graue, quo intentio eſt melior. p.310. num.16.

Peccatum, quid requirat, vt ſit mortale. p. 312. n.2. plenam deliberationem requirit. p.314. n. 10. debet eſſe plenè voluntarium. ibi num.13.

Peccatum mortale, requirit aduertentiam ad malitiam actus. p.315 n.19. ſufficit aduertentia ad malitiam in genere. ibi n.20.

Peccatum, quod ſit mortale, vel veniale, pendet ex rebus. pag. 317. num.4.

Peccatorum diuerſitas, colligitur ex diuerſitate virtutum, & non è contra. p.368. n.8.

Peccatorum diuerſitas numerica, ſumitur ex diuerſitate obiectorum, vel actionum externarum. p.375. num.12.

Peccatum ex ignorantia, an ſit grauius, quàm ſcienter commiſſum. p.139. n.18.

Peccatum dubium non tenemur confiteri. p.98. n.15.

Peccatum non reſtituendi, eſt vnum non plura. p.377. n.18.

Peccatum internum, & externum, non rectè infertur, quod ſint diuerſa peccata ex eo, quod diuerſimodè manifeſtantur. pag. 140. num.14.

ad Peccatum ſufficit voluntas indirecta. p.155. n.24.

Peccatum veniale, ſi fiat occaſio proxima mortalis, fit mortale. p.339. num.7.

Pec-

Peccatum veniale, an ratione frequentiæ, fieri poſſit mortale. p.349. n.2.
Peccandi conſuetudo includit contemptum. p.349. n.4.
Peccatum odij, ſit ne vnum, an multiplex. p.371. n.18.
Peccatum idem, pluribus legibus poteſt eſſe prohibitum. p.371. n. 20.
Peccata cordis, per quid ſpecie differant. p.371. n.21.
Peccata oris, per quid differant ſpecie. p.371. n.22.
Peccata operis per quid ſpecie differat. p.371. n.23.
Peccatorum diuerſitas ſpecifica, vnde cognoſcatur. p.372. n.24.
Pecunia, metu, vt pretium extorta retineri poteſt. p. 273. n. 15. & p.291. n.15.
Pecunias apud Vſurarium deponere an ſit peccatum ſcandali. p. 343. n.2. ex iuſta cauſa, non eſt peccatum. p.345. n.9. Iuſta cauſa dat ius deponendi, ibi n.10.
Pecuniæ depoſitio apud Vſurarium, ex ſe, eſt res indifferens. pag.345. n.11. nec eſt cooperatio ad vſuras ibi n.12. eſt ſolùm permiſſio vſuræ. p.346. n.14. non eſt ad vſuras inductiua; ibi n.16.
Peierans ratione conſcientiæ erroneæ inuincibiliter erroneæ non peccat. p.6. à n.15. & deinceps.
Percuſſio Petri, & Pauli ſunt numero diuerſæ. p.375. n.11.
Periculo peccandi ſe aliquando, quis exponere tenetur. p.341. num.17. quando liceat. ibi n.18.
Periculo peccandi ſe exponere, eſt peccatum. p.338. n.4. etiamſi fiat ad vitandas minas, ibi n.5.
Periculo peccandi, ex iuſtà cauſa, ſe exponere non eſt peccatum. p.339. n.10. tunc non amatur. pag.340. nu.11. nec eſt voluntarium. ibi num.12.
Periculum peccandi Coniugatis permittitur. p.340. n.13.
Periculo peccandi, temere ſe exponere eſt intrinſecè malum. pag.340. n. 14. eſt contemptus interpretatiuus ſalutis. p.341. n.15.
Periculum peccati, non eſt peccatum. p.341. n.16.
Periculum vitæ, tollit legis obligationem. p.245. n.17.
Perſeuerantia moralis voluntatis, per quid habeatur. p.381. n.8.
Perſona venditoris, eſt circunſtantia accidentalis emptioni. pag.167. num. 10. Sicut qualitas perſonæ, cum quà contrahitur matrimonium. ibi n.11.
Perſona donatarij, pertinet ad cauſam finalem donationis. pag. 168. num.16.
Perſonarum acceptio, quoad beneficia, materiæ paruitatem admittit. p.336. n.29.
Petitio mutui ab Vſurario, ex iuſtà causà, licet. p.263. n.15.
Plura fornicandi propoſita, ſunt vnum numero peccatum. p. 381. num.9. Omnia ſunt moralis continuatio primi. ibi, n.10.
Plura fornicandi propoſita, videntur plura peccata. p.380. n.3.
Plura periuria ordinantur ad confirmandam eandem falſitatem. p.376. nu.15. plures confeſſiones ad nihil aliud ordinantur. p.376. num.14.
Plura venialia committens, per ſe lo-

loquendo, venialiter ſolùm peccat. p.351. n.9.

Pluralitas actuum internorum, nec à Confitentibus explicatur, nec à Confeſſariijs inquiritur. p. 383. num.12.

Plures actus inefficaces, cur vniri non poſſint. p.383. n.16.

Pluralitas actuum internorum confitenda non eſt, quando non ſequitur actus externus. p.385. n.19.

Plures malitiæ, ſpecie diuerſæ, eidem actui ineſſe poſſunt. p.387. n.2.

Plures actus phyſici, vnam numero malitiam continere poſſunt. p.392. num 23.

Plures Confeſſiones ſucceſſiuè auditæ videntur vnum actum moraliter integrare. p.373. n.4. Sunt plura peccata. p.375. nu. 9. ſunt plures actiones completæ, & inter ſe non vnibiles. ibi n.10.

Plures modicæ pecuniæ, quomodo vniri poſſint. p.357. n.13.

Plura Vota, eadem die, obligant, ſicut plura præcepta. p.358. n.15.

Plures promiſſiones de materià leui obligant grauiter. p.356. n.5.

Plura præcepta leuiter violans, venialiter ſolùm peccat. p.356. n. 7.

Plurium præceptorum materiæ in vnam coaleſcere non poſſunt. pag. 356. n.8.

Plurium Confeſſiones audire in ſtatu peccati mortalis, videtur vnum numero peccatum. p.373. n 3.

Pluries eodem ieiunij die comedens, tandem mortaliter peccat. p.352. n.17. & pluries eodem die feſto laborans. p.353. n.18.

Pluribus modicum panis diſtribuens die ieiunij, non peccat. p.353. n.19

Pluribus diebus Salutationem Angelicam, Deo promiſſam, omittens, an mortaliter peccet. p.353. n.20.

Plura præcepta leuiter violans, an peccet mortaliter. p.355. n. 2.

Pœnitentia in materià graui obligare non poteſt ſolùm ſub veniali. p.318. n.10.

Poſſeſſio antiquior præualet recentiori, ſi ſimul concurrant. p. 123. num.13.

Poſſeſſio non ſtat pro obligatione, quando eius inceptio eſt incerta. p.72. n.17.

Poſſeſſio pro quà parte ſtet, quomodo poſſit cognoſci. p.91. n.6.

Poſſeſſionis titulus, an ſit ratio ſufficiens dubium deponendi. pag. 75. num.2.

Poſſeſſio generat præſumptionem dominij. p.76. n.8.

Poſſeſſio legitima, eſt ſufficiens titulus conſcientiam dubiam deponendi. p.77. n.11.

Poſſidentis conditio in dubijs, quare præferenda. p.77. n.12.

Poſſeſſio in dubio ſufficit ad formandum iudicium certum de licito rei vſu. p.78. n.13.

Poſſeſſor, cur præferendus Domino rei dubio. p.78. n.14.

Poſſeſſio incboata cum dubio impedit bonam fidem. p.78. n.16.

Poſſeſſionis, bona fide, incboatæ continuatio non euadit malæ fidei per dubium ſuperueniens. p.78. n.16.

Poſſeſſor, rem in dubio retinendo, nulli ſe periculo exponit. pag. 78. num.17.

Poſſeſſio, vtramlibet partem reddit omnino tutam. p.79. n.18. & 19.

Poſſeſſor, debitam diligentiam omittens

tens ad dubium vincendum, tenetur ad reſtitutionem. pag. 80. n.21. ante adhibitam diligentiam, re poſſeſſà, vti non poteſt. ibi n.22. poſt illam, vti poteſt; ſi tamen vendat, Emptorem monere tenetur. ibi n.23.

Poſſeſſionem inchoanti cum dubio, non fauet poſſeſſio. p.80. n.24.

Poſſidentis conditio melior eſt in quacumque materia. p.84. n.10.

Poſſeſſor in omni materià, præter ius dubium, habet certam poſſeſſionem. p.86. n.15.

Poſſeſſionis titulus, omnibus virtutibus eſt communis. p.86. n.16.

Poteſtas irritandi, ſe extendit etiam ad tempus antecedens. pag. 125. num.20.

Poteſtas Superioris, extendit ſe ſolùm ad materiam certò licitam. p.114. n.16. Subditus ad eam ſolam obligare ſe voluit. pag. 115. num.17.

Poteſtas Superioris non ſe extendit ad dubia. p.115. n.18.

Præcepta Decalogi ſcire tenemur ex duplici præcepto, credendi, & ſeruandi. p.139. n.22.

Præcepta diuerſæ rationis, nihil habent commune, in quo continuari poſſint. p.357. n.14.

quæ Præcepta naturalia obligent cum eodem periculo. p.257. n.18.

Præceptorum Decalogi, & Articulorum Fidei ignorantia, in quo differant. p.145. n.13.

Præceptum conſtituit rem preceptã in materià alicuius virtutis. pag. 317. n.5.

Præceptum humanum, quas actiones probibeat. p.244. nu.11. Eccleſiaſticum, non obligat cum graui incommodo. p.345. n.15.

Præceptum obligans ad ſui obſeruantiam, obligat etiam ad ſui cognitionem. p.137. n.11.

Præceptum quodlibet, proprium reſpicit finem. p.356. n.9.

Præceptum ſeptimum, & decimum Decalogi, quomodo differant. pag. 370. n.14.

Præceptorum multiplicitas, quomodo arguat multiplicitatem peccatorũ. p.370. n.15.

Præceptum Superioris regulariter obligat ad conſcientiam erroneam deponendam. p.26. n.11.

Præceptum Superioris nõ poteſt reddere licitam rem, alioqui illicitam p.114. n. 14. Præceptum Diuinum præualet. ibi. n.15.

Præceptum de Confeſſionis integritate, an obliget cum quocumque periculo. p.254. nu.4. obligare videtur, ſicut lex naturalis. ibi n.5. & ſicut ſigillum Confeſſionis. ibi n. 6. verè tamen non obligat. ibi num.7.

Præceptum Diuinum de re non intrinſecè mala, regulariter non obligat cum graui incommodo. p.255. n. 8. nec aliqua præcepta naturalia. ibi n. 10. poſitiuum, obligat ſicut humanum. pag. 256. n.13. de Confeſſionis integritate obligat ſicut præceptum de reſtitutione. p. 257. n.14. Præceptum ſigilli, ordinatur ad bonum Sacramenti. ibi n.15.

Præceptum in dubio non obligat. p.98. n.16.

Præceptum in dubio obligat, cum pro ipſo ſtat poſſeſſio. p.87. n. 20.

De præcepto dubitans, poſt debitam diligentiam non obligatur. p.88. n.24.

Præceptum in dubio facti non eſt in poſſeſſione obligandi. p.71. n.13.

Præceptum in dubio obligationis, non obligat. p.71. n.14.

Præceptum Superioris non ſemper præſumitur iuſtum. p.115. n. 21. Præſumitur quando oritur ex poteſtate legislatiua. ibi n. 22. Nullum hinc ſequitur inconueniens; ibi n.23.

Precibus importunis extorta, retineri non poſſunt. p.294. n.5.

Preces importunæ, æquiparantur coactioni. p.294. n.6. Et in iure etiam metui. ibi n. 7. Nec plenam libertatem relinquunt. ibi n.8. Qui propter illas aliquid facit, cum repugnantiâ facit. p.295. n.9.

Preces per quid fiant importunæ. p.295. n.10.

Preces Pauperum, cur non dicantur importunæ. p.295. n.11.

Precibus importunis legatum impediens tenetur ad reſtitutionem. p.296. n. 14. Et licentia à Superioribus ſic extorta, non tenet. ibi num. 15.

Prælati poteſtas, in dubio, an ſit legitima, obligat ſubditum ad obediendum. p.109. n.24.

Presbyteratus ordinem ſuſcipere non licet ante annum 24. completum. p.98. n.17. Neque in dubio an compleuerit. ibid.

Præſumptio eſt quædam veriſimilitudo, ac probabilis coniectura. p.91. n.6.

Præſumptio, ſemper eſt pro eâ parte, cui non incumbit onus probandi. p.61. n.6.

Præſumptio facti, quod de iure faciendum erat, ſemper ſtat pro ipſo facto. p.100. n.22.

Præſumptio in re dubiâ, facit vnam partem haberi pro certa, donec pars oppoſita aliunde probetur. p.91. n.6.

ad Præſumptionem requiritur notitia tam iuris, quam facti. p.16. n. 26. Requiritur etiam directa, ac formalis voluntas tranſgrediendi. ibidem.

Pretium pertinet ad ſubſtantiam venditionis, non quantitas pretij. p.211. n. 11. Idem valet in donatione. ibi n.12. Id quod in illis fuit inuoluntarium, eſt reſtituendum. p.212. n.13.

Primus actus incompoſſibilis, cum auditione Sacri, integrè illam impedit. p.361. n.15.

Principium vniuerſaliſſimum pro dubio circunſtantiæ facti. p.101. n.4

Principium quoddam vniuerſaliſſimum pro dubio facti. p.95. nu.7. idem principium magis probatur. ibi n.8.

Priuilegium Regularium abſoluendi à reſeruatis per Decretum. Clem. VIII. neque extra Italiam ſuffragatur quoad caſus, quos Epiſcopi ſibi reſeruant. p.18. n.33.

Priuilegiati Romæ, & extra Italiam poſſunt abſoluere à Caſibus reſeruatis per Decretum Clem. VIII. p.17. n.32. Poſſunt etiam vbique à Caſibus Epiſcopo reſeruatis à iure, & à Papalibus occultis. ibid. A Caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſeruant, nullibi poſſunt, ſi ſint Regulares. p.18. n.33. Si ex errore abſoluant etiam in Italia, non in-

currunt pœnas, & cenſuras in eo Decreto contentas. p.17. n.31.
Probabile, quid ſit, & quid ad hoc requiratur. p.33. n.15.
Probabilitas non idem ſignificat, cum dicitur de opinione, ac de alijs rebus. p.47. n.56.
Probabilis opinio poteſt euadere improbabilis, & è contra. p.53. n.72.
Probabilitas logica, quid ſit, quid probabilitas moralis. p.53. n.73.
Profeſſio ex errore circa cauſam finalem, videtur inualidari. p.197. n.2. Talis enim error, videtur eſſe circa ſubſtantialia Profeſſionis. p.198. n.3. Sicut ſi eſſet circa materiam Profeſſionis. ibi n.5. & ſicut eſt in Voto ſimplici ibi n.6. Verè tamen non inualidatur talis profeſſio. ibi n.7.
Profeſſio eſt contractus onerοſus. p.199. n. 9. Sicut eſt Matrimonium. ibi nu.10. In contractibus onerοſis, error circa cauſam motiuam non tollit eorum voluntatem. ibi n.11. Hæc voluntas datur in Profeſſione, ſicut in matrimonio ibi n.12.
Profeſſio debet eſſe libera, ſicut etiã Votum ſimplex. p.200. n.14. Error circa cauſam motiuam Profeſſionis, non eſt circa ſubſtantialia. ibi n.15.
Profeſsionis emiſsio eſt abſoluta. p.200. n.17.
Profeſsio in dubio ætatis non valet. p.100. n.21.
Profeſsio Religioſa dolo non irritatur. p.226. n.22.
Profeſsio Religioſa, quam libertatem requirat. p.284. n.11. metu iniuſta extorta, eſt irrita. p.280. n.6.
ſicut promiſsio rerũ Eccleſiæ. n.6.
Proiectio Breuiarij, eſt virtualis omiſſio Officij. p.306. n.12.
Proiectio Breuiarij, eſt cauſa omiſſionis Officij. p.361. n.16.
Promiſſio ex errore circa motiuum, promittendi, non obligat. p.172. n.11
Promiſſio obligat, cum includit animum ſe obligandi. p.174. nu.18. Promiſſio conditionata hunc animum non includit. ibi n.19.
Promiſſio, ex quocumque fine facta, ſemper obligat. p.242. n.6.
Promiſſio facta in ebrietate aliquando obligat. p.160. n.10.
Promiſſio conditionalis, poſita conditione obligat. p. 161. n. 11. Quid ſufficiat ad hoc, vt promiſſio ſit valida. p.162. n.18.
Promiſſionis conditionatæ obligatio incipit, cum ponitur conditio. p.163. n.19.
Promiſſio conditionata in quo adæquatè conſiſtat. p.163. n.20. Quid requiratur, vt obliget. ibi n.21.
Promiſsio, per poſitionem conditionis ex conditionali fit abſoluta. p.162. num.13.
Promiſsio includens conditionem in ebrietate ponendam, valida eſt. p.161. n.15.
Promiſsio, an obliget mutatis circunſtantijs. p.191. n.3. Ex ſe nullum habet finem intrinſecum, quẽ reſpiciat. p.192. n.6. Iuxta varios promittendi modos obligat, vel nõ obligat. ibi n.7. & deinceps.
Promiſsio in gratiam illius, qui aliquem in carcere coniecit, vel in ea detinet, eſt irrita. p.280. n.6.
Promiſsio, metu reuerentiali facta, non obligat. p.292. n.17.

Propoſitum committendi omnia venialia non eſt occaſio proxima peccati mortalis. p.364. n.8. neque eſt virtualiter propoſitum periculi proximi. ibi n.9.
Propoſitum committendi omnia venialia, videtur eſſe occaſio proxima mortalis. p.363. n.3.
Propoſitum committendi plura venialia, quando ſit mortale. p.350. num.7.
Propoſitum cenſetur moraliter perſeuerare, quandiu non retractatur. p.382. n.11.
Propoſitum venialia non vitandi ſtare poteſt cum propoſito vitandi mortalia. p.365. n.14.
Propoſitum committendi venialia, poteſt eſſe aliquando mortale. p.365. n.16.
Prouiſio beneficij, ad quem in dubio pertineat. p.91. n.7. Poſſeſſio ſtat pro reſeruatione Pontificis. p.92. n.8. Non pro Epiſcopi iuriſdictione. ibi n.9. Dubium eſt de eius inceptione. ibi n.10. Praſumptio iuris eſt pro reſeruatione. ibi n. 11. Conſtat de reſeruatione, non de eius ceſſatione. ibi n. 12. Inceptio iuriſdictionis Epiſcopi, cum ſit quid facti, non praſumitur. p.93. num.14.
Proximi malo cooperari, quot modis poſſit. p.261. n.10.
Prudentia, quo vtatur principio ad operationes voluntatis regulandas. p.5. n.13.
Prudentiæ dictamen, quo ſyllogiſmo concludatur. p.55. n.77.
Putans aliquid eſſe peccatũ in genere peccat contra praeceptnm dictans bonum eſſe ſequendum. p.22. n.12.
Putans aliquid eſſe virtuoſum, facit actum illius virtutis, quam putat. p.22. n.13.

Q

QValitas perſonæ, cum quà contrahitur, eſt circumſtantia accidentalis matrimonio. p.167. n.11.
Qualitas rei vendendæ conſtituit valorem, qui eſt venditionis materia. p.207. n.13. Quæ qualitas rei valorem, ac venditionis materiam conſtituat. ibi n.14.
Qualitas perſonæ regulariter non conſtituit materiam matrimonij. p.208. n.15. Non omnes rei qualitates pertinent ad venditionis materiam. ibi n.16.
Quantitas notabilis in furto, quæ. p.322. n.4.
Quinque modij tritici, an ſint quantitas notabilis. p.322. n.2.
Quinque tritici modios è Regno extrahere, non eſt mortale. p. 323. num.9. reputantur materia leuis. p.324. n. 12. Nec Reipublicæ infert damnum graue. ibi n.14.
Quomodo cognoſci poſſit, pro quà parte ſtet poſſeſſio. p.91. n.6.

R

REgula, ac Voti obligatio, non eſt duplex, ſed vna p.367. n.4. verè tamen eſt duplex. p.368. n.9.
Regula, ac Votum, quas obligationes inducant. p.369. n.13.
Regula ad ſpecificam peccatorum diuerſitatem cognoſcendam. p. 372. num 24.
Rei alienæ vſus, eſt peccatum diuerſum ab eius acceptione. p. 377. n.19

Religioſus in minima vſurpans, quando mortaliter peccet. p.354. n.21.

Remiſſio debiti, ex diſperatione illud recuperandi, facta, non tenet. p.292. n.18.

Renunciatio hæreditatis, metu reuerentiali facta, eſt reſcindenda. p.292. n.16.

Reſciſſio renunciationis, eſt tacita beneficij collatio. p.281. n.12.

Reſciſſio contractus eſt fauor ætatis. p.122. n.6.

Reſcindi poteſt à Patre contractus filij in dubio pubertatis. pag. 122. n.9. in eo dubio poſſidet in Patre poteſtas irritandi. ibi n.10.

Reſeruatio non incurritur ab eo, qui inuincibiliter ignorat talem reſeruationem decretam tali culpæ. p.131. n.25.

Reſeruationis beneficiorum tempus durat, donec conſtet de eius ceſſatione. p.92. n.8.

Reſeruatio in dubio non incurritur. p.98. n.15.

Res illicita, non redditur licita, per præceptum Superioris. pag. 114. num.14.

Reſignans beneficium ex metu, ante reſciſſionem reſignationis, fructus percipere non poteſt. p.282. n.14. Officium recitare non tenetur. ibi num.15.

Reſignatio beneficij metu extorta, an ſit valida. p.280. n.3.

Reſpublica, quam poteſtatem habeat in ordine ad contractus. pag.233. num.4.

Reſpublica ſupplere poteſt defectum conſenſus ad valorem requiſiti. p.334. n.9. Irritare poteſt contractus iure naturæ validos. pag.335. n.10. Cum ſupplet defectum conſenſus reddit contractum etiam iure naturæ validum. ibi num.11. Supplet hunc defectum ſolùm quando error eſt prudens. ibi n.12. Conualidat contractum ſaltem quoad effectus. ibi n.13. Conualidare ſolùm poteſt inualidum ex defectu conſenſus. p.236. nu.14. Conualidat etiam, quando error eſt ſolum concomitans. ibi nu.15. Hinc efficaciter probatur conualidare etiam geſta, quando datur error communis. ibi n.16.

Reſtituere tenetur poſſeſſor omittens debitam diligentiam ad vincendũ dubium. p.80. n.21.

Reuocatio conſilij, quando in foro externo cenſeatur ſufficiens. pag. 107. n.11. Aliquando non præſumitur ſufficiens. p.108. n.15. & p.109. n.22.

Reuocatio mandati ſemper eſt ſufficiens. p.109. n.22.

Reuocationis ſufficientia probatur ex coniecturis in oppoſitum. pag.109. num.23.

S

Sacerdos Beneficiarius, Officium omittens, quot peccata committat. p.370. n.16.

Sacerdotem occidens, quot peccata committat. p.370. n.17.

Sacramentorum confectio in materia dubia, an vnquam liceat. pag. 265. num.24.

Sacramentorum formæ, materiæ paruitatem non admittunt. p.334. num.23.

ad Sacramenta conficienda, cur re-

quiratur voluntas aliquo modo præſens. p.164. n.22.
ad Sacramenti valorem, cur requiratur intentio aliqua, tunc cum conficitur Sacramentum. p. 160. num.9.
Sacrificium craſtinum ſufficienter applicatur per hodiernam, imò per præteritam applicationem. p.161. num.12.
Sacriſtæ Officium vendens, peccat ſolùm contra Religionem. p. 333. num.18.
Scandalum, cur ſit peccatum. p.343. num.2.
Scandalum, an ſit, pecuniam apud Vſurarium deponere. p.343. n. 2. aut Meretrici domum locare. p.347. n. 21. quæ præſtare poſſit Famulus ſine ſcandalo. pag.346. n. 17. quæ Caupo. p.347. n.22.
Scientia eorum, quæ ad proprium munus ſpectant, eſt debita ſolùm propter opus. p.139. n.21.
Secreti reuelatio, an vnquam excuſetur à peccato. p.265. n.23.
Semiplena aduertentia in quo conſiſtat. p.313. n.7. & p.315. nu. 18. reddit peccatum veniale. pag.314. n.10. & p.315. n.17.
Semiplenæ aduertentiæ indicia. p.316 num.21.
Sepulturæ tradens hæreticum, vel eius receptatorem, aut fautorem non incurrit excommunicationem niſi illi per publicam ſententiam damnati ſint, vt tales, vel ſi per errorem non putauit eſſe tales p.16. num.28.
Sigillum Confeſſionis materiæ leuitatem non admittit. p.334. n.22.
Simonia non admittit materiæ paruitatem. pag.329. num.24.
Simonia, alia iuris Diuini, alia Eccleſiaſtici. p.350. n.9.
Simonia iuris Eccleſiaſtici, materiæ paruitatem admietit. p.331. n.11. Eſt mala, quia probibita. p. 332. n. 14. quæ quantitas ſit grauis. p.333. n.17.
Simonia iuris Diuini, cur materiæ paruitatem non admittat. p. 332. num.15.
Singula obiecta propriam deformitatem refundunt in actum voluntatis internum. p.389. n.12.
Singulæ deformitates, in confeſſione, ſunt explicandæ. p.390. n.13. Sunt plura numerò peccata. pag. 390. num.16.
Sortilegium, materiæ paruitatem non admittit. p 334. n.21.
Sponſalia, metu iniuſto extorta, iure poſitiuo ſunt irrita. pag.280. num.6.
Studioſitatis virtus, non ſemper ſpecialiter obligat. p.140. n.23.
Subditus in dubio, an Prælati poteſtas ſit legitima, tenetur obedire. p.109. num.24.
Subditus, ſolùm ratione Voti tenetur ad obedientiam. p. 113. n.11.
Subditus dubitans de materiæ boneſtate, non tenetur obedire. p. 113. n. 12. quomodocumque dubitet. ibi n.13.
Subditus ſequi poteſt opinionem probabilem ſui Superioris. p.51. n.66.
Suburbia Romæ veniunt nomine Romæ. p.18 n.34.
Superioris præceptum non poteſt reddere licitam rem alioqui illicitam. p.114. n.14.
Superioris poteſtas ad materiam ſo-

lùm certà licitam ſe extendit. pag. 114. n. 16. Subditus ad eam ſolam obligare ſe voluit. p. 115. n. 17.
Superioris poteſtas, non ſe extendit ad dubia, p. 115. n. 18.
Superior illud ſolùm ius habet, quod ſubditi per Votum contulerunt. p. 115. n. 19.
Superioris præceptum non ſemper præſumitur iuſtum. p. 115. nu. 21. præſumitur quando oritur ex poteſtate legislatiua. ibi n. 22. Nullum hinc ſequitur inconueniens. ibi n. 23.
Superior in dubio obligare non poteſt ad ſecreti reuelationem. pag. 116. n. 24. nec tempore Quadrageſimæ ad carnes comedendas. ibi num. 25. Poſſeſſio ſtat pro præcepto Ieiunij. ibi n. 26. Nec in dubio de belli iniuſtitia, ad militandum. pag. 117. n. 27. Multò minus ſi ſubditus de belli iniuſtitiâ habeat iudicium probabile. ibi n. 28.
Suſpenſio non incurritur ab inuincibiliter ignorante eam pro tali culpâ impoſitam. p. 131. n. 23.
Syllogiſmus, cuius concluſio eſt dictamen prudentiæ. p. 55. n. 77.
Syndereſis quid, & quomodo ex illâ oriatur conſcientia. p. 4. n. 11.

T

TEſtes coacti, in teſtamento adhibiti, non valent. pag. 280. num. 6.
Theſaurus abſconditus non pertinet ad materiam venditionis agri. p. 208. n. 17.
Timor. v. Metus.
Titulus poſſeſſionis, omnibus virtutibus eſt communis. p. 86. n. 16. alij Tituli præter poſſeſſionem, ſufficientes ad dubium deponendum. p. 89. n. 29.
Titulus poſſeſſionis, an ſit ratio ſufficiens dubium deponendi. pag. 75. num. 2.
Traditio rerum Eccleſiæ, metu facta, eſt irrita. p. 280. n. 6.
Tutior pars, an, & quando in dubijs eligenda ſit. p. 73. n. 25.
Tutior via, quando eligenda ſit in dubio. p. 85. n. 11.

V

VAlidare, ſeu conualidare contractus. vide Reſpublica.
Ad valorem actus, quænam voluntas ac libertas requiratur. pag. 148. num. 2.
Valor irritationis, in poteſtate Patris fundatur. p. 123. n. 16. Hæc vt potè antiquior præualet Voto. ibi num. 16.
Valor rei deſumitur ex eius vtilitate in ordine ad vſum, ad quem vendi ſolet. p. 205. num. 7. & ex communi æſtimatione, quam res habet in illo loco. p. 206. n. 8.
Valor, qui eſt venditionis materia, conſtituitur per rei vendendæ qualitatem. p. 207. n. 13. Quænam qualitas rei valorem, ac venditionis materiam conſtituat. ibi n. 14. Non omnes rei qualitates pertinent ad materiam Venditionis. p. 208. n. 16.
Valor rei vendendæ duplex; intrinſecus, & extrinſecus. p. 210. nu. 6. Error valoris, quem res alicubi habet, non irritat contractum. ibi

ibi nu.7. Eſt error circa valorem extrinſecum. ibi nu.8. Vide error valoris.

Valor rei extrinſecus, eſt venditioni accidentalis. pag.210. num. 9. Error circa illum reddit venditionem inuoluntariam, ſolùm ſecundum quid p.211. n. 10. Pretiũ pertinet ad ſubſtantiam venditionis, non quantitas pretij. p.211. n.11. Idem valet in donatione. ibi n.12. Id quod in illis fuit inuoluntarium, eſt reſtituendum. pag.212. num.13.

Vendens Officium Sacriſtæ, vel Aeconomi peccat ſolùm contra Religionem. p.333. n.18.

Venditio, ex metu, facta, iure naturæ. eſt valida. p.276. n.7.

ad Venditionis ſubſtantiam non minus pertinet qualitas rei, quam res. pag.206. nu.11. Nec minus, quam cauſa finalis. ibi n.12.

in Venditione, & emptione, non ſolùm res vendenda, ſed eius etiam qualitates pertinent ad materiam. p.105. n.6.

Venditio non inualidatur ex errore circa perſonam ementis. pag.167. n.9. Perſona emptoris eſt circunſtantia accidentalis venditioni, ſicut emptioni perſona venditoris. ibi n. 10. Et ſicut qualitas perſonæ, cum quà contrahitur in matrimonio. ibi n.11.

Venditoris dolus emptionis valori nõ videtur obſtare. p.222. nu.3. Iure tamen ciuili emptionem irritat. p.223. num.11. Quænam iura hoc decernant. ibi n.12.

Venditio orta ex dolo Tertij, eſt valida. p.229. n. 9. In ea nulla interuenit iniuria ex parte Contrahentium. ibi n.10. Cum ſit contractus perfectus cenſetur celebratus abſolutè. ibi n.11.

Veniale, ſi fiat occaſio proxima mortalis. fit mortale. p.339. n.7.

Veniale, an ratione frequentiæ fiat mortale. p.349. n.2.

Venialia, alia ſunt inter ſe vnibilia, alia non. p.350. n.6.

Venialium frequentia, non eſt legis contemptus. p.352. n.15.

Venialia diſponunt ad mortale. p.363 num.4.

Venialia conſtituunt ſolùm in periculo remoto mortalis. pag. 365. num.13.

Verbum, plurium honorem, vel famam lædens, eſt peccatum multiplex. p.392. n.22.

Violatio iuris humani, quando, in Confeſſione, non eſt explicanda. p.252. n.16.

Virtus non ſemper grauiter læditur. p.319. n.17.

Vna, aut altera vncia ieiunium nõ frangit. p.326. n.31.

Voluntas omittendi Officium, fertur in ſingulas horas. p.376. n.16.

Voluntas amans bonum, ſiue verè, ſiue falsò propoſitum, vt bonum, non peccat, imò facit actum virtutis, vt de eo poteſt gaudere. p.7. n 20. 21. 22.

Volens malum in genere, cenſetur illud velle, ſiue graue ſit, ſiue leue. p.22. n.11.

Voluntas, quomodo prudenter operetur ex opinione probabili. pag.34. num. 17.

à Voluntate determinari intellectum habentem æqualia motiua pro

pro vtraque parte, conſtat experientia. p.43. n.45.

Voluntas, quot modis ab actu interno ceſſare poſſit. p.379. n.2.

Voluntas inefficax, per quid differat ab efficaci. pag.380. num.7. Quomodo vtraque cenſeatur moraliter perſeuerare. p.381. n.8.

Voluntas, integra Quadrageſima non ie unandi, tot peccata continet, quot ſunt dies in Quadrageſimâ. p.389. n 9.

Voluntas occidendi plures, eſt multiplex peccatum. p. 391. n. 19. Et integram familiam occidendi. ibi num. 20.

Voluntas requiſita ad Sacramentum conficiendum, debet eſſe aliquo modo præſens, & cur. p.164. num.22.

Voluntas in donatione ſemper eſt virtualiter conditionata. pag.168. num.17.

Voluntas etiam præterita ſufficit ad Sacrificium applicandum. p.161. num.12.

Voluntas conſtitutiua emptionis, quænam ſit. p.180. n.15. reſpectu voluntatis conditionatæ, qualibet cauſa eſt finalis. p.181. n.20.

Voluntas conditionata in quo differat ab abſoluta. p.188. n.5.

Voluntas, & libertas ad valorem actus requiſita quænam ſit. p.148. n.2, & p.150. n.9.

Volnntas abſoluta rei, virtualiter fertur etiam in circunſtantias occultas cum re illà connexas. p.154 n.19. Similis voluntas regulariter datur in adminiſtratione Sacramentorum. ibi nu.20. Si autem voluntas non eſſet abſoluta, actus non eſſet validus. p.155. n.21.

Voluntas indirecta ſufficit ad peccatum, ad validè vero operandum, requiritur directa. p.155. n.24.

Voti, ac Regulæ obligatio, non eſt duplex, ſed vna. p.367. n. 4. verè tamen eſt duplex. p.368. n.9.

Votum, ac Regula, quas obligationes inducant. p.369. n.13.

Votum, metu extortum, cur ſit irritum. p.278. n.16.

Votum in materià graui obligare non poteſt ſolùm venialiter. p.318 n.8. Verè tamen poteſt. pag.319. num.13.

Votum, materiæ leuitatem admittit. p.332. n.13.

Votum obligat, ad inſtar legis humanæ. p.252. n.18.

Votum, ad mortem vitandam emiſſum eſt validum. p.268. n.10.

Votum certum obligat, quandiu non conſtat de ratione excuſante. p.93. num.13.

Votum, in dubio, non obligat. pa.98. n.14. & p.119. n.11.

Votum qui emiſit, & dubitat de animo ſe obligandi, tenetur Votum obſeruare. p.102. n. 7. Voti obligatio eſt certa, & excuſatio dubia ibi n.9.

Votum de cuius materia dubitatur, an ſit indifferens, obligat. p. 103. num.13.

Votum, an obliget ſicut Lex. p.118. num.2.

Votum de cuius materiæ honeſtate dubitatur, non obligat. p.118. n.6.

Vouens non habet communiter intentionem ſe obligandi ad materiã dubiam. p.119. n. 7. Neque tunc materia eſt grata Deo. ibi n.8. Volun-

lantas ſe obligandi etiam in materia dubia, eſt imprudens. ibi n.10.
Votum eſt ſtrictè interpretandum. p.120. n.12. ſe extendit ſolùm ad materiam certò gratam Deo. ibi n.13.
Votum non obligat, cum datur iudicium probabile de inhoneſtate materiæ. p.120. n.14.
Votum in dubio pubertatis, non videtur irritabile à Patre. pag.121. n.3. Sicut nec contractus in dubio minoritatis. ibi n. 5. verè tamen eſt irritabile. p.122. n.9.
Voti irritatio, & reſciſſio contractus ſunt fauor ætatis. p.122. n. 6. In dubio minoritatis, & pubertatis, poſſeſſio poteſtatis irritandi, & reſcindendi ſtat pro Patre. ibi n.10.
Votum poſſidet reſpectu filij vouentis, ſed non reſpectu Patris. p.123. num.14.
Votum filij irritari poteſt à Patre, cum datur iudicium probabile de illius impubertate. p.124. n.19.
ad Voti valorem requiritur, vt ſit in ſe formaliter volitum, ac liberum. p.158. n.4.
Votum in ebrietate emiſſum, non eſt volitum in ſe ipſo. p.162. n.16.
Voti materia aliquando coincidit cũ eius causâ finali. p.213. n. 5. Error circa Voti materiam, aliquando leuis, aliquando notabilis. p.214. n.6. Error leuis Votum non irritat. ibi n.7. Error circa acceſſorium, non irritat Votum circa principale. ibi n.9.
Votum irritum circa principale, eſt etiam irritum circa acceſſorium. p.215. n.11.
in Voto difficultates notabiles ignoratæ illud reddere videntur nullum. p.217. n. 3. Aliud eſt difficultates ignorare; aliud circa illas errare. ibi nu. 6. Ignorantia difficultates ignoratas non excludit, error excludit. ibi n.7.
Votum Religionis, etiam difficultatibus ignoratis tenet. p.218. nu.8. Ignorantia difficultatum, voluntatem vouendi abſolutam non impedit. ibi n.9.
ad Voti valorem cognitio confuſa rei promiſſæ ſufficit. p.218. n.10. Cur cognitio diſtincta non requiratur. ibi n. 11. Non obſtat, quod ignorantia ſit antecedens. p. 219. n.12. Obligationem impediens, ſi illi ſuperueniat, eam tollit. p.220. num.15.
Votum ex ſuppoſitione erronea factum non obligat. p.189. n.7. Non eſt abſolutum, ſed conditionatum. ibi nu.8. Ceſſante ſuppoſitione, ceſſat, ſicut ceſſante cauſa finali. ibi n.9. Et ſicut ceſſante eadem cauſa, ceſſat lex. ibi n.10. Cauſa, quæ reſpectu Voti ſimplicis, eſt finalis; reſpectu ſolemnis, eſt impulſiua. ibi n.11. In Voto ſimplici, conditio eſt cauſa finalis. p.190. n.12.
Votum reſtituendi, ſi res antea non erat debita, non obligat. pag. 190. n.13. Cauſa in dubio præſumitur impulſiua, ibi n.14.
Votum non inualidatur ex aliquo errore circa cauſam finalẽ. p.194. n.5. Satis eſt ſi cauſa motiua ſubſiſtat tempore executionis. pag.195. nu. 6. Sicut etiam in Voto facto ad filij ſanitatem obtinendam. ibi num.7.
Vouentis intentio eſt ſe obligare pro

tempore executionis. p.195. nu.9. Cauſa exiſtere poteſt tempore executionis, licet non exiſtat tempore emiſſionis Voti. ibi n.10. Error circa cauſam pro tempore executionis reddit Votum inualidum. p.196.n.11.Per cauſæ ceſſationem Votum non extinguitur, ſed ſuſpenditur. ibi n.12.

Vſura, materia paruitatem admittit. p.335. n.26.

Vſuras non ſemper impedire tenemur. p.346. n.15.

Vſus rei alienæ, eſt peccatum diuerſum ab eius acceptione. pag. 377. num.19.

Vulnerum numerus, quibus alius occiſus eſt, non eſt in Confeſſione explicandus. p.382. n.13.

Vxor cum dubio practico debitum reddens, peccat mortaliter. p. 59. num.9.

de Voto dubitans, poſt debitam diligentiam, non obligatur. pag. 88. num.25.